

BD116
I56
c.1
46159
009704



1080021624

EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
VALERE FLAMMAM VERITATIS
UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

De Claustro.

INSTITUTIONES

PHILOSOPHICÆ.

PARS METAPHYSICA.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

INSTITUTIONES

PHILOSOPHICÆ

AUCTORE PARA,

AD USUM

STUDIOSÆ JUVENTUTIS

REG. ET ANTIQ. SS. AA. PETRI ET PAULI

ET S. ILDEFONSI MEXIC. COLLEGII

ITERUM TYPIS MANDATÆ.

TOMUS PRIOR.

MEXICI:

APUD JOANNEM BAPTISTAM ARIZPE,

VIA MONTERILLA.

M. DCCC. IX.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEON
Biblioteca Universitaria "Alfonsina"

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEON
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

BMU Raúl Rangel Frías
UANL
FONDO
CEMETERIO VALVERDE Y T.

46159

BD116
I 5c

GENERALIS RERUM INDEX.

PRÆVIUS IN PHILOSOPHIAM PROSPECTUS: seu genuina Philosophiæ & Institutionum philosophicarum idea.

INTRODUCTIO AD PHILOSOPHIAM: seu compendiosa analysis rerum & cognitionum quibus instructos esse oportet Tyrones, in ipso Philosophiæ quasi limine; ut ad speculationes & concertationes philosophicas utiliter præparentur & accendantur.

DE HUMANA CERTITUDINE: quadruplex ipsius fons & fundamentum; nempe, Sensus intimus, Idea, Sensationes, Testimonium Hominum.

DE DIALECTICA: quadruplex ipsius objectum, nempe Ideæ, Propositiones, Syllogismi, Methodus scientifica.

DE ONTOLOGIA: ens quatenus divisum, quatenus distinctum, quatenus universalisatum, quatenus causale, quatenus relativum, quatenus ubicatum aut in spatio infinito collocatum.

FONDO EMETERIO
VALVERDE Y TELLEZ

PRÆVIUS
IN HANC PHILOSOPHIAM
PROSPECTUS.

In duplicem dividentur partem Philosophicæ istæ institutiones. Pars prior de *natura insensibili* aget; seu de illis Entibus quæ sub sensus per se nullatenus cadunt. Pars posterior de *Natura sensibili* tractabit; seu de illis Entibus quæ nostros afficiunt sensus. Priori *Metaphysica*, posteriori *Physica*, generale nomen, generalis erit titulus.

Idea Philosophiæ.

NIHIL est *Philosophia*, nisi sanæ rationis Naturam observantis & meditando scrutantis legitima exercitatio; nisi vis illa humanæ menti ingenita, qua in Veritatem omnem naturalibus ipsius facultatibus perviam fertur.

Cum autem omnibus sæculis coæva sit sana ratio, ac proinde Philosophia: ineptum est & absurdum antiquam Philosophiam unico vetustatis titulo despicere. Veritatis amans & errori obnoxia, dum alta & profunda Naturæ tum sensibilis tum insensibilis arcana, variis sæculis, meditando scrutata est; nunquam senuit, nusquam generatim antiquari meruit Philosophia.

Unde, quam viam aut methodum in indagandis veritatibus quibusdam abstrusioribus adhibuerit *antiqua Philosophia*; quid inde opinionum, sive verarum,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
080784

sive falsarum, in scientias aut in societates humanas, irrepserit; quid certitudinis & rectitudinis, quid erroris & vitii sit in antiquis ipsius Placitis, sive in genere morum, sive in genere scientiarum & artium, modestè expendet *nova Philosophia*, quæ olim & ipsa fiet antiqua; nunc judex, olim judicanda; partis ab Antiquitate luminibus ditari, & novis luminibus ab ipsa partis Posteritatem ditare, ubique nata.

INFORMANDIS ad sanam philosophandi rationem, intrà religiosa Seminariorum atria, junioribus Clericis, quoniam præcipuè destinatur scholastica hæc Philosophia: ipsam decet suæ quasi regionis indolem induere; suorum moribus Alumnorum quodammodo assimilari; nihil altius aut elegantius spirare; indagandis aut exponendis sublimioribus illis veritatibus, quibus fiant & Religio & Mores & Societas, impensius incumbere; sine fuco nitidam, sine luxu divitem, profundam sine tenebris, sine arte facundam & amœnam, liberali quadam simplicitate & nativo suo lumine spectabilem satis & conspicuam.

Pars prior. PARS hujus Philosophiæ prior, *pars scilicet metaphysica*, in octo dividetur tractatus: quorum primus de Certitudine, secundus de Dialectica, tertius de Ontologia, quartus de Deo, quintus de Anima humana, sextus de Anima belluina, septimus de Religione & de Moribus, octavus de Materia abstractivè spectata, aget.

Primus, ponendis aut explorandis humanæ Certitudinis fundaminibus destinatus, & in quatuor sectiones divisus, ostendet humanam omnem Certitudinem emanare, aut à testimonio sensus intimi, aut à testimonio Idearum, aut à testimonio sensuum, aut à testimonio Hominum; & qualis ex quadruplici hoc fonte scaturiat Certitudo, exhibebit.

Secundus, in quatuor sectiones similiter divisus, varias demonstrabit regulas quas tradit Dialectica, tum circa Perceptiones, tum circa Propositiones, tum circa Syllogismos, tum circa Methodum scientificam.

Tertius, dum de Ente generatim spectato disseret, Ens quatenus divisum, quatenus distinctum, quatenus universalisatum, quatenus causale, quatenus relativum, quatenus ubicatum aut in spatio infinito collocatum, exhibebit, abstructos Ontologiæ gurgites & abyssos delibans potiùs quam exhauriens.

Quartus, in duplicem divisus sectionem, in demonstranda Dei existentia, in indaganda Dei natura, totus erit; sua inde veræ Religioni, sua humanæ Societati, inconcussa eruens fundamina.

Quintus, dum ineffabilem quodam modo Animæ humanæ naturam philosophico subjiciet examini, in quadruplicem sectionem divisus, demonstrabit Animam humanam esse ex natura sua spiritualem, immortalem, liberam; in quibusdam suis operationibus causam efficientem, in quibusdam aliis causam duntaxat occasionalem.

Sextus, in philosophico Animæ belluinæ examine totus consistet: ex quo concludetur, plaudente ratione, hanc belluarum Animam esse substantiam immaterialem, à Materia & à Spiritu penitus distinctam & diversam.

Septimus de Religione aget & de Moribus, in

duplicem divisus sectionem: quarum altera Religionis, tum naturalis, tum revelatæ fundamina jaciet; altera generalem Morum theoriam tradet, & humanas omnes Cupiditates, sive honestas, sive inhonestas, ab unico principio, Amore scilicet proprio, emanare docebit.

Octavus, Materiam metaphysicè spectatam speculando, expendet & demonstrabit quid sit sentiendum de ipsius essentia, sensibilitate, divisibilitate, inertia, homogeneitate; atque ita habebitur quod vulgari *Physicæ generalis* nomine communiter designatur.

Ad pleniorem & faciliorem rerum istarum intelligentiam, Latino huic Operi consociari poterunt, si lubet, Gallica Methaphysicæ Elementa, vel Gallica ipsamet Entium insensibilium Theoria: quæ opera ingentis erunt utilitatis, tum iis Philosophiæ Alumnis, quibus nondum satis familiaris esset Linguæ latinæ usus; tum iis quibus fortè saperent, in magnis quibusdam quæstionibus, ditiores & abundantiores Philosophiæ haustus.

Pars posterior.

PARS ejusdem Philosophiæ posterior, *pars scilicet physica*, sua completectur divisione Tractatus decem: quorum primus de natura Materiæ, secundus de natura Corporum, tertius de Motu in genere, quartus de Motu in particulari, quintus de Motu in Machinis, sextus de Globo terraqueo, septimus de elemento Aquæ, octavus de elemento Aeris, nonus de elemento Luminis & Ignis, decimus de Phœnomenis cœlestibus disseret,

Quod spectat ad physicam hujus Philosophiæ partem, censuimus nullatenus debere illam à *Gallicis*

Physicæ Elementis differre: invalescente in dies per totam Galliam usu, qui utinam & citius invaluisset, ut Linguam gallicam adhibeant Scholæ Philosophicæ, in explicandis Naturæ arcanis, in tradendis Physicæ institutionibus.

Si forté tamen necessarius etiam videretur in rebus physicis Linguæ latinæ usus, sive ad utilitatem exterarum Nationum, sive in gratiam veteris Consuetudinis, apud cæcum & imperitum Vulgus ipsa interdum ratione potentiores: Gallica hæc Physicæ Elementa, per *liberam Traductionem*, latina reddemus, jus illud non denegante nobis illorum Auctore: ita tamen ut in libera hac traductione, nulla in rebus, nulla in rerum ordine, nulla in numeris rerum indicibus, futura sit essentialis mutatio.

Inde intelligetur cur sua Parti physicæ non hic annectatur subdivisio, ut Parti metaphysicæ annexa est.

Supplementum.

CUM ita nati plerique simus, ut inter varia Naturæ aut Artis opera, vix ullum sit unquam, quod nostris ideis & judiciis perfecté assimiletur; in quo nihil inculpemus, nihil perfectionis desideremus; cui aliquid addi, aut aliquid detrahi, alio alii modo, non velimus: penes erit quemque Philosophiæ Professorem, philosophicis istis Institutionibus, *instar Supplementi separatim dictandi*, id omne ex penu suo & juxta ingenium suum breviter addere & annectere, prout successiva se se dabit rerum occasio, quod ipsi videbitur perficiendæ Philosophiæ, perficiendo Discipulorum suorum ingenio, necessarium aut utile.

Id autem facilé & utiliter præstabit eruditus & sagax quisque Professor: sive novas aliquas in tali

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

materia movendo quæstiones aut difficultates quarum solutio videretur esse magnæ utilitatis, habita locorum aut temporum ratione; & quas omnes prævidere & complecti nequeunt elementares Philosophiæ Institutiones: sive rebus in tali alia materia pertractatis novum aliquod lumen aut robur affundere conando, tum ope propriarum speculationum suarum; tum ope speculationum alienarum, quas ex celeberrimis quibuscumque Auctoribus sapienter depromptas, gallicè aut latiné dictabit in suo Supplemento, & suis salubriter meditandas & retinendas dabit Discipulis.

Collectitias equidem hujusmodi sententias & speculationes excludit sanus rerum sapor & gustus, ab omni opere Philosophicis istis Institutionibus simili, cujus natura exigit ut sit felix aliqua operis summa, re aut stylo nusquam sibi incohærens & discolor; ac proinde, ut sit aliquid in se *simplex duntaxat & unum*: non excludit autem á Suplemento hic & nunc indicato, cujus natura est ut possit esse omnimodè varium; ut Philosophiæ & Eloquentiæ & Poësi simul pateat; ut omni rerum tono & colore idiomate liceat ipsis feliciter ditari.

Pars utraque. UNICUM sibi volumen postulabit hujus Philosophiæ *Pars metaphysica* (*): cui si addantur & annectantur, tum unicum illud volumen in quo continetur hujus Philosophiæ *Pars physica*; tum unicum aliquod

(*) NOTA. Licet in duplicem sit divisa Tomum pars hæc metaphysica, in unicum volumen religari poterit & communiter religabitur uterque ille tomus.

volumen quod breviter & dilucidè complectatur elementaria omnia *Calculi & Geometriæ Principia*, sine quibus nulla est hodie Philosophia; inde abunde erit in quo utiliter simul & amœniter exerceatur, per annum duplicem, juniorum Philosophiæ Alumnorum ingenium, ad altiora quàm vulgò existimatur, aptum & idoneum, ubi rectè instituitur & excolitur.

Immensum Cognitionum humanarum oceanum, sine ulla rerum confusione, sine ullo claritatis aut soliditatis aut amœnitatis detrimento, in tam exiguum contraxisse spatium, in *tribus duntaxat Voluminibus* spectabilem dedisse & intelligibilem, non parvus fuit labor, sed ingens erit utilitas.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

INSTITUTIONUM
PHILOSOPHICARUM
PROLEGOMENA:
SEU
INTRODUCTIO AD PHILOSOPHIAM.

1. OBSERVATIO I. Philosophia, si nomen inspicis, amorem Sapientiæ sonat: si rem spectes, exprimit naturalem tum Hominis, tum Divinitatis, tum Mundi hujus aspectabilis cognitionem scientificam. Philosophiæ objectum est Homo, Deus, Mundus; uno verbo, quidquid naturali lumine fas est percipere.

Unde, si Philosophiam secundùm vim omnem nominis spectes; nulla à Philosopho aliena est scientia, Rationi patens & pervia. Hinc definiri vulgò solet *Philosophia*: scientia rerum omnium naturali lumine cognoscibilium. Quantum sit Philosophi nomen, quantoque labore & studio demerendum, inde intelligere est.

Ut omni arti & scientiæ, sic Philosophiæ sunt propriæ quædam voces, propriusque aliquis interdum stylus, quibus sibi proprias juxta ingenium suum exprimat ideas: nec ulla inde est Philosophiæ barbaries. Amœnitati patens & amœnitatis amans, nihil jam barbarum sonat Philosophia, nisi ubi barbarum philosophatur ingenium.

2. OBSERVATIO. II. Præcipua in Institutionibus quibuscumque Philosophicis dos est, Veritatum inter se innexarum ordo lucidus. Hanc si non semper obtinebimus, omni saltem opum vi, ubique effectabimus laudem.

Tota stat idæis & ratiociniis pars Philosophiæ me-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

taphysica: experimentis & observationibus tota stat pars physica. In *rebus metaphysicis* eas prætermittemus quæstiones, quæ nihil habere videbuntur utilitatis: ne futilibus impendatur concessum ad utilia tempus. Si quas tamen quæstiones minùs utiles videbimur alicui agitasse; meminerit ille quod ab illustri Fontenellio sapienter observatum est: scilicet, non inutilem poni operam, ubi de rebus vel inutilibus philosophando, ad artem & habitum rectè ratiocinandi exercetur & informatur humana mens.

In *rebus physicis*, Geometriam Calculumque, quantùm juvenilis patitur ætas, experimentis & observationibus applicabimus: rati nullam esse Physicæ scientiam, Geometriæ & Calculi lumine destitutam.

Diu ancipites an ingeniosa quædam & celebriora illustrium Philosophorum *Systemata* evolvere & agitare foret operæ pretium: evolvenda & agitanda nonnulla censuimus.

Illis enim & delectatur, & ad concertationem accenditur, & ad grandia erigitur, & ad systematicum informatur ingenium, Adolescentum curiosa & vivida mens.

Ubique Veritatis amantes, vera à falsis, certa à dubiis secernere conabimur. Quæ patebunt demonstrationi, demonstrabimus: quæ duntaxat probabilia judicabuntur, probabilitatis notâ distinguemus.

PHILOSOPHIÆ ORIGO ET VICISSITUDINES.

3. OBSERVATIO. Ab ingenitâ Homini curiositate, ab attentâ Naturæ observatione, ab altâ & profundâ ingenii sagacitate, nata est Philosophia, dignus tali ac tantâ origine partus.

Philosophia, apud egregiam olim Antiquitatem, sublimium & in quolibet genere excellentium ingeniorum amor & decus & lumen fuit. Philosophiæ laudem tunc æmulabantur, quotquot ingenio meliore præditi ad magna & ardua sese natos sentiebant: sive rebus politicis administrandis operam navare, sive eloquentiæ aut poesi nomen dare, sive armis tractandis incumbere, ipsis esset animus. Arduum & sublime viri illustrioris nomen ambire & affectare vix audebat quispiam, nisi philosophus. Placitis sese philosophicis imbutos exhibuere suis sæculis, Homerus, Alexander, Virgilius, Cato, Cæsar, Cicero, aliaque propè omnia illustrioris Antiquitatis lumina.

I. Florere cœpit Philosophia apud Chaldæos & Indos. Tum pervenit ad Ægyptios, qui eam suis hieroglyphicis, seu symbolicis suis figuris, asservari curârunt. Inde navigavit in Græciam, ubi felicius nacta Solum, fœcundioribus insita ingeniis, excrevit in immensum. Inter alios Philosophiam illustrârunt & à Philosophiâ illustrati sunt in Græcia, Thales Milesius, Pythagoras, Zeno Stoicus, Epicurus, Plato, Aristoteles, qui variarum duces & auctores Scholarum philosophicarum fuere; Thales Ionicæ, Pythagoras Italicæ, Zeno Stoicæ, Epicureæ Epicurus, Academicæ Plato, Peripateticæ Aristoteles.

In Græcia, in Italia, in Ægypto viguit & regnavit Philosophia: quamdiu stetit Romani Imperii decus & vigor. At ubi eversum & dilaniatum Romanæ Gentis Imperium exceperunt exundantes circum undique Barbarorum nationes, eâdem concussa clade jacuit Philosophia.

II. Veterem Aristotelis Philosophiam, jam penè oblivioni consepultam, exsuscitârunt tandem, & vesanis subtilitatibus commentando infarserunt Arabes. Ex arabicis igitur cerebris renasci tunc visa est Philosophia: at sibi quàm absimilis; pristinæ sublimitatis degener, barbaro aspera eloquio, in futilibus agitandis ineptè acuminata. Hirco cervorum magis quam Naturæ speculatrix, clamosarum concertationum quam utilium demonstrationum amantior, peripateticæ auctoritati quàm almæ Rationi docilior! Silere Ratio, silere Experientia jubebantur; & Aristoteli loquenti non contradicere. Atque ita, Rationem attollere & irradiare nata, rationem deprimebat & ignorantiæ devovebat Philosophia.

III. Regnavit per omnem propè Europam barbara hæc Philosophia: donec ultimo tandem sæculo prodiit in lucem

*

vasti & profundi & sapienter audacis ingenii vir Cartesius, qui tenebrosum Peripatetismi jugum indignatus, longè sonaturam ipsi cladem moliretur; novamque Philosophiam, principiis indubitabilibus innixam, ideis claris & distinctis irradiatam, barbarie & futilitate spoliatam, geometriæ & calculo consociatam, mente parturiret. Immortalem virum hæc secuta est gloria, quòd suis solutam compedibus Rationem, ad innatum veritatis amorem, ad ingentia in rebus philosophicis molimina impulerit; quòdque philosophico ipsi prælucente ingenio, vel dum philosophando à Veritate aberrat ipse frequentiùs, certum planumque postgenitis straverit iter ad Veritatem.

VARIA PHILOSOPHIÆ PRINCIPIA

4. OBSERVATIO. Triplex distinguitur in Philosophiâ principiorum, species: principia enim alia sunt productionis, alia compositionis, alia congnitionis.

I. *Principia productionis* sunt causæ à quibus res producuntur, a quibus existentiam habent. In hoc sensu & sub hoc respectu de Deo dicitur, quòd sit rerum creatarum primum principium; de igne, quòd sit principium caloris; de corde, quod sit vitalis motûs principium.

II. *Principia compositionis* sunt constitutiva ipsamet intrinseca rerum sensibilium; seu constitutiva illa ex quibus talis species aut tale individuum resultat. In hoc sensu & sub hoc respectu in Physicâ dicitur de aere, de terrâ, de aquâ, de igne, quòd sint principia Corporum; de tali Mixto, quòd principiis abundet salinis; de alio Mixto, quòd in eo oleacea dominentur principia.

III. *Principia cognitionis* de quibus hîc quæstio duntaxat erit, sunt veritates quædam generales, quæ per semetipsas sunt certæ & evidentes; & quæ utiliter possunt adhiberi ad demonstrandas alias quasdam veritates, minùs notas & lucidas, quas implicitè continent in semetipsis, & quibus suam communicant certitudinem & evidentiam.

Unde, ut aliqua veritas sit principium cognitionis,

seu simpliciter *Principium*, non sufficit ut ipsa sit in se certa & evidens: sed requiritur insuper ut sit quasi fons lucidus, ex quo aliæ scaturiant veritates; ut sit quasi germen fœcundum, in alias veritates germinans.

Duo & duo sunt quatuor: ecce tibi veritatem certam & evidentem quæ nullatenus principii nomen meretur; quia nullam in se aliam veritatem continet. Totum est majus suâ parte: ecce tibi veritatem certam & evidentem, quæ *Principii nomen* sibi jure vindicat, quia multarum veritatum est quasi scaturigo aut germen. Ab illâ enim veritate primariâ fluunt istæ & similes veritates: ergo schola est minor collegio; ergo dimidia pars leucæ, est minor leucâ; & sic de aliis.

IV. A principiis cognitionis in eo tantum differunt *Axiomata metaphysica aut mathematica*, quod nomen axiomatis detur, tum generalissimis & per se evidentissimis illis veritatibus quæ principia cognitionis vocamus; tum quibusdam aliis veritatibus minùs generalibus quæ ex solâ terminorum perceptione sunt evidentes, & quæ ad alias veritates demonstrandas adhibentur. Ad plures veritates extenditur nomen axiomatis, quàm nomen principii: sed axiomatibus & principiis æqualis est certitudo, æqualis evidentia.

GENERALIA COGNITIONIS PRINCIPIA.

5. OBSERVATIO. Generalia illa cognitionis principia, quæ apud Philosophos purè & simpliciter *Principia* vocantur, hîc exhibemus; & quantum necesse erit, dilucidabimus.

I. *Impossibile est idem simul esse & non esse*: seu impossibile est ut ens & non ens ejusdem denominationis, sint in eodem subjecto, pro eâdem temporis & loci circumstantiâ.

Ecce tibi celeberrimum *contradictionis principium*, cujus in Mathesi & in Metaphysicâ frequens est usus, & in quo fundantur innumeræ demonstrationes indirectæ.

II. *Totum est æquale omnibus suis partibus simul sumptis; pars totius est toto minor.*

Partes enim simul sumptæ sunt ipsummet totum, quod evidenter nequit esse semetipso aut majus aut minus: si autem non minor toto pars esset; jam non pars totius, sed ipsummet foret totum.

III. *Nihilo nulla est, nulla esse potest proprietas realis & positiva.*

Proprietas enim realis & positiva necessariò supponit subjectum aliquod in quo recipiatur, naturam aliquam quâ constituatur, ens aliquod quod sit aliquid: quæ omnia à nihilo essentialiter excludi concipiuntur.

IV. *Quæ identificantur cum uno tertio, identificantur inter se.* Seu si ens aliquod A, objectum primæ unius ideæ, & ens aliquod B, objectum secundæ alterius ideæ, separatim identificantur cum eodem ente M, quod est utrique comparationis terminus: ens A & ens B identificantur inter se, & sunt una eademque res diversimodè concepta. (13 & 258).

Si unum identificetur & alterum non identificetur cum uno tertio, duo illa non identificantur inter se. Unum enim erit M, & alterum non erit M: non erunt ergo una eademque res.

V. *De re unâ quâcumque affirmari debet aut negari, quod evidenter videtur, aut in ipsius ideâ essentialiter includi, aut ab ipsius ideâ essentialiter excludi.*

Fundamentalis hujus & primarii omnium scientiarum principii sensus est, in indagandâ veritate, consulendas esse & investigandas rerum ideas, ut inde de ipsarum naturâ judicetur; & de rebus esse affirmandum, quidquid illis essentialiter attribuit idea ipsarum representativa; de rebus esse negandum, quidquid ab illis essentialiter excludit idea ipsarum representativa: verbi gratia, affirmandam esse de circulo rotunditatem, quia essentialiter includi intelligitur in idea circuli rotunditas; negandam esse de circulo quadraturam, quia essentialiter excludi concipitur ab idea circuli quadratura; & sic de cœteris, ut fusius infra res exponetur & demonstrabitur. (58 & 69).

VI. *Qui nimis probat, nihil probat.* Hujus principii iste

est sensus: qui in probanda re aliqua, instar principii, adhibet rationem aliquam ex qua sequitur aliquid falsi aut absurdi; illius vana & nulla est probatio.

Nam, cum in principio vero nihil falsi aut absurdi posse contineri concipiatur: principium ex quo fluit aliquid falsi aut absurdi, est evidenter principium non verum: ex principio autem non vero, nulla erui potest veritas.

VII. *In rebus, propter obscura & incerta, non debent deseri aut in dubium vocari clara & certa.*

Veritas enim aliqua, quæ in quodam objecto clarè & indubitabiliter deprehenditur, non potest in eodem objecto per aliquam aliam veritatem incognitam destrui: nisi supponatur absurdè quod illud objectum simul possit esse & non esse id quod est, id quòd esse evidenter deprehenditur & cognoscitur.

Unde, *ubi sese nobis exhibet aliqua veritas, indubitabili qualicumque aut speculationis aut experientiæ demonstratione innixa; huic imperturbate adhærendum est veritati:* quibuscumque aliunde, aut tenebris circumvolvatur, aut difficultatibus impugnetur.

VARIÆ DEMONSTRATIONUM SPECIES.

6. OBSERVATIO I. Demonstrationis nomine intelligitur, aut ratiocinium, aut ratiociniorum series, quibus invincibiliter stabilitur aliqua propositio, aliqua veritas. Assensum mentis interiorem necessariò rapit demonstratio, non item exteriorem. Directa & indirecta esse potest demonstratio.

I. *Directæ demonstrationis* nomen habet, demonstratio omnis in qua stabilitur aliqua speculationis aut facti veritas; ostendendo & demonstrando per quamdam consequentiarum ritè deductarum & inter se ritè concatenatarum seriem, hanc veritatem esse indefectibiliter connexam cum tali principio certo & indubitabili, à quo supponitur aut à quo resultat res ipsa quæ erat stabilienda & demonstranda.

Demonstratio directa potest esse, aut demonstratio à priori, aut demonstratio à posteriori, aut demonstratio à simultaneo: de quibus in sequenti observatione mentio erit.

II. *Demonstrationis indirectæ* datur nomen, omni demonstrationi in qua stabilitur aliqua speculationis aut facti veritas; ostendendo & demonstrando absurditates & contradictiones quæ ab ejus opposito aut ab ipsius falsitate evidenter fluerent & emanarent. Fundatur & innititur hæc demonstrationis species ipsomet contradictionis principio, apud Geometras & apud Metaphysicos celeberrimo. (5)

Sic indirectè demonstrabis materiam non esse æternam, materiam fuisse in tempore creatam: si videndas des & sentiendas Adversario, varias contradictiones, varias absurditates, quæ ab hypothesi *Materiæ æternæ* evidenter fluunt & emanant. Cum autem evidenter impossibile sit materiam simul esse & non esse æternam: hoc ipso quòd evidenter repugnat illam esse æternam, demonstratum manet illam non esse æternam; ac proinde illam fuisse in tempore creatam.

III. Propositio quæ fluit & fluere demonstratur ab aliqua propositione demonstrata, vocatur *Corollarium*; & certis demonstratisque annumeratur veritatibus. Quando enim aliqua propositio demonstratur emanare à quadam propositione quæ certam & demonstratam habet veritatem: hoc ipso vera esse intelligitur propositio à tali propositione fluens.

Fundatur illud hoc pricipio certo & evidente: scilicet quòd in veritate nihil sit falsitatis; quòd verum nihil contineat nisi verum.

7. OBSERVATIO II. Res aliqua, aliqua veritas, potest directè demonstrari, per demonstrationem à priori, aut per demonstrationem á posteriori, aut per demonstrationem à simultaneo.

I. *Demonstratio à priori*, ea est in qua à causa cognita ad effectum incognitum qui inde debet necessariò emana-

re, descenditur: seu in quâ existentia & natura effectûs prævidendi & determinandi, probatur & stabilitur ope connexionis certæ & indubitabilis quæ inest huic effectui cum causâ à quâ est producendus; cum causâ cujus actio supponitur jam esse indubitabiliter cognita ut realis & ut necessaria.

Omnes *Naturæ leges* fundare possunt legitimas demonstrationes à priori: quia legum illarum effectus, qui sunt talium demonstrationum objectum, necessariò debent ab illarum influxu, ab illarum actione, resultare.

II. *Demonstratio à posteriori* ea est, in qua ab effectu cognito ascenditur ad causam ipsius incognitam: seu in qua causæ priùs incognitæ demonstratur & existentia & natura, ope connexionis necessariæ quam habent tales & tales effectus cogniti cum tali causa à qua produci aut ex qua emanare deprehenduntur.

Sic per demonstrationem à posteriori legitimè probabitur & evincetur Naturam visibilem, seu Mundum hunc aspectabilem, ab *infinitâ aliquâ Intelligentiâ* regi & gubernari: quia regnare deprehenditur in Natura visibili *mirabilis quidam Ordo*, cujus & existentia & duratio non potest attribui nisi causæ alicui invisibili, quæ simul sit & infinitè activa & infinitè intelligens.

III. *Demonstratio à simultaneo* ea est, in qua demonstrantur rerum proprietates, ab ipsamet quæ habetur rerum illarum idea; verbi gratia, in qua demonstrantur proprietates trianguli, ab ipsamet trianguli idea: juxta septimum cognitionis principium, quod suprà positum est. (5)

In hoc ultimo demonstrandi modo, medium demonstrationis & demonstratio ab illo medio resultans, simultaneam habent in intellectu existentiam: hinc tertiæ illius demonstrationis denominatio. Sed quoniam totus fundatur in idea rerum, ultimus iste demonstrandi modus: hæc demonstrationis species apud Philosophos, *demonstratio ab idea*, frequenter nuncupatur.

8. OBSERVATIO III. Fundari & inniti debet omnis de-

monstratio, aliquâ rê certâ, aliqua veritate minimè dubia, quæ sint ipsi quasi medium aliquod ad certitudinem acquirendam, ad rapiendum assensum.

I. Res illa certa, veritas illa nullatenus dubia, in qua fundatur demonstratio, apud Philosophos, *Medium demonstrationis* dicitur.

In demonstrationibus à priori & in demonstrationibus à posteriori, de quibus modò egimus, *Medium demonstrationis debet esse prius re demonstranda*: prius, inquam, prioritate cognitionis & certitudinis, non prioritate naturæ & existentiæ.

II. In concertationibus scholasticis, *Medium argumentationis* vocatur, ratio illa, solida aut ruinosa, vera aut falsa, quâ thesis aliqua impugnatur.

Unde, *Medium mutare* dicitur, qui ab una difficultate proposita & sufficienter soluta, transit ad aliam difficultatem quæ novum sit argumentationis medium: *instare* verò dicitur, qui propositam jam difficultatem novis argumentis urgere pergit & premere; sive illam sub novo respectu aut sub nova luce exhibendo; sive datas illi responsiones & solutiones, quantùm fas est, impugnando & evertere conando.

GENERALES QUÆDAM DEFINITIONES.

9. OBSERVATIO. Sunt *philosophici quidam Termini*, ita ad philosophicam omnem aut speculationem aut concertationem necessarii, ut ipsorum ignaris nullus dari possit in Philosophiam accessus.

Hos igitur terminos, sub ipso Philosophiæ limine, futuris ipsius Alumnis definire & explicare, breviter & quantum sat erit, maximi interest.

IMPOSSIBILITAS, ABSURDITAS, SENSUS COMMUNIS.

10. DEFINITIO I. *Impossibilitas* est rerum inter se essentialis incompatibilitas. Admittere *impossibilitates in rebus*, est

ipsis attribuere res aut proprietates, quæ sese necessariò excludunt, quæ nullatenus possunt inter se consociari; est ipsis supponere ens & non ens ejusdem denominationis, verbi gratia, existentiam & non existentiam, actionem & non actionem, materialitatem & immaterialitatem, intelligentiam & non intelligentiam; & sic de aliis.

11. DEFINITIO II. *Absurditas* est rerum inter se essentialiter incompatibilium stulta consociatio. Verbi gratia, *absurda loqui* dicitur, qui aut sibi aut sensui communi contradicit; qui aut res inter se repugnantes, aut res sanæ rationi oppositas, ineptè effutit.

12. DEFINITIO III. Nihil aliud est *Sensus communis*, nisi commune illud sanæ Rationis lumen, quo regi solet in suis tum judiciis, tùm operationibus hominum generalitas. Sensu communi carere dicitur, qui tali lumine, in suis sive judiciis sive actionibus sese exhibet destitutum.

A Sensu communi non discrepat *sana Ratio*, quæ nihil aliud est quam *recta illa judicandi Facultas*, animæ humanæ naturaliter ingenita, vi cujus verum à falso, licitum ab illicito, decens à dedecente, perfectum à pravo aut imperfecto, pro varia rerum natura, rectè secernit & discriminat.

IDENTITAS, DISTINCTIO, DIFFERENTIA.

13. OBSERVATIO. In eo propè tota consistit Philosophia, ut ritè dignoscatur & determinetur quid sit in rebus distinctionis, quid differentiæ, quid identitatis. Unde triplicis illius termini accuratam habere notionem quanti intersit, facilè intelligitur.

I. Duæ res sunt inter se *distinctæ*: quando una negari potest de alia; quando existentia unius non est existentia alterius; sive similis, sive dissimilis naturæ sint duæ illæ res.

II. Duæ res sunt inter se *differentes*: quando natura unius non tantùm distincta est, sed etiam diversa à natura

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

alterius. | Inter duas aquæ guttulas æquales & perfectè similes, datur *distinctio*: inter aquæ guttulam & granum frumenti, datur *differentia*.

Distinctionem semper includit differentia: differentiam non semper includit distinctio.

III. | Duæ res sunt inter se *identificatæ*: quando natura unius est adæquatè natura alterius; quando existentia unius nihil est nisi existentia alterius. | Distinctioni opponitur identitas, quæ realem omnem excludit alteritatem.

Duæ ideæ, duæ sensationes, duo judicia possunt habere pro objecto *unam eandemque rem*, vel sub eodem vel sub diverso respectu.

Verbi gratia, vidi solem heri, solem hodiè video: inter objecta duplicis illius sensationis, datur *vera & realis identitas*, nempe idem realiter sol. Similiter, nunc in intellectu meo existit, & idea entis infinitè perfecti, & idea entis increati & creatoris: inter objecta duplicis illius ideæ, datur vera & realis identitas, nempe eadem realiter Dei natura.

SUBJECTUM ET OBJECTUM.

14. DEFINITIO I. | *Subjectum* dicitur, in quæstionibus philosophicis, quod in se continet aliquam proprietatem, aliquam modificationem. | Verbi gratia, Anima humana est subjectum suarum cogitationum, suarum determinationum, suarum facultatum: Materia est subjectum sui motûs, suarum configurationum, suarum proprietatum.

I. Subjectum quod in se continet proprietatem aliquam aut modificationem quæ ipsi est accidentalis, quæ in ipso ita est ut ab ipso possit abesse, vocatur *subjectum physicum*.

II. | Subjectum quod in se continet aliquam proprietatem aut modificationem quæ ipsi est essentialis, qua carere non potest sine ipsius destructione, *subjectum metaphysicum* nuncupatur. |

Verbi gratia, Homo est subjectum physicum suarum virtutum, suorumque vitiorum, quæ sunt qualitates ipsi accidentales; & subjectum metaphysicum suæ animalitatis & suæ rationalitatis, quæ sunt proprietates ipsi essentiales, quæ in homine nihil sunt nisi homo ipse sub diverso respectu consideratus.

15. DEFINITIO II. | *Objectum est* id ad quod dirigitur, versùs quod intenditur aliqua ex nostris facultatibus. | Verbi gratia, Bonum est objectum facultatum nostrarum affectivarum; Verum est objectum facultatum nostrarum intellectivarum; Visibilia sunt objectum facultatis nostræ visivæ; & sic de cæteris.

Inter subjectum & objectum, discrimen istud est: prioris proprium est recipere; posterioris, terminare. (*)

TOTUM ET PARS.

16. DEFINITIO. | *Totum* est aggregatum quoddam ex multis rebus simul unitis, aut quæ considerantur ut simul unitæ. Res quæ simul uniuntur, aut quæ tanquam simul unitæ considerantur, sunt *partes* totius. | Totum aliud est physicum, aliud methaphysicum, aliud logicum.

I. | *Totum physicum* est aggregatum ex multis partibus inter se realiter distinctis, seu quarum una non est alia.

Verbi gratia, homo consideratus ut compositus ex corpore & anima, est totum physicum. Idem dici debet de ædificio, ex diversis materiæ partibus composito; de aquæ guttula, ex similibus multis aquæ elementis confiata. Totum physicum subdividi potest in totum naturale, in totum factitium, in totum conventionis.

II. | *Totum metaphysicum* est aggregatum ex multis partibus quæ realem nullam inter se habent distinctionem, & quæ inter se non distinguuntur nisi ope idearum præcisivarum à quibus unica & eadem res indivisibilis sub diversis respectibus representatur. |

(*) ETYMOLOGIA. Subjectum: *quod jacet aut jacitur sub alio.* Objectum: *quod jacet aut jacitur ob aliud, seu ante aliud.*

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Valverde y Tellez

Verbi gratia, homo consideratus ut *animal rationale*, aut ut totum resultans ex facultate sentiendi & ex facultate ratiocinandi, est totum aliquod metaphysicum: quia in homine, proprietas animalitatis & proprietas rationalitatis non sunt realiter nisi res una indivisibilis; scilicet nisi natura humana, relativè ad suas sensationes & relativè ad sua ratiocinia successivè considerata.

III. *Totum logicum* est objectum alicujus ideæ præcisivæ, quod sic præcisum & abstractum potest affirmari de multis rebus inter se distinctis. Sic objectum ideæ præcisivæ Substantiam representantis & à suis differentiis individualibus abstrahentis, est totum logicum, seu totum prædicabile, quod potest affirmari de Deo, de angelo, de corpore, de homine, de bruto. Potest enim dici: Deus est substantia; Angelus est substantia; Homo est substantia; & sic de aliis. Illud totum est, vel genus in plures divisibile species, vel species in plura divisibilis individua.

Totum logicum solet etiam vocari *Totum potentiale*; id est, totum factibile: quia in rerum natura non habet actualem existentiam ut duo præcedentia, sed meram existendi potentiam: quæ existendi potentia actuabitur, ubi placebit intellectui multas species aut multa individua per modum unius contemplari, ope suarum idearum præcisivarum.

CONCRETUM ET ABSTRACTUM.

17. OBSERVATIO. Ideis nostris objectum esse potest, vel *Subjectum cum forma sibi propria*; vel *sola hæc Forma subjecti*, à subjecto per ideam præcisivam quasi abstracta.

Idearum nostrarum objectum in priori casu *Concretum*; in posteriori *Abstractum* dicitur. (*)

(*) ETYMOLOGIA. Concretum; à verbo *concresco*: quasi *ens quod concrevit & conflatum est ex subjecto & forma.*

Abstractum; à verbo *abstraho*: quasi *ens quod à subjecto per mentem abstractum est*; seu quasi *forma à subjecto abstracta.*

Itaque, *Concretum* est subjectum unitum formæ seu proprietati seu qualitati, per quam determinatur ut sit tale: *Abstractum* verò est ipsamet illa forma aut proprietas aut qualitas, quæ tanquam à subjecto suo abstracta & separata consideratur.

Verbi gratia, idea quâ mihi *Justum* repræsento, habet pro objecto concretum: exhibet enim & exprimit subjectum in se habens justitiam. Idea verò qua mihi repræsento *Justitiam*, habet pro objecto abstractum: exhibet enim & exprimit unicè formam illam aut proprietatem aut qualitatem, qua justum redditur subjectum qualecumque cui inhæret, & à quo per ideam præcisivam aut per abstractionem metaphysicam separatur.

18. DIVISIO. *Concretum* dividitur in concretum physicum, in concretum metaphysicum, in concretum logicum.

I. *Concretum physicum* est subjectum unitum formæ quæ ipsi intrinseca simul & accidentalis est.

Tale est concretum istud, *Sapiens*: seu subjectum habens sapientiam, quae ipsi est intrinseca, & quæ ab ipso potest abesse.

II. *Concretum logicum* est concretum unitum formæ quæ ipsi & extrinseca & accidentalis est.

Talia sunt concreta ista, *Visum*, *Laudatum*: seu subjectum terminans visionem aut laudationem, quæ ipsi sunt extrinsecæ, ac proinde accidentales.

III. *Concretum metaphysicum* est subjectum unitum formæ quæ ipsi essentialis est, quæ ab ipso non distinguitur intrinsecè, quæ cum ipso realiter identificatur.

Talia sunt ista concreta, *Homo*, seu subjectum habens humanitatem; *Animal*, seu subjectum habens animalitatem; *Deus*, seu subjectum habens divinitatem; *Spiritus*, seu subjectum habens spiritualitatem.

In concretis omnibus metaphysicis, subjectum & forma sunt *res in se eadem & indivisa*, quam extrinsecè dividunt ideæ præcisivæ.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ABSTRACTIO METAPHYSICA.

19. OBSERVATIO. Cognitiones nostræ possunt habere pro objecto, vel naturam aliquam multis speciebus communem, quæ erit *Genus*; vel naturam aliquam multis duntaxat individuis communem, quæ erit *Species*; vel naturam aliquam unicam, quæ erit *Individuum*.

I. Objectum istius ideæ *Animal*, est genus quod & homini & leoni & columbæ & formicæ & omni animalium speciei convenit. Objectum istius ideæ *Homo*, est species quæ & soli hominum classi & singulis convenit hujus classis individuis. Objectum istius ideæ *Petrus*, est individuum quod nihil complectitur nisi Petrum, nisi talem individuali ex hominem.

II. Nihil aliud est *Abstractio metaphysica*, nisi idea quædam generalis cujus objectum convenit aut multis speciebus aut multis individuis. Unde genus & species, de quibus modò egimus, sunt objectum abstractionis metaphysicæ, cujus hæc dos est ut ad omnes scientias sternat iter.

PERCEPTIO, JUDICIUM, RATIOCINIUM.

20. OBSERVATIO. Tres mentis operationes sunt perceptio, judicium & ratiocinium seu syllogismus, de quibus fusiùs agemus in Dialectica: postquam varios certitudinis fontes & varia fundamina, quibus præparandi ad subtiliores Dialecticæ quæstiones nobis visi sunt juniorum Philosophiæ Alumnorum animi, in primo Philosophiæ nostræ tractatu exhibuerimus.

I. *Perceptio* est mera idea, aut mera sensatio mentalis, aut merus animi sensus, ab idea & sensatione distinctus, quibus percipimus aliquod objectum, nihil de eo affirmantes aut negantes.

II. *Judicium* est actus mentis, quo mens unam ideam cum alia connectit, vel ab ea separat: in priori casu, judicium est affirmativum; in posteriori, est negativum.

Objectum judicii, est illud in quod cadit affirmatio aut negatio: motivum judicii, est ratio per quam mens movetur ac determinatur ut, observatis duarum idearum objectis, unum objectum de alio affirmet aut neget.

Si illud judicium mentis, verbo aut scripto sese prodat exteriùs, erit *Propositio*. Verbi gratia, dum habeo & perceptionem mellis & perceptionem dulcitudinis; si dixero, *mel est dulce*: facio seu elicio propositionem.

III. *Ratiocinium* est actus mentis quo ex duobus judiciis præhabitis, tertium inferimus judicium. Verbi gratia, sint in mente mea duo hæc judicia: (omne vitium est fugiendum, desidia est vitium)! si ex duobus istis judiciis tertium hoc judicium inferam (*ergo desidia est fugienda*) elicio ratiocinium seu syllogismum.

VI. Perceptio, quæ etiam vocatur apprehensio, consistit in simplici mentis actu, quo attingit res. Propositio, quæ nihil aliud est quàm expressio judicii interni, consistit in simplici mentis actu; quo judicat duo objecta inter se convenire aut disconvenire. Ratiocinium, quod & *Syllogismus* nuncupatur, consistit in simplici mentis actu, quo unum infert ex alio, & est actus ipsemet illativus.

Unde intelliges perceptionem non componi ex objectis ipsis, quæ representantur aut quæ sentiuntur; judicium & propositionem non componi ex duabus perceptionibus objectivis, quæ de se affirmantur aut negantur; ratiocinium seu syllogismum non componi ex duobus judiciis præhabitis, quibus fundatur & ex quibus emanat judicium illativum.

PRÆVIA ARGUMENTATIONIS NOTITIA.

21. OBSERVATIO I. *Argumentatio* est ars aut stabiliendi aut impugnandi aliquam propositionem, juxta Dialecticæ leges & methodum. Fit communiter argumentatio per syllogismum, qui nihil aliud est nisi ratiocinium quo unum infertur ex altero, & qui potest esse, vel explicitus, vel implicitus.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

I. *Explicitus est Syllogismus*: si constet tribus propositionibus, quarum prima dicitur *Major*; secunda, *Minor*; tertia, *Consequentia*. Sit istud exemplum syllogismi expliciti, qui simpliciter syllogismus nuncupatur.

Nullus *spiritus* est substantiamaterialis:
Sed omnis anima humana est *spiritus*:
Ergo nulla anima humana est substantia materialis.

In omni syllogismo explicito reperiuntur tres termini, quorum duo comparantur cum uno tertio: verbi gratia, in præcedenti syllogismo, anima humana & substantia materialis sunt duo termini qui comparantur cum uno tertio termino, nempe cum spiritu.

Ex tribus illis syllogismi terminis, quisque nomen sibi peculiare habet. Terminus ille cui conferuntur duo alii, quique semper reperitur in majore & in minore, & nunquam in consequentia, vocatur *medius terminus*, seu terminus comparationis. Ex duobus aliis terminis, ille qui reperitur in majore & in consequentia, appellatur *majus extremum*; ille verò qui reperitur in minore & in consequentia, *minus extremum* nuncupatur.

Verbi gratia, in allato exemplo spiritus est medius terminus: anima humana est minus extremum: substantia materialis est majus extremum. Minus extremum est communiter subjectum consequentiæ; & majus extremum, ejusdem consequentiæ attributum.

II. *Implicitus est Syllogismus*: si duæ tantùm propositiones enuncientur, & subintelligatur tertia; quæ licet non enunciata influit in conclusionem seu consequentiam.

Hujusmodi argumentatio vocatur *Entimema*, cujus prior propositio nuncupatur *Antecedens*: & posterior, *Consequens*.

Istius argumentationis sit istud exemplum: (omne peccatum est malum: ergo omne peccatum est fugiendum), Hîc subintelligi vides hanc propositionem, *omne malum est fugiendum*: quæ propositio nisi vera esset, falsa foret consequentia.

22. OBSERVATIO II Cum Syllogismo apparentem aliquam habent similitudinem *Sophisma* & *Paralogismus*: quæ nihil aliud sunt quàm ratiocinia apparenter recta, realiter vitiosa; seu quæ sunt fallax quædam syllogismorum species, in quibus *consequentia* apparet legitima, licet sit spuria.

Ad veritatem ducere videntur sophisma & paralogismus, dum malè cautam mentem pertrahunt in errorem: cum hoc tamen discrimine, quod *Sophisma* procedere supponatur à mala fide, ab ingenio doloso, cui fallere est animus; *Paralogismus* verò ab ingenio aut non satis sagaci aut non satis attento, quod bona fide errat aut decipitur, sine ulla fallendi intentione.

COMPENDIOSA PROPOSITIONIS ANALYSIS.

23. OBSERVATIO I. *Propositio* est judicium mentis, verbo aut scripto manifestatum: ut supra observatum est. (20)

I. Omnis propositio est, vel affirmativa vel negativa; & sive affirmativa sit, sive negativa, tria necessariò includit, nempe Subjectum, Attributum & Verbum conjunctivum; quod verbum à Dialecticis vocari solet Copula propositionis. In exemplum adducantur duæ istæ propositiones contradictoriæ (*Deus est justus*, *Deus non est justus*) quarum prior est affirmativa, & posterior negativa.

Subjectum propositionis est id de quo aliquid affirmatur aut negatur: ut Deus in duabus istis propositionibus.

Attributum propositionis, quod & *Prædicatum* vocari solet, est id ipsum quod affirmatur aut negatur: ut justus in iisdem propositionibus.

Copula propositionis est verbum illud quo attributum aut jungitur cum subjecto aut à subjecto separatur: ut verbum *est*, verbum *non est*, in datis propositionis exemplis.

In propositionibus verbo substantivo carentibus, verbum quo suppletur verbum illud substantivum, est simul & copula & attributum propositionis. Verbi gratia, istæ propositiones (*Petrus cantat*, *Paulus amabit virtutem*) eum-

dem sensum logicum habent ac istæ (Petrus est cantans, Paulus erit amans virtutis).

II. Triplex est propositionum species: scilicet *Universalis*, cujus subjectum accipitur sine ulla limitatione; *Particularis*, cujus subjectum restringitur ad aliquam sui partem indeterminatam; *Singularis*, cujus subjectum restringitur ad aliquam sui partem determinatam.

Verbi gratia, ex tribus istis propositionibus; prima est universalis, secunda est particularis; tertia est singularis; (omnis homo est justus; aliquis homo non est justus; Petrus est justus),

III. Omnis propositio est, vel vera, vel falsa: prout ipsius objectum est aut non est uti per ipsam enunciatur. In concertationibus philosophicis, concedi debet propositio vera: negari debet propositio falsa.

In omni propositione affirmatur aut negatur unum de altero; nempe, attributum de subjecto. Ut autem *unum affirmetur de altero*; requiritur ut nihil sit in uno quod non reperiatur in altero: sed ut *unum negetur de altero*; sufficit ut aliquid sit in uno, quod non reperiatur in altero. Hinc ex duabus istis propositionibus, prior concedenda est, posterior est neganda: (omnis homo est mortalis: nullus homo est Rex Galliæ).

24. OBSERVATIO II. Omnis propositio est, vel in *materia necessaria*, vel in *materia contingenti*: prout ejus objectum est, vel aliquid in se necessarium, vel aliquid in se contingens.

I. *Contingens* dicitur id quod ita existit, ut posset non existere: *Necessarium* nuncupatur id quod est essentialiter tale. Verbi gratia, res omnes creatæ sunt entia in se contingentia: Deus solus est ens necessarium.

Unde *Contingentia rerum*, est absoluta ipsarum indifferentia ad existendum vel non existendum: *Necessitas rerum* est id vi cujus necessariò sunt & esse debent in se tales.

II. Dividitur rerum necessitas, in *necessitatem absolutam* & in *necessitatem hypotheticam*. Prior ab omni suppositione est independens: ab aliqua suppositione in rebus facta aut observata, pendet posterior.

Verbi gratia, necessitate absoluta necessarium est Deum existere, Deum in se justum & sapientem esse: necessitate hypothetica necessarium est hominem, si existat, esse compositum ex corpore organico & anima spirituali; triangulo, si existat, inesse tres angulos, & tria latera; me, si cogitem, si gaudeam aut doleam, realem & indubitatam habere existentiam.

FUNDAMENTALIA DIALECTICÆ PRINCIPIA.

25. OBSERVATIO I. | Syllogismus omnis est, vel affirmativus, vel negativus. *Affirmativus* est ille cujus conclusio est propositio affirmativa: *negativus* est ille cujus conclusio est propositio negativa | (21).

I. | Syllogismi affirmativi principium fundamentale istud est: *quæ identificantur cum uno tertio, identificantur inter se* | (5 & 13).

Scilicet, ex eo quod duæ ideæ objectivæ identificentur cum una tertia idea objectiva, ritè concluditur duas priores identificari inter se, seu unam & eamdem realiter esse rem.

II. | Syllogismi negativi principium fundamentale istud est: *si unum identificetur & alterum non identificetur cum uno tertio, duo illa non identificantur inter se.* |

Scilicet, ex eo quod ex duabus ideis objectivis una identificetur & altera non identificetur cum una tertia idea objectiva; ritè concluditur duas priores non identificari inter se, seu non esse rem in se eamdem.

26. OBSERVATIO II. Ab ultima hac observatione facilè colligentur & inferentur tres, quæ sequuntur & breviter explicantur, fundamentales leges; in quas resolvuntur omnes propè Dialecticæ circa syllogismum aut ratiocinium sanctiones.

I. *Tres tantùm esse debent in quovis argumento legitimo Termini.* Nam in eo totum stat illationis robur; quod duo comparentur cum uno tertio, ut inde inferatur duorum illorum aut identitas aut alteritas: quæ inferri nullatenus posset, si ex duobus comparandis unum compararetur cum uno tertio, & alterum cum alio quarto qualicumque.

II. *Debet in præmissis implicitè saltem contineri Conclusio.* Nam ex præmissis non posset educi id quod nullatenus in præmissis contineretur.

Præmissarum nomen datur duabus primis syllogismi expliciti aut impliciti propositionibus: quæ conclusioni seu consequentiæ præmittuntur, & ipsam quodammodò pariunt.

II. *Medius terminus debet in una saltem præmissarum distribui*: hoc est, sumi debet secundùm omnem suam extensionem & universalitatem, secundùm omnia quæcumque individua quæ ab illo exprimuntur, quæ sub illo continentur.

Nam nisi ita distribuatur medius terminus qui res aut partes diversas continet: fieri poterit ut duo alii termini cum illo comparentur secundùm diversas ipsius partes. Tunc autem medius terminus æquivalebit gemino termino; & illegitima erit illatio, qualem in isto deprehendes argumento:

Aliqua *materia* est lignum:
Sed marmor est aliqua *materia*:
Ergo marmor est lignum.

Malè, inquam, concluditur in hoc argumento: quia medius terminus, nempe *Materia*, contrahitur in utraque præmissa; & quia materia quæ dicitur esse marmor, non eadem est materia quæ dicitur esse lignum. Unde, lignum & marmor cum diversis materiæ partibus comparantur; & in argumento communis nullus est comparationis terminus.

¿Visne legitimum in hac re argumentum conficere? Distribuatur medius Terminus, seu sumatur secundùm omnem suam significationem & extensionem, in una saltem Præmissarum; & dicatur: omnis materia est lignum! Tunc falsa erit prima propositio; sed argumentatio erit legitima.

27. CONCLUSIO. Qualis Rex bellator, stimulante laudis aut ambitionis cupidine, ab alta prius aliqua statione prospectare procul & perlustrare conatur ignotas & invias plagas, ubi bellando & famam & dominatum sibi parare intendit; ut præcognita, quantùm necesse est, regionis & nationis adeundæ natura, inde sibi prævia ad triumphos lumina pariat & consilia.

Sic futurus Philosophiæ Alumnus à præviis istis observationibus, tanquam à specula in philosophicas omnes plagas dominante, prævidere utiliter incipiet quid sit Principiorum, quid Morum, quid Legum, novæ Regioni quam habitare, cujus luminibus ditari ambit; & quibus ingenii dotibus præditum & artibus munitum oporteat ipsum esse, ut in ea ad Scientiam, ad Famam, ad Triumphos, & fortè etiam ad Fortunam, certum sibi planumque iter aperiat.

Si fortè quæratur cur primùm Philosophiæ nostræ tractatum non sibi vindicet Dialectica seu Logica: ratio est, quia experientia duce didicimus ante assuefaciendam esse teneram & quasi vacuam Tyronum mentem ad indagationem Veritatum magis sensibilium, magis intellectui & imaginationi patentium & placentium; quàm deducatur ad nimis subtiles nimisque hirsutas Dialecticæ quæstiones, quibus à Philosophia sæpe in perpetuum abalienatur, ipsius utilitatem & amœnitatem nondum experta, ipsius deliciis nondum inescata.

Displicebunt minùs, minusque difficultatis & asperitatis præ se ferre videbuntur Dialecticæ subtilitates: cum jam philosophari assuefacta Mens, plus stabilitatis & plus acuminis dare cœperit suis perceptionibus; cumque jam sæpe philosophando experta fuerit per semetipsam, quantæ utilitatis, quantæque necessitatis sibi sit Dialecti-

ca, ut certo firmoque gradu ad sublimiores omnes scientias (quarum ipsi jam tum innasci incipiet amor) accuratè definiendo & dividendo, rectè ratiocinando & disserendo, tenebrosis sese solerter expediendo sophismatibus, possit assurgere.

Si quibus tamen Philosophiæ Professoribus videbitur, philosophicarum speculationum simul & concertationum initium poni debere in ipsamet Dialectica: facile erit ipsis, sine ulla in philosophicis istis Institutionibus mutatione, Discipulos suos ad secundum hujus Operis tractatum, primo ad tempus omisso, statim deducere.

INSTITUTIONUM PHILOSOPHICARUM TRACTATUS PRIMUS.

DE HUMANA CERTITUDINE.

28. OBSERVATIO. Philosophari incipientem oportet, ab ipso Philosophiæ ingressu, aut jaciendis aut explorandis humanæ Certitudinis fundaminibus incumbere. Exigui in orbe Puncti incola, excussis infantiæ tenebris, in Cognitiones ardet Homo: nisi stupidum & bardum sortitus est ingenium. At ipsi quid certum, quid scitu dignum videbitur: si ab ipso ignorentur, aut si incerta ipsi & dubia reputari possint, ipsamet Certitudinis fundamina.

Præter *Sensum intimum*, quo suæ sibi existentiæ conscius est: duplex ipsi statim & ubique occurit cognitionum principium, *Ideæ* scilicet & *Sensationes*, quibus subinde additur *Testimonium Hominum*. Unde, quadruplici ex fonte oritur humana omnis Certitudo: nempe à testimonio Sensûs intimi, à testimonio Idearum, à testimonio Sensuum, à testimonio Hominum.

De rebus quæ intrà nos geruntur, certi fimus per Sensum intimum. Principiorum veritatem rerumque essentias & relationes nobis manifestant Ideæ. Entium sensibilium existentiam & ordinem patefacit nobis testimonium Sensuum. Factorum illustrium rerumque præteritarum cognitioni & quasi spectaculo nos admiscet testimonium Hominum. Quatuor hi Certitudinis fontes, quatuor hæc Certitudinis fundamenta, totidem successivè quæstionibus subjicientur.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ca, ut certo firmoque gradu ad sublimiores omnes scientias (quarum ipsi jam tum innasci incipiet amor) accuratè definiendo & dividendo, rectè ratiocinando & disserendo, tenebrosis sese solerter expediendo sophismatibus, possit assurgere.

Si quibus tamen Philosophiæ Professoribus videbitur, philosophicarum speculationum simul & concertationum initium poni debere in ipsamet Dialectica: facile erit ipsis, sine ulla in philosophicis istis Institutionibus mutatione, Discipulos suos ad secundum hujus Operis tractatum, primo ad tempus omisso, statim deducere.

INSTITUTIONUM PHILOSOPHICARUM TRACTATUS PRIMUS.

DE HUMANA CERTITUDINE.

28. OBSERVATIO. Philosophari incipientem oportet, ab ipso Philosophiæ ingressu, aut jaciendis aut explorandis humanæ Certitudinis fundaminibus incumbere. Exigui in orbe Puncti incola, excussis infantiæ tenebris, in Cognitiones ardet Homo: nisi stupidum & bardum sortitus est ingenium. At ipsi quid certum, quid scitu dignum videbitur: si ab ipso ignorentur, aut si incerta ipsi & dubia reputari possint, ipsamet Certitudinis fundamina.

Præter *Sensum intimum*, quo suæ sibi existentiæ conscius est: duplex ipsi statim & ubique occurit cognitionum principium, *Ideæ* scilicet & *Sensationes*, quibus subinde additur *Testimonium Hominum*. Unde, quadruplici ex fonte oritur humana omnis Certitudo: nempe à testimonio Sensûs intimi, à testimonio Idearum, à testimonio Sensuum, à testimonio Hominum.

De rebus quæ intrà nos geruntur, certi fimus per Sensum intimum. Principiorum veritatem rerumque essentias & relationes nobis manifestant Ideæ. Entium sensibilium existentiam & ordinem patefacit nobis testimonium Sensuum. Factorum illustrium rerumque præteritarum cognitioni & quasi spectaculo nos admiscet testimonium Hominum. Quatuor hi Certitudinis fontes, quatuor hæc Certitudinis fundamenta, totidem successivè quæstionibus subjicientur.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Impugnandi nobis & confutandi sunt in hoc tractatu, tum Pyrrhonii qui omnem penitus certitudinem labefactant; tum Malebranchius & Berkleius, qui Sensuum testimonio omnem abrogant fidem; tum Incredulorum quorumdam vesana gens, quæ Factorum historicorum certissimam veritatem elevare & evertere nititur, ut inde in Religionem impudenter debachari sibi liceat. Sed ante, præmittendæ nobis sunt generales quædam notiones, ad totum hunc tractatum relativæ.

CERTITUDO ET EVIDENTIA.

29. DEFINITIO I. Spectari potest Certitudo, vel in suo objecto, vel in suo motivo, vel in suo subjecto.

I. *Certitudo Objecti*, est rei quæ cognoscitur, absoluta vel hypothetica immutabilitas. Sic dicimus rem in se certam.

II. *Certitudo Motivi*, est pondus firmarum rationum, intellectum impellens & rapiens ad assensum. Sic dicimus motivum certum.

III. *Certitudo Subjecti*, est firma, seu firmo nixa motivo adhæsio alicui veritati. Sic dicimus: certus sum.

30. DEFINITIO II. Evidentia est certa & clara alicujus rei cognitio; seu est intimus ille mentis intuitus, quo deprehendimus objecta aliter se habere non posse. Alia objectiva, alia formalis, est Evidentia.

I. *Evidentia objectiva* est ipsummet objectum, quatenus clarè & perspicuè potest cognosci; seu, est ipsamet objecti clara & perspicua cognoscibilitas. Sic dicimus: res est in se evidens.

II. *Evidentia formalis* est ipse mentis actus, objectum aliquod clarè repræsentans. Sic dicimus: res mihi est evidens.

Formalem evidentiam sequitur firmum & imperturbatum Intellectus judicium, quo rei assentitur; & ex quo nascitur internus ille Veritatis sensus, qui est Veritatis infallibile signum, indubitabile *Criterium*; seu quo dato & posito dari necesse est & dari constat indubitatam veritatem, veram & realem evidentiam.

31. ADNOTATIO I. Evidentia rerum alia est intrinseca, alia extrinseca.

I. *Evidentia intrinseca* est illa quæ oritur ab intrinseca objectorum natura: quando scilicet talia objecta sine talibus constitutivis esse nullo modo posse intelligitur. Sic evidens est Triangulum esse figuram tribus constantem angulis & lateribus; Hominem esse compositum ex corpore organico & anima rationali.

II. *Evidentia extrinseca* est ea quæ oritur ab aliquo motivo extrinseco & evidente, quod cum tali Veritate evidentem & necessariam habet connexionem. Sic evidens est evidentia extrinseca existere in Deo Personarum Trinitatem: posito quòd Deus id revelaverit. Idea enim Dei primo intuitu exhibet Ens falli & fallere nescium.

Prior evidentia in objectum irradiat, objecti naturam facit perspicuam: evidentia posterior in intimam objecti naturam non irradiat, nec objecti in se spectati tenebras discutit.

32. ADNOTATIO II. Evidentia alia dicitur primaria, alia secundaria nuncupatur.

I. Per *Evidentiam primariam* intelligimus eam quæ inest, tum Cognitionum Principiis, quæ omnibus Sanis nota sunt & evidentia, & quæ negat nemo, nisi stultus sit & improbus; tum Veritatibus quibusdam in se simplicissimis, quæ ab illis principiis immediatè & evidenter fluunt.

II. Per *Evidentiam secundariam* intelligimus eam quæ inest *quibusdam Veritatibus* à primis illis Principiis evidenter quidem at subtiliter & remotè fluentibus; quæque non obtinetur nisi per quandam Conclusionum intermediarum quasi catenam, in qua *ultima Conclusio* emanare intelligitur à Principio aliquo in se certo & evidente, quocum est necessariò connexa.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Evidentia primaria omnibus sana mente præditis innotescit: Evidentia secundaria respectiva est; id est, aliis innotescit, aliis verò non innotescit.

Quanta vultuum, tanta est ingeniorum diversitas. Potentius alii & sagacius ingenium, debilius alii & tardius, impertita est Natura. Priori obvium interdum est & facile, quod posteriori arduum & inaccessum est, in Veritatibus detegendis.

III. Requiritur ad assequendam secundariam hanc evidentiam, quæ propriè *Philosophi Evidentia est*: requiritur, inquam, ingenium sagax, idearum tenax, capax reflexionis, & sentiendæ veritati idoneum. Pendet enim Evidentia hæc philosophica ab idearum intimo intuitu & serio examine. Hanc autem evidentiam assequi nunquam poterit ingenium, vel stupidum & bardum, quod ideis careat; vel leve & inconsideratum, quod ideis attentionem & reflexionem vix ullam impendat; vel obliviosum & idearum non tenax, in quo non existant nisi fugaces ideæ, nulli maturo examini, sufficienti nulli inter se comparationi patentes; vel pertinax & indocile, quod præjudicatis imbutum opinionibus, Veritati & Evidentiæ oculos claudat, obstinatè reluctetur. Hinc intelliges, quas in Alumnis suis requirat dotes Philosophia.

33. ADNOTATIO III. Certitudo præscindit ab Evidentia: Evidentia non præscindit à Certitudine, sed ipsam includit. Omnis propositio evidens est certa: at non omnis propositio certa est evidens.

Evidentia addit Certitudini perspicuitatem. Evidentia est lux quædam quæ tenebras à mente expellit, quæ objectum simul & intellectum irradiat: Certitudo verò sine tali luce stare potest & sæpe stat. (31)

Unde Evidentia extrinseca, de qua modò loquebamur, Certitudinis potiùs quàm Evidentiæ nomen meretur.

CERTITUDO METAPHYSICA, PHYSICA, MORALIS.

34. OBSERVATIO. Tripliciter potest certum esse Judicium: scilicet, vel metaphysicè, vel physicè, vel moraliter.

I. *Judicium metaphysicè certum* illud dicitur, quod ita certum est ut ne divinitus quidem & per miraculum possit esse falsum.

Sic metaphysicè certum est triangulum constare tribus angulis; totum esse sua parte majus; effectum supponere aliquam suæ existentiæ causam; futuram esse generalem aliquam Mortuorum resurrectionem, si futurum illud factum prænunciando revelaverit Deus falli & fallere nescius.

II. *Judicium physicè certum* vocatur illud, quod falsum esse non possit sine miraculo, possit tamen per miraculum.

Sic physicè certum est Solem cras oriturum; futuram tali tempore Lunæ aut Solis eclipsim; Hominem cui amputatur caput, vita privatum iri.

III. *Judicium moraliter certum* illud appellatur, quod innititur testimoniis humanis omnem veritatis speciem præ se ferentibus, omnem mendacii suspicionem à se expellentibus; illud cujus objectum tot tantisque Auctoritatibus humanis munitur & stabilitur ut non possit in dubium revocari, nisi ineptè simul & absurdè supponatur ita alienam esse à Veritatis amore naturam humanam, ut possit Hominum generalitas *Falsitati cognitæ*, conspirantibus studiis unanimiter & constanter suffragari.

Sic moraliter certum est existere Imperium Sinense, extitisse Imperium Romanum; victorem fuisse in Pharsalico certamine Cæsarem, victumque Pompeium.

IV. Hinc vides quid sit Certitudo, tum metaphysica, tum physica, tum moralis. *Certitudo metaphysica* fundatur in evidentia vel intrinseca vel extrinseca; *Certitudo physica*, in cognitis naturæ legibus, quæ à solo ipsius auctore Deo possunt inverti & immutari; *Certitudo moralis*, in cognitis humanorum individuorum humanarumque Societatum mo-

ribus, quos & tales esse & talem habere influxum docuit Observatio & Experientia.

35. ADNOTATIO. A communi definitione totaliter differt nostra hæc ultima definitio *Judicii moraliter certi*, seu *Certitudinis moralis.*

Juxta vulgarem definitionem, Judicium moraliter certum illud dicitur, quod ita certum est ut vix possit esse falsum, possit tamen absolutè & sine miraculo. Sic, inquiunt, *morali Certitudine* certum est iratam filio suo matrem, ad maternos erga ipsum affectus redituram.

Verùm talis definitio manifestam in ipsismet terminis contradictionem involvit. Quid enim certitudinis est, in Judicio absolutè incerto, in objecto quod absolutè potest esse aliter quàm judicatur?

Unde, cum talis Certitudo nihil sit nisi magna quædam *Verisimilitudo*, cui motivum sunt cogniti Hominum mores: à classe Certitudinis expungenda videtur, & ad classem Verisimilitudinis releganda.

VERITAS ET FALSITAS.

36. DEFINITIO I. *Veritas in genere*, est semper aliqua inter duo conformitas: sicut Falsitas in genere, est talis conformitatis inter duo, defectus.

I. Veritas, in genere spectata, alia est cognitionis, alia signi, alia imitationis.

Veritas cognitionis, est conformitas cognitionis cum re cognita. Sic dicimus: Vir talis veras habet rerum ideas, vera de rebus habet judicia.

Veritas signi, est conformitas rei significantis cum re significata. Sic vera loqui dicimur, cum verba rebus congruunt: sic veri esse dicimur, cum apparentiæ realitati consonant.

Veritas imitationis, est Exemplaris cum Archetypo suo conformitas. Sic vera dicitur Pictoris tabella, cum perfectè conformis est objecto quod ipsi erat imitatione exprimendum.

II. Veritas est ex una parte, expressiva; ex altera parte, objectiva.

Veritas expressiva est conformitas aut Ideæ aut Judicii aut Propositionis aut Tabellæ aut Signi, cum objecto expresso: stat illa veritas in re exprimente.

Veritas objectiva est talis in objecto expresso existendi modus, qui rei exprimenti est conformis: stat illa veritas in objecto expresso, & extra rem exprimentem.

III. Objectiva rerum veritas potest esse, vel veritas Speculationis, vel veritas Facti.

Veritas Speculationis ea est, cujus objectum est essentialis aliqua rerum proprietas, vel positiva, vel negativa, quæ ex sola rei inspectione dignoscitur. Talis est hæc veritas: Triangulus tres includit angulos, quartum excludit angulum.

Veritas Facti ea est, cujus objectum est Factum aliquod accidentale, quod vel extitisse vel existere vel extiturum demonstratur, non per solam rerum ideam, sed per aliquod motivum rebus extrinsecum. Talis est hæc veritas: in Fonteneo certamine victor fuit Ludovicus decimusquintus.

Sint duæ istæ Propositiones (potuit auctor Naturæ & Religionis Deus, supernaturalem aliquam Revelationem dare: dedit auctor Naturæ & Religionis Deus, supernaturalem aliquam Hominibus Revelationem): veritatem Speculationis prior, Facti veritatem posterior includit.

37. DEFINITIO II. Consistit *Veritas Propositionis*, in conformitate ipsius cum objecto suo quod in se tale est uti per Propositionem enunciatur & exprimitur: in talis conformitatis defectu consistit *Propositionis Falsitas.* (23)

I. Omnis Propositio est necessariò, vel vera, vel falsa: fieri enim non potest ut ipsius objectum, neque sit, neque non sit, id quod enunciat propositio.

Propositiones illæ veræ sunt, quarum objectum se habet utì ab ipsis enunciatur: propositiones illæ falsæ sunt, quarum objectum non se habet utì ab ipsis enuntiatur:

qualecumque sit illud propositionum objectum, quod potest indifferenter esse, vel res quæ olim sit extitura, vel res merè idealis & realem nunquam habitura existentiam.

II. Jam verò inter *Propositiones veras*, aliæ dicuntur veræ veritate æterna, aliæ veræ veritate contingenti: habita ratione modi quo ipsis inest veritas.

Propositiones *æternæ Veritatis*, sunt illæ quæ in nulla hypothesi possibili possunt esse falsæ. Tales sunt istæ Propositiones: (Totum est æquale omnibus suis partibus simul sumptis: Deus est sapiens & justus: Quadratum constat rectis quatuor & angulis & lateribus). Nulla enim fieri potest suppositio, in qua falsæ sint istæ propositiones.

Propositiones *Veritatis contingentis*, sunt illæ quæ veræ quidem sunt in præsenti rerum ordine, sed quæ in alio rerum ordine potuissent esse falsæ. Tales sunt istæ propositiones: (Corpora terrestria versùs centrum Terræ gravitant: Homo & peccator est & mortalis: futura est nova Hominibus post mortem vita, bonis beata, malis misera).

Veræ quidem nunc sunt semperque fuerunt in se tres ultimæ istæ propositiones, quia sunt objecto suo conformes. Sed veræ non sunt nisi *Veritate contingente*: quia si Mundum non creavisset, aut si Mundo creato alium rerum ordinem dedisset Deus; propositiones illæ, quæ nunc veræ sunt, fuissent falsæ.

VERISIMILITUDO, PROBABILITAS, ERROR, PRÆJUDICATA OPINIO, DUBIUM.

38. DEFINITIO I. *Verisimilitudo* est insignis quidem sed tamen subdubia veritatis species. Tunc autem duntaxat existit insignis illa veritatis species, seu apparentia: cum longè multò plus apparet veritatis, quam falsitatis.

Hinc Judicium verisimile, Ratio verisimilis, Systema verisimile, illa sunt quæ ingentissimam veritatis apparentiam præ se ferunt.

39. DEFINITIO II. *Probabilitas* est ratio gravis, quæ viro

docto, prudenti, attento, potest approbari, ipsumque inclinare ad assensum. Probabilitas minus aliquid dicit, quam Verisimilitudo: utrique opponitur Absurditas (11).

40. DEFINITIO III. *Error* est Judicium falsum, ex ratione apparenter vera latum. Errori opponitur veritas cognitionis.

41. DEFINITIO IV. *Præjudicatæ Opiniones* sunt Judicia quæ, vel sine motivo, vel sine sufficienti ad motivum attentione lata sunt. Talia sunt multa Judicia, quæ ante rationis usum tulimus.

Præjudicatæ opiniones possunt esse judicia vera, seu judicia objectis suis conformia (37): communiter tamen præjudicatarum opinionum nomine intelliguntur judicia falsa (42).

42. DEFINITIO V. *Dubium* est considerata mentis suspensio inter affirmationem & negationem. Dubio opponitur Certitudo (29).

I. Vel positivum, vel negativum potest esse Dubium. *Dubium positivum* est suspensio assensus, proveniens ex æquali rationum pondere pro utraque parte contradictionis. *Dubium negativum* est suspensio assensus; ex eo proveniens quòd sit ex utraque parte æqualis rationum defectus.

II. In eo consistebat *methodicum Cartesii Dubium*, quòd omnes ad philosophicum examen ita revocarentur veritates; ut nulli Veritati antedaretur assensus, quàm solidis & in suo genere demonstrativis rationibus fuisset stabilita.

Ita dubitare, non Pyrrhonii est, sed Philosophi. Tali dubio, non modò non labefactatur, sed potiùs corroboratur & consolidatur Certitudo.

ESSENTIA, NATURA, LEGES NATURÆ, MIRACULUM.

43. DEFINITIO I. *Essentia rei*, sunt illa ipsius constitu-

tiva intrinseca, quibus necessariò constare intelligitur; & sine quibus nec esse potest, nec concipi (*).

I. In rebus plerisque, quæ nostris sunt cognitionibus obviæ, deprehendimus, tum constitutiva quædam necessaria & essentialia, tum constitutiva quædam accidentalia & contingentia. Constitutiva illa rerum, in speculationibus philosophicis, communiter appellantur *Attributa* aut *Prædicata*: quia attribuuntur rebus, quia de rebus prædicantur seu affirmantur.

Constitutiva rei necessaria & essentialia sunt illa quibus carere non potest res, sine sui destructione. Sic tres anguli & tria latera sunt constitutiva necessaria & essentialia Trianguli: quia sine illis nullatenus existere potest Triangulus. Sic corpus organicum & anima rationalis sunt constitutiva necessaria Homini: quia sine illis nullatenus existere potest Homo.

Constitutiva rei accidentalia & contingentia sunt illa quibus carere potest res sine sui destructione; seu sunt illa quæ in re ita sunt, ut in re naturam suam fundamentalem retinente, possint non esse. Sic talis statura, talis color, talis virtus aut tale vitium sunt constitutiva seu attributa Homini accidentalia & contingentia: quia permanente in ipso eadem hominis natura, in ipso possunt esse, ab ipso possunt abesse.

II. In duplici statu, seu sub duplici respectu spectari potest rerum essentia; scilicet in statu physico & in statu metaphysico. In priori statu spectata, essentiæ physicæ nomen habet; in posteriori, nomen essentiæ metaphysicæ. Unde,

Essentia Rei alicujus vocatur *Essentia physica*: quando constitutiva ipsius spectantur qualia sunt in semetipsis, qualia sunt in ipsa re, sine ulla abstractione. Sic corpus organicum & anima rationalis sunt physica Hominis essentia.

(*) ETYMOLOGIA: *Essentia Entium* seu id quod intrinsecè facit *esse Entia*; id sine quo esse Entia nullatenus possunt.

Essentia Rei alicujus vocatur *Essentia metaphysica*: quando constitutiva ipsius essentialia considerantur in statu præcisionis & abstractionis, sub idea proprietatum genericarum & proprietarum differentialium. Sic capacitas habendi, dependenter ab organis corporeis, tum Sensationes quibus cum brutis confunditur, tum Ratiocinia quibus distinguitur à brutis, essentiam hominis metaphysicam constituit.

44. DEFINITIO II. Multiplicem habet significationem terminus iste *Natura*: ut patebit ex sequentibus ipsius ad varia objecta applicationibus.

I. Naturæ nomine communiter intelligitur ipsummet *aggregatum Entium creatorum*, quibus constat Mundus iste aspectabilis, totaque rerum universitas. In hoc sensu & sub hoc respectu dicimus: mirabilis est Naturæ ordo, mirabile Naturæ spectaculum.

II. Naturæ nomine frequenter exprimitur *generalis & permanens Creatoris actio*, qua, juxta leges quasdam constantes & invariabiles, moventur, animantur, conservanturque omnes Entium sensibilium species. In hoc sensu & sub hoc respectu dicimus: inest Naturæ vis & actio, quæ nobis nunquam erit perfectè cognita.

III. Naturæ nomine interdum enuntiantur Facultates communes, quas quibusdam Entium speciebus indidit auctor Naturæ Deus. In hoc sensu & sub hoc respectu dicimus: Canis natura est, ut latret; hominis, ut ratiocinetur; luminis, ut irradiet.

IV. Naturæ nomine sæpe designatur Individuorum *proprius & peculiaris caracter*. In hoc sensu & sub hoc respectu dicimus de tali Homine, quòd sit ex natura sua iracundus, aut avarus, aut ambitiosus.

V. Naturæ nomine aliquando significantur *Constitutiva intrinseca & essentialia* Rei de qua mentio est; & sub hoc respectu Natura eundem habet sensum, quem habet Essentia (43).

45. DEFINITIO III. Nihil aliud sunt *Leges Naturæ*, quàm *constans ille & permanens rerum Ordo*, qui deprehenditur & observatur in Corporibus tum terrestribus, tum cælestibus; qui viget in eorum motu, in eorum duratione, in eorum actione; &, si instabilem & temporariam habent existentiam, in modo quo & efformantur & dissolvuntur.

Verbi gratia, generalis est Lex Naturæ, quòd Corpora terrestrius versus Terræ centrum gravitent; quòd Sol, intra vigentiquatuor horas, motu successivo & non interrupto; circa Terram gyret aut gyraret videatur; quòd ad vitam non redeat exanimum Cadaver; & sic de cæteris. Suspensio aut interruptio alicujus ex generalibus istis Naturæ Legibus, Miraculum erit.

Generalibus illis Naturæ Legibus nulla alia attribui & assignari potest causa, nisi *primaria & permanens Creatoris voluntas*; qua decrevit & statuit, Naturæ existentiam dando & ordinem, tales permanenter effectus producere in variis Corporum speciebus, data tali occasione: verbi gratia, producere permanentem in Corporibus terrestribus gravitationem, ad occasionem existentis Terræ; producere permanentem in glande quercea vegetationem, ad occasionem glandis illius in conveniente terra depositæ; & sic de reliquis.

46. DEFINITIO IV. *Miraculum* est sensibilis & manifesta alicujus Naturæ Legis interruptio aut suspensio, quam ideo per breve aliquod tempus operatur Deus; ut inde salutaris quædam manifestetur hominibus Veritas, quæ sic divino sese testimonio exhibeat confirmatam, divino quasi sigillo impressam & munitam.

Miraculum est quòd reviviscat Mortuus, quòd sistatur Sol, quòd videat Cæcus, quòd paralyticus derepentè sanetur & ambulet. Interruptiones illæ generalium Naturæ Legum, de quibus frequens in sacris Libris mentio est, factæ sunt pleræque, aut ad demonstrandam veræ Religionis divinitatem, aut ad manifestandam peculiarem Dei erga Pios & Probos providentiam.

Evidens est quòd generalis alicujus Naturæ Legis influxum ille solus possit aliquando suspendere & interrumpere, qui tales Naturæ dedit & imposuit Leges auctor ipsius Deus.

Ex hac Miraculi definitione sequitur quòd Miraculum, si existat, sit *Factum aliquod supernaturale*: cui causa sit actio Entis alicujus in ipsam dominantis Naturam, cujus suspendit & interrumpit Leges, ad arbitrium suum.

QUÆSTIO PRIMA.

CERTITUDO TESTIMONIO SENSUS INTIMI FUNDATA.

47. DEFINITIO. *Sensus intimus* est in substantia cogitante & sensibili, ipsamet rerum quæ intra ipsam fiunt, conscientia: seu est ea Naturæ vox, qua substantiæ cogitanti & sensibili inotescit quo pacto intra se afficiatur: seu, est illud Animæ judicium experimentale, de variis quas experitur affectionibus.

Rem exemplo intellige. Si, aliquo dolore affectus, interrogeris unde certus sis te dolere: respondes, *quia sentio*. Ecce tibi Sensum intimum, quo tui conscius tibi es doloris; & quo unico motivo asseris te dolere.

Sed hic observa sedulò, quòd Sensus intimus certos nos faciat de sensatione tantùm interna quæ in Anima ipsa existit, non verò de sensatione externa & occasionali quæ resi let in organis corporeis. Sic, si combustionem patiare, certus es per Sensum intimum, te pati ingratam sensationem, quam vocas *Combustionem* non verò certus es illam sensationem, illam combustionem, oriri ab ipso igne; quia sine igne absolutè potest esse talis in te sensatio.

45. DEFINITIO III. Nihil aliud sunt *Leges Naturæ*, quàm *constans ille & permanens rerum Ordo*, qui deprehenditur & observatur in Corporibus tum terrestribus, tum cælestibus; qui viget in eorum motu, in eorum duratione, in eorum actione; &, si instabilem & temporariam habent existentiam, in modo quo & efformantur & dissolvuntur.

Verbi gratia, generalis est Lex Naturæ, quòd Corpora terrestrius versus Terræ centrum gravitent; quòd Sol, intra vigentiquatuor horas, motu successivo & non interrupto; circa Terram gyret aut gyraret videatur; quòd ad vitam non redeat exanimum Cadaver; & sic de cæteris. Suspensio aut interruptio alicujus ex generalibus istis Naturæ Legibus, Miraculum erit.

Generalibus illis Naturæ Legibus nulla alia attribui & assignari potest causa, nisi *primaria & permanens Creatoris voluntas*; qua decrevit & statuit, Naturæ existentiam dando & ordinem, tales permanenter effectus producere in variis Corporum speciebus, data tali occasione: verbi gratia, producere permanentem in Corporibus terrestribus gravitationem, ad occasionem existentis Terræ; producere permanentem in glande quercea vegetationem, ad occasionem glandis illius in conveniente terra depositæ; & sic de reliquis.

46. DEFINITIO IV. *Miraculum* est sensibilis & manifesta alicujus Naturæ Legis interruptio aut suspensio, quam ideo per breve aliquod tempus operatur Deus; ut inde salutaris quædam manifestetur hominibus Veritas, quæ sic divino sese testimonio exhibeat confirmatam, divino quasi sigillo impressam & munitam.

Miraculum est quòd reviviscat Mortuus, quòd sistatur Sol, quòd videat Cæcus, quòd paralyticus derepentè sanetur & ambulet. Interruptiones illæ generalium Naturæ Legum, de quibus frequens in sacris Libris mentio est, factæ sunt pleræque, aut ad demonstrandam veræ Religionis divinitatem, aut ad manifestandam peculiarem Dei erga Pios & Probos providentiam.

Evidens est quòd generalis alicujus Naturæ Legis influxum ille solus possit aliquando suspendere & interrumpere, qui tales Naturæ dedit & imposuit Leges auctor ipsius Deus.

Ex hac Miraculi definitione sequitur quòd Miraculum, si existat, sit *Factum aliquod supernaturale*: cui causa sit actio Entis alicujus in ipsam dominantis Naturam, cujus suspendit & interrumpit Leges, ad arbitrium suum.

QUÆSTIO PRIMA.

CERTITUDO TESTIMONIO SENSUS INTIMI FUNDATA.

47. DEFINITIO. *Sensus intimus* est in substantia cogitante & sensibili, ipsamet rerum quæ intra ipsam fiunt, conscientia: seu est ea Naturæ vox, qua substantiæ cogitanti & sensibili inotescit quo pacto intra se afficiatur: seu, est illud Animæ judicium experimentale, de variis quas experitur affectionibus.

Rem exemplo intellige. Si, aliquo dolore affectus, interrogeris unde certus sis te dolere: respondes, *quia sentio*. Ecce tibi Sensum intimum, quo tui conscius tibi es doloris; & quo unico motivo asseris te dolere.

Sed hic observa sedulò, quòd Sensus intimus certos nos faciat de sensatione tantùm interna quæ in Anima ipsa existit, non verò de sensatione externa & occasionali quæ resi let in organis corporeis. Sic, si combustionem patiare, certus es per Sensum intimum, te pati ingratam sensationem, quam vocas *Combustionem* non verò certus es illam sensationem, illam combustionem, oriri ab ipso igne; quia sine igne absolutè potest esse talis in te sensatio.

PROPOSITIO FUNDAMENTALIS

48. *Sensus intimus parit indubitabilem de objecto suo certitudinem.*

DEMONSTRATIO. Explicatione magis quàm ratiociniis indiget propositio per se certissima & evidentissima.

Nam, ex eo quòd sentio me existere, me cogitare, certa mihi & indubitata est penitus existentia mea, cogitatio mea. Ex eo quòd sentiam me cogitare de Triangulo; indubitanter scio de Triangulo me cogitare. Ex eo quod me sentio dolere aut lætari; sine ulla errandi formidine affirmo & assero me dolorem aut lætitiam in me ipso experiri.

Adeò mihi certum & evidens illud est, ut ne fingere quidem possim, nisi reclamante conscientia, me, dum sentio existentiam meam, non existere; dum sentio cogitationem meam, non cogitare; dum sentio dolorem meum non dolere. Ergo Sensus intimus indubitabilem parit de objecto suo certitudinem Q. E. D. (*)

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

49. OBJECTIO I. Illud non parit indubitabilem de objecto suo certitudinem, cujus objectum potest vel esse, vel non esse: atqui objectum Sensus intimi, potest vel esse, vel non esse: ergo Sensus intimus non parit indubitabilem de objecto suo certitudinem. Probo minorem. Mea existentia, cogitatio mea, dolor meus, sunt objectum mei Sensus intimi: atqui hæc omnia possunt vel esse, vel non esse; possunt enim absolutè non exitiere: ergo objectum Sensus intimi potest vel esse vel non esse; ac proinde certam non habet existentiam.

(*) ADNOTATIO. Tres istæ Litteræ initiales significant; *quod erat demonstrandum.*

RESPONSIO. Concedo majorem, & nego minorem. Ad probationem, concedo majorem, & distinguo minorem: atqui hæc omnia possunt non existere, quando sentiuntur, quando sunt objectum Sensus intimi, nego minorem: quando non sentiuntur, quando non sunt objectum Sensus intimi, concedo minorem; & nego consequentiam.

Existentia mea est aliquid contingens; seu est aliquid quod absolutè potest esse vel non esse. At, dum sentio existentiam meam, impossibile est ut hîc & nunc non existam.

Judicium Sensu intimo nixum est in materia, non absolutè quidem, sed hypotheticè necessaria. Existentia rerum quæ possunt non existere, non potest revocari in dubium ab eo qui illas in se sentit.

Judicium in materia absolute necessaria, est illud cujus objectum est necessariò tale in omni suppositione seu hypothesi posibili. Potest & debet istud judicium ad Propositiones æternæ veritatis revocari (37).

Judicium in materia hypotheticè necessaria, est illud cujus objectum non est necessario tale, nisi consequenter ad aliquam suppositionem aut hypothesim. Talia sunt ista judicia: existit Sol, dum spargit lumen; extitit Cæsar, si Rempublicam Romanam evertit: existit talis in Anima sensatio, dum in Anima sentitur.

50. OBJECTIO II. Febricitantes, Somniantes, Insanientes habent Sensum intimum doloris, ubi nullus est dolor; spectrorum, ubi nulla sunt spectra; formidinis, ubi nulla esse potest formido; lætitiæ, ubi nullus est lætitiæ locus: ergo Sensus intimus non dat infallibilem de objecto suo certitudinem.

RESPONSIO. Nego antecedens. Somniantes, Febricitantes, Insanientes in seipsis reverà habent, aut formidinem aut lætitiam quam experiuntur; in mente sua habent reverà delineatas spectrorum imagines quas sentiunt & pavent. In hoc delirant & insaniunt, quòd sine causa extrin-

seca, ex inordinato, & perturbato organorum usu, in ipsis nascantur tales impressiones, quas Sani non experiuntur. Non Insanos magis quam Sanos fallit circa objectum suum, Sensus intimus (47).

51. OBJECTIO. III. Inter Insanientes extitisse feruntur duo notari digni, quorum alter se esse mortuum, alter se esse Piscem judicabat, uterque Sensu intimo nixus. Unde sic argumentor. Ex duobus illis Insanientibus, prior habebat intimum mortis suæ Sensum; nec tamen Sensus ille intimus dabat illi infallibilem de morte sua certitudinem: posterior Sensu intimo edocebatur se esse Piscem, nec tamen erat Piscis: ergo Sensus intimus non dat infallibilem de objecto suo certitudinem.

RESPONSIO. Admissa, vel ut vera, vel ut possibili, quæ refertur historia, respondeo negando priorem utriusque antecedentis partem.

I. Stulto priori non inerat intimus mortis suæ Sensus; imò intimus inerat Sensus vitæ suæ, quam in aliqua Mortuorum regione aut natione insaniendo fingebat.

Sentiebat ille se vivere: sed delirante delusus imaginatione, judicabat, nullo nixus motivo, se vivere quasi funereis involutum linteis, omni abstinentem cibo, cadaverosis circumvolutum spectris aut umbris. Existentia vitæ; ecce illi unicum Sensus intimi objectum, circa quod non fallebatur.

II. Stulto posteriori inerat intimus existentiæ suæ Sensus: hanc autem existentiam delirando sibi similem fingebat existentiæ Piscis. Existentia propria: ecce illi unicum Sensus intimi objectum, circa quod non deludebatur.

Similitudo propriæ naturæ & existentiæ cum tali specie piscium, ecce illis objectum Sensui intimo penitus extraneum; scilicet objectum *Judicii speculativi* nullo motivo nixi, in quod objectum unicè cadebat stultus error stultaque allucinatio.

52. INSTABIS. Sequeretur ex responsis quòd Insanientes essent sani: absurdum consequens, ergo & antecedens. Probo sequelam. Qui judicat motivo nixus certo & infallibili, sanus est: atqui insanientes judicant motivo nixi certo & infallibili, nempe, sensu intimo; ergo insanientes sunt sani. (8)

RESPONSIO. Nego sequelam. Ad probationem, distinguo majorem: qui judicat motivo nixus certo & infallibili, sanus est; si ad connexionem motivi cum veritate tali attendat & reflectat, concedo majorem: si cognitione duntaxat sensibili & experimentali veritatem aliquam percipiat, nego majorem; & sic distincta minore, nego consequentiam.

In Cognitionibus quæ solo *Sensûs intimi* testimonio fundantur, vix ullum est discrimen sapientem inter & desipientem: æqualis est sano & insano certitudo.

In Cognitionibus quæ *Judiciis speculativis* nituntur, quæ aut Idearum aut Sensationum aut Hominum testimonio fundantur, nulla est prorsus Sanum inter & Insanum similitudo. Quid deceat aut dedeceat; quid consequentiarum in uno principio contineatur, aut ab illo excludatur; quid connexionis insit & inesse debeat, tum inter ideas, tum inter res ab ideis representatas: hoc Sapientes intelligunt, hoc ignorant Insani. Inde vides quale & quantum sit Sapientem inter & Desipientem discrimen.

53. OBJECTIO IV. Illud non parit certitudinem, quod non parit evidentiam: atqui Sensus intimus non parit evidentiam: ergo sensus intimus non parit certitudinem. Patet minor. Nam evidentia irradiat tum intellectum, tum objectum: quàm multa autem certa sunt per Sensum intimum, circa quorum naturam & essentiam non irradiatur intellectus! Verbi gratia, non docet nos Sensus intimus, quid sit dolor, quid sit gaudium, quid sit existentia nostra, quid sint alia hujusmodi pleraque, quæ sentimus.

RESPONSIO I. Nego majorem universaliter sumptam: mul-

ta enim sunt nobis certa, quæ non sunt nobis in se evidentia. Certitudinem includit evidentia: ab evidentia præscindit certitudo. (33)

II. Concedo majorem in sensu minoris, quam sic distinguo. Sensus intimus non parit evidentiam, circa rei naturam, concedo minorem: circa rei existentiam, nego minorem & consequentiam.

Per Sensum intimum non cognoscitur quid sit res; seu non cognoscitur rei natura & essentia per claram ipsius rei ideam: at per Sensum intimum clarè cognoscitur rem existere. Unde, circa rei existentiam habet intellectus omnem evidentiam possibilem. Cognoscit enim intellectus, necessariam & essentialem esse connexionem, inter Sensum intimum rei & existentiam rei: verbi gratia, inter Sensum intimum suæ existentiæ, & existentiam suam. Cognitionem *talis Connexionis* habent aut habere possunt Sani: non habent aut possunt non habere Insani.

54. OBJECTIO V. Pyrrho, Democritus, & alii non nulli Philosophi, illud ipsum quod in se ipsis maximè sentiebant, suamque ipsammet existentiam, revocabant in dubium: ergo Sensus intimus non dat omnibus indubitabilem de objecto suo certitudinem.

RESPONSIO. Sanis omnibus hodie persuasum est semperque persuasum fuit, tales Philosophos verbo tenus & jocandi gratia, sic fuisse locutos. Mentiebantur illi aliis, sibi ipsis non mentiebantur. (6 & 56)

Atque hic quasi per transennam observato, quid possit aliquandò perversus & obstinatus quorumdam Philosophorum animus; quibus in philosophando potiùs est aut in deliria aut in absurda devolvi, quàm communi hominum more sentire. Si omnem Religionis & Morum regulam ejurarint: post non pudebit ipsos primaria Rationis principia suamque ipsorum existentiam negare. Nescio quomodò nihil tam absurdi dici possit, inquit Romanus Orator & Philosophus, quod non deffendatur ab aliquo Philosophorum.

Verùm, in tota hac quæstione de *Sensu intimo*, memineris sedulò, quod jam prænotavimus, sensum intimum habere pro objecto res duntaxat quæ in nobis intrinsecè peraguntur & peragi sentiuntur, quales sunt affectiones intrinsecæ quas experimur in anima nostra; non verò res quæ extra nostram sunt animam, quales sunt variæ corporis nostri modificationes. (47)

Quidquid per Sensum intimum percipimus in anima nostra, illud in anima nostra esse evidenter constat Sensu intimo (53): nam priùs est aliquid esse in anima, quàm in anima sentiri. At non quidquid est in anima nostra, illud per Sensum intimum nobis manifestatur. Nam Gratia sanctificans aut labes Peccati, verbi gratia, sunt in anima nostra; & tamen per Sensum intimum non manifestantur nobis, quia à nobis non sentiuntur.

QUÆSTIO SECUNDA.

CERTITUDO, IDEARUM TESTIMONIO FUNDATA.

55. OBSERVATIO. Celeberrima est in Scholis philosophicis *quæstio de Scientia*, quæ primum esse solet concertationum Scholasticarum objectum; quæque omnia indiscriminatim Cognitionum humanarum fundamina omnesque simul fontes ubi perperam amplectitur & confundit, pleno & satisfacienti lumine nunquam perfunditur; molestis semper remanet, & implexa difficultatibus, & tenebris involuta.

Cognitionibus Scientificis quadruplex est fons, quadruplex fundamentum, scilicet, *Sensus intimus, Ideæ, Sensationes, Testimonia humana.* (28)

ta enim sunt nobis certa, quæ non sunt nobis in se evidentia. Certitudinem includit evidentia: ab evidentia præscindit certitudo. (33)

II. Concedo majorem in sensu minoris, quam sic distinguo. Sensus intimus non parit evidentiam, circa rei naturam, concedo minorem: circa rei existentiam, nego minorem & consequentiam.

Per Sensum intimum non cognoscitur quid sit res; seu non cognoscitur rei natura & essentia per claram ipsius rei ideam: at per Sensum intimum clarè cognoscitur rem existere. Unde, circa rei existentiam habet intellectus omnem evidentiam possibilem. Cognoscit enim intellectus, necessariam & essentialem esse connexionem, inter Sensum intimum rei & existentiam rei: verbi gratia, inter Sensum intimum suæ existentiæ, & existentiam suam. Cognitionem *talis Connexionis* habent aut habere possunt Sani: non habent aut possunt non habere Insani.

54. OBJECTIO V. Pyrrho, Democritus, & alii non nulli Philosophi, illud ipsum quod in se ipsis maximè sentiebant, suamque ipsammet existentiam, revocabant in dubium: ergo Sensus intimus non dat omnibus indubitabilem de objecto suo certitudinem.

RESPONSIO. Sanis omnibus hodie persuasum est semperque persuasum fuit, tales Philosophos verbo tenus & jocandi gratia, sic fuisse locutos. Mentiebantur illi aliis, sibi ipsis non mentiebantur. (6 & 56)

Atque hic quasi per transennam observato, quid possit aliquandò perversus & obstinatus quorumdam Philosophorum animus; quibus in philosophando potiùs est aut in deliria aut in absurda devolvi, quàm communi hominum more sentire. Si omnem Religionis & Morum regulam ejurarint: post non pudebit ipsos primaria Rationis principia suamque ipsorum existentiam negare. Nescio quomodò nihil tam absurdi dici possit, inquit Romanus Orator & Philosophus, quod non deffendatur ab aliquo Philosophorum.

Verùm, in tota hac quæstione de *Sensu intimo*, memineris sedulò, quod jam prænotavimus, sensum intimum habere pro objecto res duntaxat quæ in nobis intrinsecè peraguntur & peragi sentiuntur, quales sunt affectiones intrinsecæ quas experimur in anima nostra; non verò res quæ extra nostram sunt animam, quales sunt variæ corporis nostri modificationes. (47)

Quidquid per Sensum intimum percipimus in anima nostra, illud in anima nostra esse evidenter constat Sensu intimo (53): nam priùs est aliquid esse in anima, quàm in anima sentiri. At non quidquid est in anima nostra, illud per Sensum intimum nobis manifestatur. Nam Gratia sanctificans aut labes Peccati, verbi gratia, sunt in anima nostra; & tamen per Sensum intimum non manifestantur nobis, quia à nobis non sentiuntur.

QUÆSTIO SECUNDA.

CERTITUDO, IDEARUM TESTIMONIO FUNDATA.

55. OBSERVATIO. Celeberrima est in Scholis philosophicis *quæstio de Scientia*, quæ primum esse solet concertationum Scholasticarum objectum; quæque omnia indiscriminatim Cognitionum humanarum fundamina omnesque simul fontes ubi perperam amplectitur & confundit, pleno & satisfacienti lumine nunquam perfunditur; molestis semper remanet, & implexa difficultatibus, & tenebris involuta.

Cognitionibus Scientificis quadruplex est fons, quadruplex fundamentum, scilicet, *Sensus intimus, Ideæ, Sensationes, Testimonia humana.* (28)

Ut nitida & plena sit Lux quæstioni de Scientia, oportet separatim observari quemlibet ejus fontem, quodlibet ejus fundamentum. Non enim eodem modo sciur, per testimonium Sensûs intimi, & per testimonium Idearum: non eodem modo Scientiam pariunt testimonium Sensationum & testimonium Hominum.

De solis Cognitionibus scientificis quæ nituntur & fundantur testimonio Sensus intimi, in prima quæstione præcedente egimus.

De solis Cognitionibus scientificis quæ nituntur & fundantur *testimonio Idearum*, in secunda hac quæstione disseremus.

De Cognitionibus scientificis quæ nituntur & fundantur, tum testimonio Sensationum, tum testimonio Hominum, in tertia & quarta subinde quæstione separatim tractabimus.

VESANA SCEPTICORUM DELIRIA.

56. OBSERVATIO. Solemne erat Socrati, Philosophorum sapientissimo, modestè fateri *se nihil scire*; vel hoc unum scire, quòd nihil sciret. Hinc interrogantis & omnia nescientis partes agens, ambitiosam nimis nimisque in se confidentem atque superbientem quorundam Philosophorum sapientiam, in varia pedetentim absurda detrudebat subtilis & callidus, malignoque sale mordax perfricabat.

I. Ex Schola Socratis prodiere succesu temporum *Sceptici*, qui quod jocosè & ironicè à Socrate dictitabatur, seriò ipsi asserere ausi sunt; scilicet, se nihil scire: quos inter extitit celeberrimus Pyrrho, à quo *Pyrrhonii* nuncupati sunt.

Profitebantur illi se nullius rei, ne suæ quidem existentiæ, esse certos: nullum esse Veritatis signum infallibile; nihilque in rebus omnibus apprehendi, nisi meras & dubias rerum apparentias. Unde, omnia in dubium vocare, ipsasque veritates evidentissimas, familiare ipsis erat. Verùm, omnibus sana mente præditis semper & ubique persuasum fuit, *universale illud Dubium* nihil aliud fuisse in

Pyrrhoniis, nisi impudens aliquod mendacium, quo id ore negarent, quod indubitanter in mente sentirent.

II. A Pyrrhoniis aliquantulum differebant *Academici*. Prioribus instar dogmatis erat, quòd nihil certum sit in rebus, quòd omnia sint in se dubia: posterioribus mos erat omnia cum dubio proponere, non affirmando tamen quòd nulla penitus insit rebus certitudo; quòd ea omnia in se incerta sint & dubia, quæ ab ipsis in utramque partem quasi dubitanter disceptabantur.

III. Pyrrhoniis affines sunt *non nulli ætatis nostræ Sceptici*: qui, ut Fidei atque Religionis totius sacra evertant fundamina, omnem labefactare Certitudinem aggressi sunt; nullamque, si prima fortè Principia excipias, haberi posse cognitionem certam, impudenter simul & ineptè asserunt. Plaudat sibi Religio, & nos Religioni gloriando plaudamus: si priùs opus sit delirare, quam demonstrationibus quibus innititur, assensum denegare.

Contra omne hoc hominum genus movebitur, quæ nobis hîc tractanda incumbit quæstio fundamentalis: in qua, sicut in philosophicis quibuscumque concertationibus, facilè observabitur quod *solvendæ Objectiones* sint ipsamet Adversariorum aut principia aut placita aut argumenta; quibus vel suam stabilire, vel oppositam evertere sententiam conantur.

DUPLEX SCIENTIÆ IDEA.

57. DEFINITIO. Scientiæ nomine intelligitur in Scholis philosophicis, aut *Cognitio unica*, aut *quædam Cognitionum congeries*, quibus prælucet & quibus fundamentum est ipsamet evidentia. (30 & 32)

I. Scientia, sub priori respectu considerata, definitur *Cognitio certa & evidens*; dividiturque in Scientiam latè sumptam, & in Scientiam strictè sumptam.

Scientia latè sumpta est, vel cognitio certa & evidens quæ habetur sola inspectione terminorum propositionis in se & per se evidentis, qualis est ista propositio (Totum

est majus sua parte); vel cognitio certa & evidens quæ habetur sensu aliquo experimentali, ut in hoc exemplo (ex eo quòd sentio me cogitare, scio me existere).

Scientia strictè sumpta est Cognitio certa & evidens, deducta ex Principio aliquo in se evidente. Sic ista propositio (Schola hæc est minor Collegio) est Scientia strictè sumpta: deducitur enim ex isto principio in se evidente (totum est majus sua parte). Scientiæ opponitur, tum ignorantia, tum error. (40)

II. Scientia, sub posteriori respectu spectata, est *congeries quædam & concatenatio Veritatum speculativarum aut practicarum, quæ omnes à principiis in se certis & evidentibus fluere evidenter intelliguntur, & inconcussum habent in ipsamet evidentia fundamentum.* Tales sunt Dialectica, Geometria, Arithmetica, Mechanica, Optica, & sic de aliis.

Duplicem sibi articulum vindicabit secunda hæc quæstio: quorum prior de Scientia in genere, posterior de variis Scientiarum speciebus & objectis tractabit.

ARTICULUS PRIOR.

DE SCIENTIA IN GENERE.

An & qualis detur Scientia; an & quomodò ab Ideis enascatur Scientia; quantùm sat erit, expendemus & explicabimus: ubi necessarias quasdam notiones circa *Idearum* tum naturam, tum divisionem, tum originem, priùs tradiderimus.

IDEARUM NATURA.

58. DEFINITIO. *Idea* est objecti alicujus in mente imago spiritualis: seu, est actus mentis rem aliquam repræsentans. Quod repræsentatur, est objectum ideæ: actus repræsentans est ipsamet idea. Verbi gratia, ubi habes ideam Trianguli; actus mentis, quo tibi repræsentas triangulum, est tua idea: triangulus ipse, ad quem dirigitur & terminatur tua idea, est objectum tuæ ideæ. (15)

Ut exemplo sensibili res magis dilucidetur: sit speculum turrim repræsentans. Speculum; ecce tibi intellectum rebus repræsentandis idoneum: Turris ecce tibi objectum repræsentatum: repræsentatio seu imago Turris in speculo; ecce tibi ideam seu repræsentationem objecti in intellectu. Quemadmodùm autem ex repræsentatione Turris in speculo, erumpis in cognitionem Turris extra speculum: sic ex repræsentatione rei in intellectu, progrederis in cognitionem rei extra intellectum.

I. Ideam esse *alicujus objecti in mente Imaginem*, tibi facilè propria experientia constabit. Si enim talem domum aut machinam construi jusseris: postquam confectum est opus, illud examini subjicis; & post attentum examen, vides illud esse vel conforme vel non conforme *Imagini exemplari* quam per Sensum intimum in te esse scis (48), & quam artifici ante conatus eras communicare & infundere.

Hinc, quando Opus aliquod novum molimur, operis partes omnes essentiales, partiumque modum, figuram, proportionem, situm, priùs mente ordinamus, quàm illud in se extra mentem conficere aggrediamur.

Hinc, in ferendis de rebus propè omnibus judiciis, dirigimur præhabitis rerum ideis & imaginibus. Verbi gratia, judico talem actionem esse honestam aut inhonestam, justam aut injustam: quia video illam esse conformem aut non conformem *Ideæ exemplari* honestatis aut justitiæ, quam menti meæ insculptam sentio: quocumque modo in me nata aut efformata sit exemplaris hæc idea.

II. Ideam esse *spiritualem Imaginem*, non difficiliùs tibi innotescet & constabit. Nam idea rei cujuscumque, rei materialis aut immaterialis, est evidenter intrinseca quædam modificatio Substantiæ intelligentis, Substantiæ proinde spiritualis. Tali autem Substantiæ evidenter nulla potest inesse modificatio, quæ sit materialis, quæ non sit in se spiritualis.

Sive Sensui communi, sive sublimiori Philosophiæ auscultemus: perinde docebimur ineptum & absurdum esse

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

est majus sua parte); vel cognitio certa & evidens quæ habetur sensu aliquo experimentali, ut in hoc exemplo (ex eo quòd sentio me cogitare, scio me existere).

Scientia strictè sumpta est Cognitio certa & evidens, deducta ex Principio aliquo in se evidente. Sic ista propositio (Schola hæc est minor Collegio) est Scientia strictè sumpta: deducitur enim ex isto principio in se evidente (totum est majus sua parte). Scientiæ opponitur, tum ignorantia, tum error. (40)

II. Scientia, sub posteriori respectu spectata, est *congeries quædam & concatenatio Veritatum speculativarum aut practicarum, quæ omnes à principiis in se certis & evidentibus fluere evidenter intelliguntur, & inconcussum habent in ipsamet evidentia fundamentum.* Tales sunt Dialectica, Geometria, Arithmetica, Mechanica, Optica, & sic de aliis.

Duplicem sibi articulum vindicabit secunda hæc quæstio: quorum prior de Scientia in genere, posterior de variis Scientiarum speciebus & objectis tractabit.

ARTICULUS PRIOR.

DE SCIENTIA IN GENERE.

An & qualis detur Scientia; an & quomodò ab Ideis enascatur Scientia; quantùm sat erit, expendemus & explicabimus: ubi necessarias quasdam notiones circa *Idearum* tum naturam, tum divisionem, tum originem, priùs tradiderimus.

IDEARUM NATURA.

58. DEFINITIO. *Idea* est objecti alicujus in mente imago spiritualis: seu, est actus mentis rem aliquam repræsentans. Quod repræsentatur, est objectum ideæ: actus repræsentans est ipsamet idea. Verbi gratia, ubi habes ideam Trianguli; actus mentis, quo tibi repræsentas triangulum, est tua idea: triangulus ipse, ad quem dirigitur & terminatur tua idea, est objectum tuæ ideæ. (15)

Ut exemplo sensibili res magis dilucidetur: sit speculum turrim repræsentans. Speculum; ecce tibi intellectum rebus repræsentandis idoneum: Turris ecce tibi objectum repræsentatum: repræsentatio seu imago Turris in speculo; ecce tibi ideam seu repræsentationem objecti in intellectu. Quemadmodùm autem ex repræsentatione Turris in speculo, erumpis in cognitionem Turris extra speculum: sic ex repræsentatione rei in intellectu, progrederis in cognitionem rei extra intellectum.

I. Ideam esse *alicujus objecti in mente Imaginem*, tibi facilè propria experientia constabit. Si enim talem domum aut machinam construi jusseris: postquam confectum est opus, illud examini subjicis; & post attentum examen, vides illud esse vel conforme vel non conforme *Imagini exemplari* quam per Sensum intimum in te esse scis (48), & quam artifici ante conatus eras communicare & infundere.

Hinc, quando Opus aliquod novum molimur, operis partes omnes essentiales, partiumque modum, figuram, proportionem, situm, priùs mente ordinamus, quàm illud in se extra mentem conficere aggrediamur.

Hinc, in ferendis de rebus propè omnibus judiciis, dirigimur præhabitis rerum ideis & imaginibus. Verbi gratia, judico talem actionem esse honestam aut inhonestam, justam aut injustam: quia video illam esse conformem aut non conformem *Ideæ exemplari* honestatis aut justitiæ, quam menti meæ insculptam sentio: quocumque modo in me nata aut efformata sit exemplaris hæc idea.

II. Ideam esse *spiritualem Imaginem*, non difficiliùs tibi innotescet & constabit. Nam idea rei cujuscumque, rei materialis aut immaterialis, est evidenter intrinseca quædam modificatio Substantiæ intelligentis, Substantiæ proinde spiritualis. Tali autem Substantiæ evidenter nulla potest inesse modificatio, quæ sit materialis, quæ non sit in se spiritualis.

Sive Sensui communi, sive sublimiori Philosophiæ auscultemus: perinde docebimur ineptum & absurdum esse

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

postulare, quot lineis longa aut lata aut profunda sit *intellectualis Idea*; quot angulis terminetur aut lateribus; an convexa sit aut concava; an figuram habeat sphæricam aut cylindricam aut conicam; & sic de cæteris: quæ omnia evidenter repugnare intelliguntur cum Idea intellectuali, cum Idea substantiam nostram intellectivam intrinsecè modificante.

59. COROLLARIA. Ab ista Ideæ definitione, tria potissimum fluunt & sequuntur, quæ videntur hic notari & observari digna.

I. Ex data & explicata Ideæ definitione sequitur, *objectum Ideæ esse necessariò ens aliquod reale, quod vel existat, vel possit existere.*

Nam objectum ideæ, est id quod repræsentatur ab idea. Quod autem repræsentatur ab idea, est aliquid in se intelligibile, in se repræsentabile. Quod verò est aliquid in se intelligibile, in se repræsentabile, est aliquid quod vel existit, vel potest existere; quodque proinde est ens reale.

Verùm ex sola objecti alicujus idea, nihil potest circa illius objecti existentiam affirmari aut negari: quia ideæ nullam per se ipsas habent connexionem necessariam cum existentia rerum ab ipsis repræsentatarum. Quod per ideam repræsentatur, illud potest existere: an autem illud existat, non potest constare ab ideis, quæ non sunt relativæ nisi ad *intelligibilem rerum statum*, ubi rerum essentias exhibent & exhibendo demonstrant: uti modò explicabitur.

II. Ab eadem Ideæ definitione sequitur *Nihilum, Chimericum, Negationes, Privationes, esse non posse objectum ideæ.*

Nam hæc omnia nullam habent proprietatem realem, quæ possit in mente repræsentari; nulla habent lineamenta, sive materialia, sive immaterialia, quæ possint in intellectu delineari.

Nihilum enim est mera omnis entis exclusio: Chimericum nihil dicit nisi meram possibilitatis realis exclusionem: Privatio nihil est nisi mera rei alicujus absentia à subjecto tali rei habendæ idoneo: Negatio nihil est nisi

mera rei alicujus absentia à subjecto tali rei habendæ non idoneo. Verbi gratia cœcitas est privatio in homine, & negatio in lapide.

III. Ab eadem Ideæ definitione sequitur, *Ideam esse essentialiter veram, veritate repræsentationis.*

Nam *Ideæ veritas*, est conformitas ideæ representantis cum objecto repræsentato (36). Repugnat autem ideam tali conformitate carere: nisi ineptè simul & absurdè supponatur ideam id non repræsentare quod repræsentat.

Ut vitentur in hac materia disputationum cavillationes & laquei: duplex distinguendum est ideæ objectum: aliud terminativum, & aliud determinativum. Objectum ideæ *terminativum* quod solum est propriè dictum ideæ objectum, est illud ad quod terminatur idea; seu, illud quod repræsentatur per ideam. Objectum ideæ *determinativum*, quod non nisi impropriè & abusivè dicitur ideæ objectum, est illud quod est causa aut occasio cur exurgat in mente talis idea.

Verbi gratia, ad *præsentiam Lupi*, suppono excitari in te, *ideam Canis*. Objectum ideæ terminativum, verè & propriè dictum ideæ objectum, erit tibi *Canis*: Lupus verò erit tibi objectum ideæ determinativum, objectum ideæ tuæ penitus extraneum.

IDEARUM DIVISIO.

60. DIVISIO I. Ideæ intellectus nostri possunt esse, vel directæ vel reflexæ.

I. *Idea directa* est ea quæ directè fertur in aliquod objectum; est ea qua merè repræsentatur aliquod objectum, sine peculiari in semetipsam attentione & reflexione. Talis est idea Trianguli, idea Hominis, idea Dei, idea Turris ruentis, idea Proportionis inter varia objecta.

II. *Idea reflexa* est ea quæ fertur in ideas vel præhabitas vel præsentes, quæque dicitur Reflexio.

Unde *Reflexio* est attentio mentis ad id omne quod in ipsa fit, aut quod ipsa facit.

61. DIVISIO II. Ideæ Intellectus nostri possunt esse, vel simplices, vel complexæ.

I. *Idea simplex* est idea rem præcisè repræsentans. Talis est idea qua præcisè repræsentatur Aquila, qua præcisè repræsentatur Turris, qua præcisè repræsentatur Deus.

II. *Idea complexa* est idea rem repræsentans cum aliqua rei proprietate aut modificatione. Tales sunt ideæ quibus repræsentantur aut *Aquila volans*, aut *Turris ruens*, aut *Deus in Scelestos indignatus*.

Si idea complexa rem repræsentet sub ingenti aliqua actione aut passione & sub vividioribus quibusdam imaginibus, dicitur *Imaginatio*.

62. DIVISIO III. Dum relativè ad objectum suum spectantur Ideæ, celebris est ipsarum divisio in ideas essentiales & in ideas accidentales.

I. *Idea essentialis* alicujus rei, est ea quæ exprimit aliquod constitutivum aut aliquod attributum aut aliquam proprietatem, sine quibus nec esse nec concipi potest hæc res. Talis est idea qua repræsentatur Homo, ut ratiociniorum capax; qua repræsentatur Deus, ut infinitè Sapiens (43).

II. *Idea accidentalis* alicujus rei, est ea quæ exprimit aliquod constitutivum aut aliquod attributum aut aliquam proprietatem quibus carere potest hæc res sine sui destructione. Talis est idea qua representatur aut homo in genere aut talis homo in particulari, ut robustus aut ut debilis, ut dives aut ut pauper, ut probus aut ut improbus.

63. DIVISIO IV. Idea rei alicujus est, vel *inclusiva* vel *exclusiva*, vel *præcisiva*: prout vel aliquid necessariò includit, vel aliquid necessariò excludit, aut ab aliquo absolutè præscindit.

Sic idea Trianguli, *includit* essentialiter tres angulos & tria latera; *excludit* essentialiter quartum angulum & latus; *præscindit* ab angulorum & laterum magnitudine, seu nihil in hac re includit aut excludit.

Sic idea Hominis includit essentialiter unionem corporis organici & animæ spiritualis; excludit essentialiter naturam Brutorum & Automatorum; præscindit à virtutibus, à vitiis, à variis ingenii dotibus, à proprietatibus omnibus quæ suut humanæ Naturæ accidentales (43).

64. DIVISIO V. Idea rei alicujus potest esse, vel explicita, vel implicita.

I. *Idea rei explicita* est ea qua res illa directè in semetipsa & sub propriis suis lineamentis repræsentatur.

II. *Idea rei implicita* est ea qua res illa repræsentatur, non directè quidem & in semetipsa, sed indirectè & ope alicujus relationis quam cum ipsa necessario habet objectum alterius ideæ.

Sic *idea Legis alicujus naturalis quæ sit obligatoria*, directè & explicitè exprimit obligationem ab hac Lege impositam; indirectè vero & implicitè, supremum aliquem Legislatorem, quocum *necessariam relationem* habet Lex hæc naturalis, & sine quo nullatenus posset vim habere obligatoriam.

Sic etiam *Idea Creaturæ intelligentis & liberæ*, directè & explicitè exprimit talis creaturæ naturam; indirectè & implicitè, extra ipsam creaturam, Ens aliquod increatum à quo fuerit creata; & in ipsa cratura, essentialem obligationem dependendi à tali Ente increato & creatore.

65. DIVISIO VI. Possunt Ideæ rerum esse claræ aut obscuræ, distinctæ aut confusæ, adæquatæ aut inadæquatæ.

I. *Idea clara* dicitur, ea qua ita dilucidè exhibetur menti ejus objectum, ut in illo nihil luminis ultrà desideretur, Ideis claris obvia sunt, tum objecta geometrica tum objecta quædam sensibilia, tum facta quædam historica.

Obscura erit idea, quæ sufficienti illo carebit lumine, quod habet & parit idea clara.

II. *Idea distincta* dicitur ea quæ objectum aliquod ita

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

repræsentat, ut ipsius ope distingui & discerni possit illud objectum ab omni alio quocumque objecto.

Confusa erit idea, si talis sit ut, ipsa data & attentè explorata, possit ejus objectum cum alio objecto confundi. Sic confusa est, quæ communiter habetur idea Tygridis: quia Tygridem cum Leopardo confundit.

III. *Idea adæquata* dicitur, quæ totum suum repræsentat objectum. Talis est idea quam habeo de Cubo cujus bipedalis est diameter; de Cubiculo quod à multis annis aut mensibus habito.

Inadæquata erit idea, si aliquam duntaxat partem objecti sui repræsentet. Talis foret idea quam de Templo aliquo aut Palatio haberem: si una tantum ipsius pars aut facies mihi nota foret.

IDEARUM ORIGO.

66. OBSERVATIO. Altum & profundum Naturæ mysterium est *Idearum origo*, circa quam in varias abiere sententias oculatissimi omnium ætatum Ppilosophi.

I. Existimasse videntur veteres propè omnes Ppilosophi, si fortè Platonem excipias, repetendam esse Idearum originem, tum ab *Objectis exterioribus*, quæ quasdam suî imagines, quædam suî simulacra, ex sua superficie aut ex intima sua substantia, indesinenter ejaculantur circum undique; tum à *Sensibus nostris materialibus*, quia has objectorum imagines, hæc objectorum simulacra, excipiunt in semetipsis, exceptaque in nostram immittunt animam.

Sed rejicienda est vetus hæc Opinio: tum quia penitus fabulosa videtur hæc imaginum & simulacrorum emanatio ab objectis exterioribus, hæc imaginum & simulacrorum admissio & receptio in sensibus nostris materialibus; tum quia, vel admissa fabulosa illa imaginum & simulacrorum emanatione & receptione, nullatenus inde explicatur Idearum origo. Explicandum enim semper remanet quomodò imagines illæ materiales, simulacra illa materialia, substantiæ immateriali insculpantur aut implantentur; in substantia spirituali materialem exuant & spiritualem induant naturam: quod à nemine unquam explicatum est, à nemine unquam explicabitur.

II. Censuit Philosophiæ ultimo sæculo restaurator Cartesius, Animæ humanæ omnes quas habet, quas habuit, quas unquam habitura est aut posset habere, *Innatas Ideas* esse: seu in anima nostra, dum creatur, à Deo imprimi & delineari innumeras rerum imagines, quæ sint aut futuræ sint ipsius ideæ; ita tamen ut quasi sopitæ remaneant in anima nostra illæ rerum imagines, nec objecta sua nobis realiter repræsentent, donec per aliquam sensuum nostrorum materialium impressionem in nobis excitentur & fiant actu repræsentativæ.

Verùm, jam antiquata est, jam à campis philosophicis eliminata, Cartesiana hæc Opinio: tum quia solida nulla ratione stabiliebatur; tum quia multum inutilitatis secum trahebat; tum quia non explicabat quomodò impressio sensuum ageret in animam, & in anima talem potiùs ideam excitaret quam aliam qualemcumque; tum denique quia experimentali animæ analysi absona visa est, potiùs quam consona.

III. Existimat & passim clamitat imperitum quoddam Philosophorum vulgus, Ideas nihil esse nisi *materiales quasdam Sensuum interiorum impressiones & vibrationes*: ac proinde repetendam esse idearum originem, vel ab objectis quæ agunt in nostros sensus; vel ab impressionibus quas sensus nostri recipiunt.

Sed à sana Philosophia toto cœlo evidenter aberrat inepta hæc Opinio: tum quia judicio naturali quod habemus omnes de ideis nostris, è diametro est opposita; tum quia ab illa absurdè sequeretur, Chordis illis quæ in instrumento quovis organico pulsantum, veras inesse posse ideas; ideis nostris eam inesse & longitudinem & latitudinem & profunditatem, quæ inest agitatis sensuum nostrorum fibris.

IV. Voluit Malebranchius, nullas esse animæ nostræ ideas, quæ sint ipsi propriæ, ipsi intrinsecæ; & Animæ

nostræ, dum videt & intelligit, res non repræsentari nisi per *Ideas divinas*, quæ ipsi magis minúsve applicantur.

At subtilissima hæc Opinio, quæ multum sagacitatis & nihil veritatis præ se ferebat, vix paucos dedit viventi Malebranchio Discipulos, nullos mortuo reliquit.

V. Judicant quidam Ppilosophi, Animam nostram esse causam efficientem *omnium suarum Idearum*; ac proinde non aliunde repeti debere idearum originem, nisi ab ipsa animæ nostræ actione.

Verum, contra hanc Opinionem sic indefinitam, inter alia multa, istud militare videtur ineluctabiliter; quòd, ut anima efformaret in se primitivam alicujus entis ideam, verbi gratia, Rhinocerotis; requireretur ut directricem aliquam Rhinocerotis ideam ante haberet anima, quàm primitivam Rhinocerotis ideam in se efformaret; quod videtur in ipsis repugnare terminis.

VI. Opinantur Philosophi nonnulli, causam efficientem *omnium nostrarum Idearum* esse Deum solum.

Sed contra hanc Opinionem sic indefinitam id potissimùm militat, quod sensu quodam experimentali judicet interdum anima nostra, se *novas aliquas ideas* cudere, quas sentit se parturiisse, quarum existentiam judicat & sentit suæ actioni esse attribuendam.

VII. Verisimillimum nobis videtur, ne dicamus certum & demonstratum repetendam esse Idearum originem partim ab *actione Dei*, qui solus primordiales rerum ideas in nobis potest producere tanquam causa efficiens; partim ab *actione Animæ*, quæ ex varia idearum primordialium inter se combinatione, potest novas aliquot ideas in se & per se cudere ut causa efficiens.

67. ADNOTATIO. Ab Idearum origine, nullatenus est dependens Idearum certitudo. Unde, in *Certitudinem ipsam*, quam pariunt aut fundant Ideæ, ut modò explicabimus, nullo modo refunditur *Incertitudo* quæ potest inesse Idearum origini.

In exemplo sit nobis Triangulum. Quocumque ex

fonte fluxerit in me *Idea Trianguli*, sive mihi sit innata, sive fuerit in me, aut à sensibus, aut à Deo, aut ab anima mea, citiùs tardiùsve producta & efformata: ab illius Ideæ inspectione & examine, perinde certum mihi & demonstratum erit, tales esse Triangulo proprietates essentiales; verbi gratia, tres ipsius angulos esse æquales duobus angulis rectis; maximum ipsius latus opponi maximo ipsius angulo; geometricam illius superficiem esse semper Productum basis per mediam altitudinis partem, & sic de reliquis. (*Math.* 384, 389, 448).

FUNDAMENTALIS PROPOSITIO PRIOR.

68. *Dantur Principia certa & evidentia: dantur Conclusiones certæ & evidentes, ab illis Principiis deductæ: seu datur Scientia, tum latè tum strictè sumpta.* (4 & 57).

DEMONSTRATIO I. Ad priorem propositionis partem, qua asseritur dari *Scientiam latè sumptam*, referetur prior hæc demonstratio, quæ sic instituitur.

I. Scientia latè sumpta est cognitio evidens, quæ habetur ex sola inspectione terminorum quibus constat propositio: atqui datur talis cognitio: ergo datur scientia latè sumpta. Probo minorem. Dantur *Principia* quæ cognoscuntur evidenter, per solam terminorum inspectionem: ergo datur cognitio evidens, quæ habetur ex sola inspectione terminorum quibus constat propositio. Probo antecedens. Principia ista (impossibile est idem simul esse & non esse; totum est majus sua parte; quæ sunt eadem cum uno tertio, sunt eadem inter se), & alia similia, penetratis terminis, unicuique evidenter innotescunt ex sola terminorum inspectione: ut sensu experimentali res unicuique facilè patebit simul & constabit.

II. Dari aliquam scientiam, saltem latè sumptam, demonstrari etiam potest *argumento ad Hominem*, ut inquiunt, argumento scilicet quo ex adversarii sententia contra ipsum adversarium concluditur in hunc modum:

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
000704

Qui affirmas non dari scientiam, scis non dari scientiam: ergo datur scientia. Dum enim negas dari scientiam, vel aliqua ratione niteris, vel nulla.

Si nulla ratione niteris: cur sine ulla ratione vis deturbare mentem humanam à sua possessione? In ea enim possessione sumus, ut certum affirmemus, quod perpensis omnibus certum videtur.

Si qua niteris ratione, affirma quænam illa sit. Hæc, inquies, quòd fortè rerum apparentiis perpetuo deludimur; & quod res alio modo sunt, alio modo videntur. Scis ergo fieri posse ut in omnibus prorsus humanæ menti illudatur. Dubito, reponis; & sufficit mihi dubium, ut omnis omnino negetur scientia. At enim scies saltem te dubitare: scies præterea in dubiis partem neutram esse certò & intrepidè affirmandam. Ergo, quocumque te vertas, si ratione frueris & uteris tua, fateare necesse est aliquam inesse tibi scientiam. Q. E. D.

DEMONSTRATIO II. Ad posteriorem propositionis partem, qua asseritur dari *scientiam strictè sumptam*, refertur posterior hæc demonstratio; & sic instituitur.

Ut detur scientia strictè sumpta, sufficit dari *Principia per se evidentia*, in quibus certæ quædam veritates contineantur; & dari *certam Methodum* inferendi ex Principio in se evidenti Veritatem in eo contentam: atqui utrumque datur: ergo datur scientia strictè sumpta.

Constat major, ex ipsa scientiæ definitione (57). Constat pars prior minoris, ex præcedenti demonstratione; ubi dari seu existere *Principia per se evidentia*, sufficienter ostendimus & evicimus.

Sola igitur demonstranda nobis superest pars minoris posterior, qua asseritur dari *certam Methodum* inferendi ex principio in se evidenti, veritatem in eo contentam; & sic demonstratur dari tum naturalem tum artificialem inferendi modum, & utrumque hunc inferendi modum esse omni certitudine certum.

Evidens est statim dari naturalem inferendi modum: quis enim ita stipes est, qui ex isto principio (totum est majus sua parte), non inferat protinus collegium esse hac schola majus?

Evidens est deinde dari artificialem inferendi modum: ut unicuique patebit & constabit, tum in Logica, tum in Mathesi: ubi ex Principiis certis & evidentibus, certò & evidenter fluere intelligentur simul & sentientur quàmplurimæ conclusiones.

Evidens est denique utrumque hunc inferendi modum, *naturalem* scilicet & *artificialem*, tam certum esse; quàm certum est istud Principium (quæ sunt eadem cum uno tertio, sunt eadem inter se); ac proinde omni certitudine certum esse, quòd detur seu quòd existat scientia, tum latè, tum strictè sumpta. Q. E. D.

FUNDAMENTALIS PROPOSITIO POSTERIOR.

69. *De Re una quacumque affirmari debet aut negari, quidquid evidenter videtur, aut in ipsius idea essentialiter includi, aut ab ipsius idea essentialiter excludi.* (43 & 62)

DEMONSTRATIO I. Illa propositio certa & vera est, quæ est primum omnium Scientiarum Principium: atqui talis est posterior hæc propositio: ergo certa & vera est. Probo minorem. Illud est *primum omnium Scientiarum Principium*, quo stante, inconcussæ manent omnes demonstrationes; quo vacillante, omnes ruunt: atqui stante principio allato, inconcussæ manent omnes demonstrationes, illo vacillante, omnes demonstrationes ruunt: ergo allatum principium est primum omnium scientiarum principium. Probo minorem. Fundatur omnis omnino demonstrationis certitudo, tamquam in basi sua solidissima, in *Connexione* quæ reperitur inter Repræsentationem factam ope ideæ claræ & distinctæ, & ipsam Objecti naturam: ergo stante illo principio, inconcussæ manent omnes demonstrationes; illo vacillante, omnes ruunt. Patet antecedens: nam, verbi gratia:

Undenam certi sumus, duo quæ sunt eadem cum

uno tertio, esse eadem inter se: nisi quia in idea identitatis duorum cum uno tertio, evidenter includitur identitas duorum illorum inter se? (5 & 13)

Undenam scimus Totum esse majus sua parte: nisi quia in idea totius, videmus essentialiter includi excessum supra partem?

Undenam scimus impossibile esse ut idem simul sit & non sit: nisi quia ab idea Entis videmus excludi essentialiter non ens?

II. Ex eo quòd res non videamus in seipsis, sed tantùm in illarum imaginibus, ut unicuique patet & constat: sequitur quòd, quidquid affirmamus aut negamus de rebus, illud affirmemus aut negemus, movente ipsarum imagine & idea. Prius igitur supponendum est naturam rerum nativis coloribus esse expressam in earum ideis, quàm sciatur in ipsis reperiri, quod de ipsis affirmatur; ab ipsis excludi, quod de ipsis negatur.

Ergo si quid certitudinis est nobis, circa intrinsecas & essentiales rerum proprietates: evidenter supponendum est, quòd certum & verum sit allatum principium; evidenter supponendum est, quòd rebus conveniat, quidquid in ipsarum idea essentialiter includi intelligitur; quòd rebus disconveniat, quidquid ab ipsarum idea essentialiter excludi concipitur; ac proinde quòd intellectus noster non sit instar *Speculi mendacis*, quo fallacibus deludamur rerum ideis & imaginibus.

III. In præsupposita *Idearum veracitate*, stant & vigent mathematicæ omnes demonstrationes. Nam id unum & id omne affirmant aut negant Mathematici de rebus; quod evidenter vident, aut in ipsarum ideis includi, aut ab ipsarum ideis excludi: ergo supponunt Mathematici dari *demonstrativam Connexionem*, inter ideas repræsentantes & res repræsentatas: ergo supponunt Mathematici, ideas esse legitimum demonstrationis Medium; ideas esse verum certitudinis principium.

Subsumo. Sed nemo sanus in dubium revocat demonstrationes mathematicas: ergo nemo sanus in dubium

revocare potest principium quo nituntur illæ demonstrationes; quod principium nihil aliud est quam ipsamet propositio fundamentalis, quæ hic & nunc nobis explicanda & demonstranda incumbebat.

IV. Argumento ad hominem (68), stabiliri adhuc & demonstrari in hunc modum potest fundamentalis eadem propositio, fundamentale idem omnium scientiarum principium. Qui dubitas de veritate istius Propositionis, istius Principii: vel ais, vel negas, rectum certumque fieri posse ratiocinium.

Si negas rectum certumque fieri posse ratiocinium: res peracta est; nec est quòd tecum ratiocinemur, qui tuam negas rationem, tuamque ratiocinandi facultatem.

Si concedis rectum certumque fieri posse ratiocinium: ergo certam judicas propositionem, de qua dubitas; ergo supponis *Idearum veritatem & certitudinem*, quam impugnas. Demonstratur consequentia. In Ratiocinio recto & certo, quod fieri posse asseris, & quod à te confectum suppono, undenam vim & robur tuæ conclusionis repetis? Undenam scis te legitimam deduxisse consequentiam? Ex eo scilicet unicè, quòd mens tua videat infallibiliter, hanc conclusionem aut consequentiam includi in præmissis. Ergo supponis id esse essentialiter in præmissis, quod tua mens tibi repræsentat in præmissis. Ergo supponis id esse essentialiter in objecto præmissarum, quod mens tua videt in præmissarum objecto.

Ergo, si concedis rectum certumque fieri posse ratiocinium; hoc ipso fateris Intellectum tuum non esse (quasi speculum mendax, quod repræsentet in aliquo objecto, id quod non est in tali objecto: ergo hoc ipso fateris *Ideas esse veraces*; & affirmari aut negari posse de re una quacumque, quidquid evidenter videtur, aut in ipsius idea includi, aut ab ipsius idea excludi. Q. E. D.

OBJECTIONES SOLVENDÆ.

70. OBJECTIO I. Si daretur scientia, daretur cognitio

certa & evidens: atqui non datur cognitio certa & evidens: ergo non datur scientia. Probo minorem. Ut detur cognitio certa & evidens, debet ille cui inest talis cognitio, esse certus quod res ipsi cognita sit in se, qualis ab intellectu esse judicatur: atqui nemo certus est quod res ipsi cognita sit in se, qualis ab intellectu esse judicatur: ergo non datur cognitio certa & evidens. Probo minorem. Si quis posset habere talem certitudinem, maximè in rebus evidentibus: atqui talis certitudo non habetur in rebus evidentibus: ergo nemo potest esse certus quod res ipsi cognita sit in se, qualis ab intellectu esse judicatur. Probo minorem. In rebus etiam evidentibus dubitare debet quisque, an res non sint alio in ideis nostris, alio in se modo; an Intellectus noster non sit quasi *speculum mendax*, quod objecta repræsentet aliter ac sunt in se: atqui cum tali dubio stare certitudo nullatenus potest: quis enim certus erit rem esse qualis ab intellectu judicatur; si dubitat num fallatur aut fallat intellectus, rem repræsentando? Ergo, etiam in evidentibus, non habetur certitudo.

RESPONSIO. Concedo majorem, & nego minorem. Ad utramque probationem, nego minorem & consequentiam. Miseram sanè conditionem Adversariorum qui, ut vesanam suam tueantur opinionem, per fas & nefas, ea coguntur proferre quæ aspernetur & rideat quæcumque Muliercula, etiamsi Sophismatum irretita ambagibus respondere nesciat: nempe fieri posse ut duo addita duobus non sint quatuor; ut totum non sit majus sua parte: licet nemini veniat in mentem de his dubitare.

Nos ergo, Natura duce, dicamus illa esse certa, quæ, re maturè perpensa, certa judicantur; impossibile esse ut videantur omnibus vera, quæ sunt in se falsa. Illa enim evidenter dicenda sunt *certa & vera*, quæ si quis negaret, stultus & insanus penitus haberetur: atqui si quis negaret prima principia & res quæ omnibus apparent evidentissimæ, stultus penitus & insanus haberetur: ergo prima principia & res quæ omnibus apparent evidentissimæ,

evidenter dicenda sunt certa & vera. Ergo Intellectus humanus nec est nec esse potest speculum semper mendax: ergo, ut verum est habendum, quidquid evidenter verum esse intelligitur.

71. ADNOTATIO. Primam hanc objectionem, quæ adversùs utramque propositionem præcedentem potissimè militat, malè omnino solvit Cartesius: dum ait per existentiam Dei, Entis nimirùm optimi, sapientissimi, veracissimi, certos fieri nos quòd natura nostri Intellectús non sit ita mendax, ut nihil nisi falsò repræsentet.

Ergone, nisi supponatur existentia Dei, suspicari debemus falsitatem, etiam in evidentissimis? At si nihil certi habemus, nisi ex existentia Dei jam demonstrata: dicat Cartesius quomodò possit demonstrare Deum existere; Deum in se esse & optimum & sapientissimum & veracissimum!

In hunc modum, suam instituet demonstrationem Cartesius. Cogito: ergo existo; ergo existit primitivus aliquis meæ existentiæ auctor increatus: ergo existit Ens aliquod cui essentialis est existentia, cui essentialis est infinita in omni genere perfectio, ac proinde infinita bonitas, infinita sapientia, infinita veracitas: ergo existit Deus, falli & fallere nescius, cui repugnat dedisse Homini fallacem in omnibus intellectum.

Recta quidem, & rectæ Dialecticæ sanæque Philosophiæ erit conformis, speculatio hæc & demonstratio: si præsupposita *Idearum veracitate* tota fundetur & innitatur. At si fundandæ & stabiliendæ Idearum veracitati destinetur speculatio eadem & demonstratio: nihil erit illa profectò nisi merus Paralogismus cui, apud Dialecticos, nomen est Circulus vitiosus aut Petitio principii. (301 & 302)

Undenam enim & quare infert Cartesius ab existentia sua, existentiam Dei? Quia scilicet in suo videt intellectu, quòd existentia sua necessariò supponat existentiam Dei. Bene est: at undenam scit Cartesius intellectum suum non esse quasi *speculum mendax*, quod ipsi repræsen-

tet tanquam necessariam, & tanquam existentiæ suæ præsuppositam, existentiam Dei; quæ fortè nec in se est necessaria, nec ipsius existentiæ præsupposita?

Probat igitur Cartesius *Idearum veracitatem*, per existentiam Dei; & *existentiam Dei*, per Idearum veracitatem: quod rectæ philosophandi methodo est penitus absonum. Repudiata ergo Cartesiana hac solutione, præcedenti imperturbatè adhæreamus; & Idearum veracitatem, tanquam fundamentale omnium nostrarum cognitionum Principium, ab ipso Philosophiæ ingressu, Natura duce, ducibus speculatione & experientia, admittere assuescamus.

72. INSTABIS I. Veritas rerum non pendet ab ideis nostris: ergo, ex eo quòd res tali modo repræsententur in intellectu, non sequitur illas in se tali modo esse. (8)

RESPONSIO. Distinguo antecedens. Veritas rerum non pendet ab ideis nostris, ut sit & in se, concedo antecedens: ut cognoscatur & quoad nos, nego antecedens & consequentiam.

Non ideo objecta sunt in se tali modo, quia sic in idea nostra repræsentantur: sed ideo scimus talem esse objectorum naturam, quia talis natura repræsentatur in idea objecti; & quia certi sumus esse in objecto, quidquid in ipsius idea clara & distincta essentialiter repræsentatur.

Taliter repræsentari in intellectu, & taliter in se extra intellectum esse, non est unum & idem: sed prius est infallibiliter connexum cum posteriore: quod sufficit ut à priori rectè concludatur ad posterius. Idea rei, est res ipsa in mente repræsentata: porro, res ipsa in se spectata, & res in mente repræsentata, sunt una & eadem objectivè res: ergo ab idea rei legitimè concluditur ad rem ipsam.

73. INSTABIS II. Atqui ab idea rei malè concluditur ad rem ipsam: ergo nulla solutio. Probo subsumptum. In *idea Hominis volantis*, includitur volatus; nec tamen volatus potest affirmari de homine: ergo ab ideis malè concluditur ad res ut sunt in se.

RESPONSIO. Distinguo antecedens. Ab idea rei essentiali, malè concluditur ad rem ipsam, nego antecedens: ab idea rei accidentali, concedo antecedens, & nego consequentiam. (62 & 69)

Ab essentiali rei alicujus idea, semper valet consequentia ad rem ipsa. Verbi gratia, hoc ipso quòd in idea Trianguli in mente mea repræsentari, evidenter video Triangulum nec esse nec concipi posse sine tribus angulis & tribus lateribus; legitimè concludo Triangulum in se extra mentem meam, necessariò tres angulos & tria complecti latera.

Ab accidentali rei alicujus idea, non valet consequentia ad rem ipsam. Verbi gratia, ex eo quòd mihi repræsentem Hominem album, in intellectu meo; non sequitur Hominem in se & à parte rei esse album. Videt enim facillimè intellectus meus, ab illo homine, cujus impressam habet imaginem, abesse posse albedinem; nec illum destiturum esse hominem, si cutis ipsius repentina nigredine suffunderetur.

Ad probationem, nego priorem antecedentis partem, in sensu præcedentis responsionis. Esto: habeatur idea hominis volantis: inde rectè concludes hominem volantem esse in se absolutè possibilem, ut superiùs observatum est & explicatum. (59) At nego in idea hominis includi essentialiter volatum, aut in idea volatus includi essentialiter hominem: quod tamen foret necessarium ut contra thesim nostram valeret argumentum.

74. INSTABIS III. Nulla habetur idea proprietatis accidentalis in rebus: ergo quamcumque in rebus proprietatem mens repræsentat, illa est rebus essentialis. Probabitur antecedens, observando aut supponendo quòd ideæ quæ repræsentare videntur proprietates rebus accidentales, non repræsentent realitates, sed meras possibilitates: verbi gratia, quòd idea repræsentans justitiam in homine aut motum in planeta, non repræsentet nisi possibilitatem justitiæ in priore objecto, nisi possibilitatem motus in posteriore.

RESPONSIO. Nego antecedens. Habeo ideam hominis justi & hominis injusti: sed justitia & injustitia sunt proprietates homini accidentales. Pariter, habeo ideam planetæ transeuntis ex uno orbitæ suæ puncto in aliud, ab occidente in orientem: sed ille transitus est accidentalis planetæ. Ergo habetur idea proprietatis accidentalis in rebus.

Nec dicas utramque hanc ideam non repræsentare mihi, nisi possibilitatem justitiæ in homine, nisi possibilitatem motûs in planeta, quæ sunt proprietates ipsis essentiales. Idea enim quæ mihi repræsentat *Potentiam*, non est idea quæ mihi repræsentat *Actum:* verbi gratia, idea quæ mihi repræsentat in intellectu humano potentiam cogitandi, non est idea quæ mihi repræsentat cogitationem in ipso productam & existentem.

Unde, aliud est concipere in Judice, potentiam ferendi justi judicii, qua possit fieri justus: aliud concipere judicem hic & nunc justum ferentem judicium, quo fiat & sit actu justus.

Pariter, aliud est concipere in Planeta quiescente & immoto, potentiam transeundi ex uno orbitæ suo puncto in alterum punctum: aliud concipere Planetam hic & nunc motu succesivo progredientem ex uno in aliud punctum; ut sensu intimo unicuique patet & constat. Unde, idea repræsentans Planetam motu succesivo vectum, non repræsentat motum duntaxat possibilem, sed motum actualem, seu potentiam reductam ad actum ipsi accidentalem: seu repræsentat actualem unionem motûs possibilis, cum planeta motum recipere vel non recipere idoneo.

75. OBIECTIO II. Si daretur Scientia, daretur in homine facultas veri infallibiliter cognoscitiva: atqui non datur in homine facultas veri infallibiliter cognoscitiva: ergo non datur in homine scientia. Probo minorem. Intellectus humanus non est facultas veri infallibiliter cognoscitiva: ergo non datur in homine facultas veri infallibiliter cognoscitiva. Probo antecedens. Facultas errori obnoxia non est facultas veri infallibiliter cognoscitiva: atqui intellectus humanus est facultas errori obnoxia: ergo intellectus humanus non est facultas veri infallibiliter cognoscitiva.

RESPONSIO. Nego minorem. Ad probationem, nego antecedens. Ad tertium, concedo majorem in sensu minoris, quam sic distinguo. Atqui intellectus humanus est facultas errori obnoxia in omnibus, nego minorem: in aliquibus subdistinguo; & errorem potest præcavere, concedo minorem; & errorem non potest præcavere, nego minorem & consequentiam.

Essentiale est intellectui humano, utpotè finito & imperfecto, ut possit aliquando errare, vel propter defectum sufficientis intelligibilitatis ex parte rerum cognoscendarum; vel propter defectum sufficientis attentionis ex parte ipsius intellectus rebus cognoscendis destinati. At illi essentiale non est ut unquam erret: tum quia in obscuris potest suspendere assensum suum; tum quia in claris penes ipsum est sufficientem adhibere attentionem.

Impossibile tamen est moraliter, ut non erremus aliquando: sed erramus, vel aliquo voluntatis vitio, quod facit ut non satis ad veritatem, ut minus ad falsitatem propendeamus; vel aliqua mentis inadvertentia, quæ facit ut ad circumstantes erroris causas non attendamus sufficienter. Verùm, licet adsit aliquando quædam erroris causa, quin sciatur adesse: tamen plerumque scitur quod hic & nunc nulla talis adsit causa erroris; nimirum, ubi proponuntur nobis quædam veritates, quæ sine difficili examine dignoscuntur, & quarum evidentia primo intuitu irradiatur & ad assensum rapitur nostra mens.

76. INSTABIS. Atqui intellectus humanus semper & in omnibus est fallibilis: ergo nulla solutio. Probo subsumptum. Intellectus humanus est ex essentia sua finitus & imperfectus: sed intellectus ex essentia sua finitus & imperfectus errori semper & in omnibus est obnoxius: ergo intellectus humanus semper & in omnibus est errori obnoxius. Probo minorem. Ex eo quòd intellectus divinus est

ex essentia sua infinitus & omni imperfectione carens, nunquam & nusquam est errori obnoxius: ergo à contrariò, quia intellectus humanus est ex essentia sua finitus & imperfectus, errori semper & in omnibus est obnoxius.

RESPONSIO. Nego subsumptum. Ad probationem, nego minorem. Ad tertium, concedo antecedens & nego consequentiam.

Intellectus humanus, sicuti Ens omne finitum, habet aliquid perfectionis, & aliquid imperfectionis: seu, habet aliquas perfectiones positivas; aliqua perfectionis negatione limitatas & circumscriptas.

Capacitas cognoscendi multas veritates, est perfectio in intellectu humano incapacitas cognoscendi omnes veritates, est in eodem intellectu imperfectio, seu perfectionis limitatio.

Si infinitam complecteretur intellectivitatem intellectus humanus; omnem attingeret veritatem, ut Deus: si omnem à se intellectivitatem excluderet, nulli veritati cognoscendæ par esset, ut lapis. Medium quoddam tenet inter duo hæc extrema, noster intellectus: quasdam habet, quasdam à se perfectiones excludit. Perfectiones quibus est præditus, multis illum veritatibus assequendis parem efficiunt: perfectiones quibus caret, plurimis etiam veritatibus attingendis illum reddunt imparem.

Sapiat igitur ad sobrietatem intellectus humanus, ut divino afflatus spiritu suadet magnus Gentium Apostolus; & dum utiles & suo proportionatas captui veritates inquirit, audaciori scrutari lumine illas veritates abstineat, quas Deus homini voluit occultari. Desinat scientia ubi incipit Fides.

77. OBJECTIO III. Potest Deus producere hominem qui semper & in omnibus erret: fieri potest ut ego ille homo sim: ergo de nulla re datur vera scientia, metaphysica certitudo. Probo priorem antecedentis partem. Illud non exorbitat divinæ omnipotentiæ sphæram: ergo illud potest facere Deus.

RESPONSIO I. Nego priorem antecedentis partem: nego scilicet posse à Deo ipso immediatè creari hominem, ut continuo in errore versetur. Repugnat enim Deum, quem semper ut infinitè sapientem necessario concipimus, agere sine sapienti fine (69). Quem autem haberet finem Deo dignum, homo qui, propter inhærentem sibi errorem perpetuum, mentem haberet Rationis incapacem; ac proinde incapacem destinationis propter quam à Deo crearetur, incapacem finis quem exigit & natura Creaturæ rationalis & natura Creatoris infinitè sapientis?

II. Distinguo priorem eamdem antecedentis partem. Potest Deus producere hominem qui semper & in omnibus erret, & qui simul *sensum Veritatis intimum* habeat, firmum, reflexum, constantem, nego antecedens: qui semper & in omnibus erret, & qui in suis erroribus non habeat sensum hunc veritatis intimum, omitto antecedens & nego consequentiam. Omittimus hîc posterius distinctionis membrum: quia sive verum sit, sive falsum nihil contra thesim nostram militat.

III. Nego alteram ejusdem antecedentis partem. Etiamsi posset Deus producere hominem qui semper & in omnibus erraret; non inde sequeretur quòd dubitare possit an erret, ille cui per sensum intimum veritatis, firmum & reflexum & constantem, indubitanter innotescit se non errare: sicut, licet possim singulis instantibus vita privari, non sequitur inde quòd dubitare possim an sim vita privatus, cum per sensum intimum scio me vita frui.

IV. Ad probationem, nego antecedens. Omnipotentiæ divinæ sphæram id omne exorbitat, quod in se & ex sua natura est oppositum alicui ex essentialibus Dei perfectionibus. Potentia quæ haberet pro objecto res Deo indignas, est potentia quam essentialiter à se excludit divina Natura; est *Potentia chimerica*, seu potentia quæ non est aliquid reale, quæ nihil est nisi vacuum objecto nomen, quæ est ipsamet negatio potentiæ, quæ in nullo sensu est vera & realis potentia.

Dum asserimus non posse Deum facere ut semper

*

& in omnibus erremus, id asserimus nixi ipsamet Dei idea, ac proinde ipsa nixi rei evidentia. Quidquid enim evidentèr includitur in essentiali rei idea, illud debet affirmari de re; juxta primum & fundamentale omnium Scientiarum Principium (69): atqui in essentiali Dei idea includuntur evidenter & summa sapientia & summa veracitas: ergo de Deo & summa sapientia & summa veracitas debet affirmari. Subsumo: sed summa sapientia & summa veracitas evidenter excludunt à Dei natura, potentiam fallendi, decipiendi, partes Impostoris agendi: ergo firmo & evidente nixi motivo asserimus non posse Deum facere ut semper & in omnibus deludamur fallacibus rerum apparentiis, ut semper & in omibus erremus.

78. INSTABIS I. Potest Deus producere hominem qui semper claudicet, qui semper insaniat: ergo à pari potest Deus producere hominem qui semper erret.

Et confirmatur: quia qui semper insanit, semper errat: ergo potest Deus producere Hominem qui semper erret.

RESPONSIO. Nego consequentiam simul & paritatem; & disparitatis affero rationes.

I. Claudicare est *defectus physicus*, à vitiato per causas naturales communi Naturæ ordine proveniens, & hominem à principali suo fine non avertens: qui finis est & nosse Verum & amare Bonum. Hunc defectum absolutè potest & permittere & velle Deus.

II. Insanire est etiam *defectus physicus*, ex vitiato Naturæ ordine & ex perturbata fibrarum dispositione ortus. Hunc defectum non potest directè intendere & velle Deus; quia inde à principali suo fine avertitur Homo: sed potest permittere seu non impedire Deus; quia non tenetur generalem Legum naturalium influxum interrumpere, ex eo quòd inde particularis aliquis emanaturus sit defectus physicus.

III. Contrà, semper errare, semper falsa veritatis adeptæ imagine deludi, foret *defectus moralis*; qui à Deo ipso

directè intenderetur, qui à Deo solo immediatè dimanaret in Naturam humanam. Repugnat autem talis defectus, tum Naturæ humanæ, quam ad Veritatis amorem & possessionem sentimus natam; tum Naturæ divinæ, quam incptè simul & absurdè supponeret & ineluctabilis allucinationis & perennis impostura directam & immediatam esse causam (77).

IV. Ad confirmationem, omisso antecedente, distinguo consequens. Ergo potest Deus Hominem producere qui semper erret; etiam dum iutimum habet sensum veritatis, firmum & reflexum & constantem, nego consequentiam: secus, omitto consequens & nego consequentiam.

Quid peragatur in mente Insanientis, nec scio, nec scire velim: sciant & eloquantur, si fieri potest, qui rem experti sunt. Hoc unum scio, quod si Insaniens res concipiat & attingat, ut à me concipiuntur & attinguntur, ubi indubitatum habeo veritatis & evidentiæ sensum; ille non erret.

Esto: semper erret, qui semper insanit. At non habet ille firmum & reflexum & constantem veritatis sensum, quem habet Homo mente sanus, quod tamen foret necessarium, ut humana omnis evertatur Certitudo, ut omnis abnegetur Scientia.

79. INSTABIS II. Nullum est instans, in quo non possimus errare: ergo semper errare possumus. Probo consequentiam: à distributivo ad collectivum valet consequentia: ergo si singulis instantibus possumus errare, semper errare possumus.

RESPONSIO I. Nego antecedens. Quando nobis innotescit per sensum intimum veritas: omni certitudine certi sumus illo nos instanti nec errare, nec posse errare.

II. Ad probationem, distinguo antecedens: à distributivo ad collectivum valet consequentia; si agatur de actu, concedo antecedens: si agatur de potentia, nego antecedens & consequentiam.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Valent istæ consequentiæ, ut per se patet, in quibus *agitur de actu*: (à Deo dependet Homo singulis vitæ suæ instantibus distributivè sumptis: ergo à Deo dependet Homo semper & per totam suam vitam. Talis Legionis singuli interfecti sunt milites: ergo tota interfecta est Legio).

Non valent istæ consequentiæ, ubi *agitur de potentia*: (potest Homo mente sanus, quolibet vitæ suæ instanti distributivè sumpto, propter aliquem attentionis defectum, errare: ergo potest Homo mente sanus, per totam suam vitam, propter aliquem attentionis defectum, errare. Potest Homo, quolibet vitæ suæ instanti distributivè sumpto, falsa aliqua per miraculum deludi imagine: ergo semper potest Homo falsis á Deo deludi imaginibus). Non valent, inquam, istæ consequentiæ: quia ratio eadem qnæ militat pro distributivo, non militat pro collectivo.

Quamvis instanti quolibet distributive sumpto, propter aliquem attentionis defectum, errare possis: non inde fequitur posse te, si mente sanus es, attentione deficere singulis instantibus collectivè sumptis. Alioquin, sanus esses ex suppositione; & non sanus, de facto: ille enim sanus non est, qui perpetuo attentionis defectu laborat.

Quamvis possit Deus singulis instantibus distributivè sumptis, generalem aliquam *Naturæ Legem* per miraculum interrumpere & Sensibus meis aliquandiu illudere, ut instanti sequenti salutarem aliquam & *supernaturalem Veritatem* me doceat (45 & 46): non sequitur inde posse Deum meis semper illudere sensibus & generales Naturæ Leges perpetuò interrumpere. Repugnat enim à Deo generales datas fuisse Naturæ Leges, quæ ab ipso indesinenter interrumpantur: repugnat me à Deo semper decipi, & simul aliquam veritatem doceri. Unde vides eandem rationem quæ favet Distributivo, non semper favere Collectivo.

80. OBJECTIO IV. Ut certi simus rem in se esse qualis concipitur, qualis judicatur; debemus habere certam regulam, seu *certum Criterium* Veritatis dignoscendæ: atqui nullam certam regulam, nullum certum criterium veritatis dignoscendæ habemus: ergo nunquam certi sumus rem in se esse qualis concipitur, qualis judicatur. Probo minorem. Si quam certam regulam dignoscendæ veritatis haberemus, maximè Sensum intimum veritatis & evidentiæ: atqui intimus veritatis & evidentiæ sensus non est certa veritatis cognoscendæ regula: ergo certam nullam habemus regulam cognoscendæ veritatis. Probo minorem. Intimus ille veritatis & evidentiæ Sensus stare potest & sæpe stat cum *Cognitione falsa*, in Homine mente sano qui post longam & attentam meditationem falso decipitur ratiocinio, seu paralogismo: ergo intimus ille veritatis & evidentiæ Sensus non est veritatis certa regula, certum criterium (30 & 32).

Et confirmatur: quia Ebrii, Dormientes, Insani, habent intimum veritatis & evidentiæ Sensum in suis deliriis; & tamen falluntur: ergo à pari iddem potest evenire Sanis, Vigilibus & Sobriis.

RESPONSIO. Concessa majore, nego minorem. Ad probationem, distinguo minorem. Atqui intimus veritatis & evidentiæ Sensus non est certa veritatis cognoscendæ regula, si sensus ille sit firmus & reflexus & constans, nego minorem: si sensus ille sit dubius & fluctuans, sibi suspectus & sibi non constans, concedo minorem & nego consequentiam.

I. Certum & infallibile dignoscendæ Veritatis criterium est internus ille veritatis sensus, quo afficitur quicumque pervenit ad cognitionem penitus certam & evidentem.

Sentiendæ Veritatis capaces sumus, quando ipsius lumine irradiamur; ut sentiendi doloris, quando ægrotamus. Itaque, sicuti certa regula certumque criterium dignoscendi doloris, est sensus doloris intimus: sic certa regula certumque criterium dignoscendæ veritatis & evidentiæ, est *intimus Evidentiæ Sensus*, quem experimur quotiescum-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

que nobis exhibetur aliqua Veritas in se & quoad nos evidens. Tunc sentitur Evidentia; & ubi sentitur, adest.

Evidentia autem seipsam manifestat intellectui; nec alia opus habet evidentia, ut manifestetur: sicut dolor internus per se ipsum sentitur; nec alio opus habet dolore, ut animæ innotescat. Unde, in perceptione evidentiæ, non datur progressus in infinitum (*).

Evidentia est *Medium ad se ipsam*: medium, inquam, impropriè dictum, non verò medium propriè dictum. Medium propriè dictum in cognoscendo, est illud quod ducit in cognitionem alterius; medium impropriè dictum est illud quod ducit in cognitionem sui (8).

II. Evidentia alia est primaria, alia verò secundaria: ut supra observavimus (32). Prior evidentia est absoluta, & sano omni ingenio obvia: posterior evidentia est relativa ad variam vim ingeniorum; & dum alteri obvia est; alteri est persæpe impervia. Prior semper est & clara & firma & penitus indubitata: posterior potest esse & subnubila & anxia & fluctuans. Prior nunquam stat cum cognitione falsa: posterior cum tali cognitione stare potest.

Unde, ad tertium, distincto ut superius antecedente, nego consequentiam. Probat illud argumentum, si quid tamen probat, aliquem esse sensum veritatis, cui comes non est veritas: cum scilicet sensum, quem pariunt præjudicatæ opiniones, præceps judicium, superba cupido inveniendi & excogitandi nova: quique uni proprius est, non communis omnibus.

Paralogismus, ut superiùs diximus, est ratiocinium

(*) NOTA. Datur ineptè & absurdè *Progressus in infinitum*: quoties alicui quæstioni respondetur, per aliquid quod eandem præcisè quæstionem exigit. Verbi gratia, interrogati quidam Indiarum Philosophi, per quid in medio Cœlo suspensa teneatur Terra: respondent, per Elephantum. Sed quærendum restat per quid sustineatur Elephantus: respondent, per Testudinem, Sed quærendum superest, per quid ipsa sustineatur Testudo; & sic in infinitum.

falsum, apparenter verum. Paralogismi nulla unquam suspicio est in conclusionibus quæ à principio evidenti immediatè fluunt: in his tantùm conclusionibus potest obrepere paralogismus, quæ & intricatæ sunt, & à principio suo remotissimæ. Tunc autem subdubia nobis est demonstratio & evidentia; deestque nobis firmus ille & constans evidentiæ sensus, quem dicimus esse certum & infallibile veritatis criterium.

III. Ad confirmationem, transeat antecedens: nego consequentiam & paritatem. Vigilanti, Sobrio & Sano, alius inest evidentiæ sensus, alia conscientia; quàm Ebrio, Somnianti, & Insanienti. Prioribus inest firmus & reflexus & constans veritatis sensus: Posterioribus, incertus & fluctuans, sibi suspectus & sibi non constans, veritatis sensus. Prioribus, summa est & indubitata Certitudo: Posterioribus, incerti & fluctuantis animi constans suspensio & evagatio.

Prior veritatis & evidentiæ sensus omnem parit certitudinem; nullam posterior: prior veritatis & evidentiæ sensus nunquam stat cum cognitione falsa; cum tali interdùm cognitione stat posterior.

81. ADNOTATIO. Sensus intimus parit indubitabilem de objecto suo certitudinem: ut in præcedenti quæstione demonstravimus. Unde, dum aliquis falso deceptus ratiocinio habet intimum aliquem evidentiæ sensum, certus est quidem se in mente sua habere eam qualemcumque evidentiam quam sentit: quamvis à tali evidentia mentali non possit concludere quòd objectum illius evidentiæ in se sit, quale esse apparet.

Quærendum igitur & definiendum hîc superest, quandonam ab *Evidentia mentali* liceat concludere ad *Veritatem objectivam*; & affirmo ab evidentia mentali quæ sentitur, legitimè & indefectibiliter concludi ad veritatem objectivam: quotiescumque evidentia illa mentalis est firma & reflexa & sibi constans & penitus indubitata.

82. OBJECTIO V. Nihil cognoscimus nisi per Sensus; juxta vetus illud axioma aut adagium philosophicum: *nihil est in Intellectu, quod priùs non fuerit in Sensu*: atqui Sensus sunt medium cognitionis fallax: ergo nihil cognoscimus nisi per fallax cognitionis medium; ac proinde, nihil certò & infallibiliter cognoscimus.

RESPONSIO. I. Nego majorem. Quam multa enim cognoscimus & scimus, aut cognoscere & scire possumus, sine Sensuum ministerio: verbi gratia, quòd existamus, ex eo quòd cogitemus; quòd extiterit aliqua nostræ existentiæ causa, ex eo quòd sentimus esse nos habendæ à nobismetipsis existentiæ incapaces; quòd Totum sit majus parte sua; quòd inter se eadem sint, quæ sunt eadem cum uno tertio; quòd Quadratum ideale sit Productum suæ basis per suam altitudinem; quòd tale Quadratum in partes duas æquales dividatur per lineam rectam, ab uno angulo ad angulum oppositum ductam; & sic de aliis. Non ego crediderim, homini Sensibus exterioribus privato, sed recta interiùs organizatione donato, impossibile esse ad sublimiores multas cognitiones, tum in Metaphysica, tum in Dialectica, tum in Geometria, tum in Morali, per solam ingenii sui vim intrinsecam assurgere.

Quòd spectat ad allatum in probationem Adagium; dico illud nullatenus mereri nomen *Axiomatis*: tum quia non est universaliter verum; multa enim sunt in intellectu, quæ in nullo unquam fuerunt Sensu, ut varia intellectûs judicia & ratiocinia, ut idea Dei, idea Animæ, idea Æternitatis, idea Futuritionis, variæ Moralitatis & Infinitatis Ideæ: tum quia non sufficientem in se habet & certitudinem & evidentiam; nullo enim modo per illud nobis certum fit & notum quòd transeant & quomodò transeant in intellectum variæ Sensuum impressiones. Nihil igitur aliud significare & importare videtur verus illud veteris Philosophiæ adagium; nisi quòd non cogitemus ut plurimùm, nisi de iis quæ fuere nostris subjecta sensibus: quod in nostram thesim nullatenus militat.

II. Nego minorem: demonstrabimus enim in tota sequenti quæstione, *Sensus ritè adhibitos* non esse fallax, imò esse certum & infallibile, Cognitionis Medium.

83. OBJECTIO VI. Nullum est objectum de quo dari possit Scientia: ergo nulla scientia datur. Probo antecedens. Duplex est tantùm objectorum species; unum necessarium, nempe *Deus*, reliqua contingentia, nempe *Creaturæ omnes*, atqui nec Entia contingentia, nec Ens necessarium, possunt esse objectum scientiæ: ergo nullum est objectum de quo dari possit scientia.

Probatur statim pars minoris prior. Scientia, ut pote necessaria, debet habere objectum in se necessarium & immutabile; sine tali enim in objecto necessitate & immutabilitate, nulla est cognitio certa, nullaque proinde scientia (29 & 57): atqui *Entia contingentia*, seu Entia quæ possunt vel existere vel non existere, non sunt objectum in se necessarium & immutabile: ergo Entia contingentia non possunt esse objectum scientiæ.

Probatur deinde pars ejusdem minoris posterior. Non ascenditur ad cognitionem *Entis necessarii*, seu Entis à semetipso & per essentialem suam exigentiam ab æterno existentis, nisi per Entia contingentia: ergo si non possit dari scientia de Ente contingente, ut probavimus; neque dari potest scientia de Ente necessario.

RESPONSIO. Nego antecedens. Ad probationem, nego minorem. Ad utramque illius minoris probationem:

I. Distinguo antecedens prioris probationis. Scientia debet habere objectum in se necessarium & immutabile, in genere existentiæ, nego antecedens; in genere veritatis, concedo antecedens & nego consequentiam.

Nihil est nisi misera verborum æquivocatio illud argumentum; quod totum ruet, si voces explanentur. Scientia dicitur *necessaria*: quia impossibile est ut ipsius objectum in se non sit, eo modo quo esse cognoscitur: objectum ergo illius debet esse necessarium in eo sensu,

*

quòd necessariò debet esse quale concipitur, quale enunciatur.

Porrò Entibus contingentibus convenit talis necessitas, talis immutabilitas: dum considerantur secundùm *proprietates ipsis essentiales*, secundùm proprietates quibus impossibile est ut careant. Sic Triangulus est ens contingens, quia potest non existere. Sed si existat Triangulus, tribus constabit lineis: ecce tibi proprietatem essentialem, secundùm quam Triangulus erit objectum in se necessarium & immutabile, verum certitudinis & scientiæ objectum. (29 & 43)

II. Nego antecedens posterioris probationis. Posito enim quòd existat aliquod *Ens contingens*: illud ens contingens deducit necessariò & evidenter ad cognitionem Dei existentis. Porrò nemini dubium esse potest, quòd existat ens aliquod contingens: nisi de sua dubitet existentia, quod est impossibile. (48)

84. INSTABIS I. Atqui ne Essentiæ quidem rerum, sunt objectum certitudinis & scientiæ: ergo nulla de rebus certitudo, nulla scientia datur. Probo antecedens. Quod est in se mutabile, non est objectum certitudinis & scientiæ: atqui *Essentiæ rerum*, sunt in se mutabiles: ergo non sunt objectum certitudinis & scientiæ. Probo minorem. Quod pendet à Deo, est in se mutabile: atqui essentiæ rerum pendent à Deo: ergo essentiæ rerum sunt in se mutabiles.

RESPONSIO. Nego antecedens. Ad probationem, omissa majore, quæ non est universaliter vera, nego minorem. Non minùs pugnantia loquitur, qui asserit essentias rerum esse mutabiles; quàm qui diceret esse possibile ut aliquid simul sit & non sit. Si enim mutarentur essentiæ rerum, jam res eadem simul esset & non esset id quod ipsa est: verbi gratia, si mutaretur essentia Trianguli in essentiam Circuli; triangulus jam foret triangulus & non foret triangulus. Si mutaretur essentia Hominis in essentiam Leonis aut in essentiam Aquilæ; jam homo simul foret & non foret homo: quod evidenter repugnat. (5 & 43)

Ad tertium, concedo majorem in sensu minoris, quam sic distinguo. Atqui essentiæ rerum pendent à Deo, quoad suum *esse physicum*, seu ut existant vel non existant, concedo minorem: quoad suum *esse metaphysicum*, seu ut existant donatæ vel privatæ suis constitutivis intrinsecis & caracteristicis, nego minorem & consequentiam. Esse rei physicum, est ejus existentia: esse rei metaphysicum, sunt illa rei attributa aut constitutiva aut prædicata, quibus concipitur res non posse carere.

85. INSTABIS II. Atqui temerè & sine fundamento asseritur non posse rerum essentias ad arbitrium divinæ voluntatis mutari: ergo nulla solutio. Probo subsumptum. Illud temerè & sine fundamento asseritur, si nobis non est penitus cognita divinæ Omnipotentiæ sphæra: verum consequens, ergo & antecedens. Constat major: si enim non cognoscimus omnem penitus divinæ omnipotentiæ sphæram; qua fronte illi terminos assignamus? Minor est evidens: divina enim omnipotentia, ut pote infinita, non potest finito comprehendi ingenio.

RESPONSIO. Nego subsumptum. Ad probationem, nego majorem. Quamvis non cognoscamus omnem divinæ omnipotentiæ sphæram; id est, quamvis non cognoscamus omnes rerum species & omnia rerum individua ad quæ potest sese extendere divina omnipotentia: scimus tamen & ipsa nixi evidentia asserimus, sine ulla temeritatis nota, non posse illam sese extendere ad ea quæ in se evidenter repugnant. Divina enim omnipotentia, ut jam notavimus, non est *Potentia chimerica*: foret autem potentia chimerica, si posset facere ut res aliqua non sit id quod est. Unde, ex repugnantia & impossibilitate alicujus rei cognita, concludo evidenter rem illam intra divinæ omnipotentiæ sphæram non contineri. (77 & 84)

86. OBJECTIO VII. Juxta principem Philosophorum Aristotelem, scientiæ sunt de Universalibus: sed non datur

scientia de universalibus: ergo non datur scientia. Probo minorem. Ut detur scientia de universalibus, debet posse fieri enumeratio & examen omnium singularium, seu omnium individuorum, ex quibus constant universalia: impossibile consequens, ergo & antecedens. Probo majorem. Non possum certò scire & asserere omnes hujus urbis incolas esse doctos, nisi, facto priùs singulorum examine, experientia & observatione didicerim quòd singuli sint docti: ergo, ut detur scientia de universalibus, opus est ut priùs fiat singulorum enumeratio & examen.

RESPONSIO. Omissa majore, nego minorem. Ad probationem, distinguo majorem. Ut detur scientia de universalibus, debet posse fieri enumeratio & examen omnium individuorum ex quibus constant universalia, si scientia sit de attributo accidentali, concedo majorem: si scientia sit de attributo essentiali, nego majorem & consequentiam. (19 & 43)

Esto: dixerit Aristoteles scientias esse de universalibus. Quid ad Nos, *nullius addictos jurare in verba Magistri*; ut rectè de se ipso canit Poëta apud Romanos philosophus? Rationum momentis, non Philosophorum auctoritate movemur.

Quàm falsum sit autem quod Universalia sint unicum scientiæ objectum, experimur unusquisque. Nonne conscii nobis sumus de nostra existentia, de existentia increati alicujus existentiæ nostræ Auctoris: licet hæc sint objecta particularia? Unde dico Aristotelem id unum docuisse aut docere debuisse: scilicet, quòd scientiæ considerent communiter objectum suum universaliter sumptum, nec excurrant per singularia objecta; atque in hoc sensu verum est adagium aristotelicum.

87. OBJECTIO VIII. Scientia omnis est cognitio perfecta: sed nulla datur in Homine cognitio perfecta: ergo nulla datur in homine scientia.

RESPONSIO. Distinguo majorem. Scientia omnis est cognitio perfecta, secundùm cognoscendi modum, concedo majorem: secundùm omnem cognoscibilitatem objecti, nego majorem; & sic distincta minore, nego consequentiam.

Soli Deo convenit *Cognitio perfecta secundùm omnem objecti cognoscibilitatem*: quia solus Deus infallibiliter potest, cognitione comprehensiva, omnia principia, omnes proprietates, omnes relationes entis cogniti percipere. Nobis convenit cognitio perfecta duntaxat secundùm cognoscendi modum: quia cognitione tantùm partiali attingimus objecta.

Scientia comprehensiva ea est qua cognoscitur objectum, quantùm est cognoscibile, seu quantùm cognosci potest. *Scientia partialis* ea est qua cognoscitur objectum duntaxat secundùm aliquid. Utraque illa scientia, quoad modum cognoscendi, quoad certitudinem cognitionis, perfecta est; nec una perfectior & certior est quàm altera.

88. INSTABIS I. Atqui ne perfecta quidem secundùm cognoscendi modum, in Homine datur scientia: ergo nulla solutio. Probo subsumptum. Non potest dari perfecta secundùm cognoscendi modum scientia, nisi certa & vera sint in se prima cognitionum Principia: atqui certa & vera non sunt in se prima cognitionum principia: ergo non potest dari perfecta secundùm cognoscendi modum scientia. Probo minorem. Instar omnium sint tria hæc cognitionum Principia: (quæ sunt eadem cum uno tertio, sunt eadem inter se: nihili nulla est proprietas realis & positiva, & ex nihilo nihil fit: impossibile est idem simul esse & non esse): atqui certa & vera non sunt in se tria hæc cognitionum principia; quod sic probo per partes.

I. Juxta fundamentalia Religionis & Fidei principia, Pater & Filius, in sanctissima Trinitate, identificantur uterque cum Natura divina; & tamen Pater & Filius sunt duæ Personæ inter se distinctæ, quod idem dici potest & debet de Spiritu Sancto: ergo nec certum nec verum est fundamentale totius Dialecticæ omnisque legitimi ratioci-

nii Principium; quo docemur ea inter se identificari, quæ cum uno tertio identificantur.

II. Juxta fundamentalia eadem Religionis & Fidei principia, ex nihilo eductus & extractus est, per *Creationem verè & propriè dictam*, Mundus iste aspectabilis universus: ergo falsum est Principium quo docemur ex nihilo nihil fieri, & nihili nullam esse proprietatem.

III. Juxta fundamentalia observationis & experientiæ Principia, Natura humana, utpote spiritualis simul & materialis, includit & complectitur in se simul, materialitatem & negationem materialitatis, spiritualitatem & negationem spiritualitatis: ergo in se includit & complectitur Natura humana, ens & non ens ejusdem denominationis: ergo in ea falsum est Principium quo docemur impossibile esse ut idem simul sit & non sit.

RESPONSIO. Nego subsumptum. Ad probationem, nego minorem. Ad tertium, nego minorem quoad omnes ipsius partes.

I. Juxta fundamentalia Religionis & Fidei principia, Pater & Filius & Spiritus Sanctus sunt tres in Divinitate Personæ aut Relationes distinctæ: quæ simul sumptæ sunt tota Natura divina; sed quarum nulla, si separatim sumatur, est tota Natura divina.

In obscuro & humanæ menti inacceso sanctissimæ Trinitatis mysterio non falsificatur, sed malè applicatur fundamentale Principium, quod hîc impetitur. Unicum illius Principii objectum est adæquata & evidens duorum cum uno tertio identitas: ex qua evidenter sequitur adæquata duorum illorum inter se identitas. Maneat ergo fixum & inconcussum illud Principium, quod per se certissimum & evidentissimum est in omnibus rebus intelligibilibus; & quod in adorando sanctissimæ Trinitatis mysterio, cujus nullam ideam claram habemus, nulla efficaci ratione falsum esse demonstratur. Unde in forma, omisso antecedente, nego consequentiam: quia *in Rebus, propter obscura & incerta, non debent deseri aut in dubium vocari clara & certa*; ut fert aliud axioma philosophicum. (5 & 444)

Vel, ad uberiorem forte rei explicationem, quantum subjecta patitur materia, distinguo antecedens: Pater & Filius identificantur uterque cum Natura divina adæquatè sumpta, nego antecedens: cum Natura divina inadæquatè sumpta, concedo antecedens & nego consequentiam.

Ut argumentis à Ratione petitis posset philosophicè impugnari fundamentale Trinitatis dogma; necessariò requireretur ut impugnanti, tum Personarum divinarum, tum Naturæ divinæ, inessent claræ ideæ: quibus deficientibus, ut ritè observat & explicat *Philosophia Religionis*, nihil potest nisi ineptè effutiri ab eo qui insurgit in dogma illud divina Revelatione manifestatum, sed humanæ Rationi in se & per se semper incomprehensibile. Qua enim methodo philosophica quibusve philosophicis ratiociniis probabit & evincet adorandi illius dogmatis Impugnator, divinas tres Personas, aut divinas tres Relationes, quarum nullam penitus habet ideam claram, non posse identificari cum Natura divina; quam utpote infinitam non nisi imperfectè cognoscit ipse in cognoscendo finitus?

II. Fundamentalis Principii, quo docemur ex nihilo nihil fieri, unicus iste sensus est: scilicet nihilum esse non posse *Principium productionis* aut *Principium compositionis* alicujus rei; & in hoc sensu verissimum est istud Principium.

Si velit aliquis isto principio significari, quod *Ens possibile & nondum existens* non possit ad existentiam perduci à divina Omnipotentia: jam Principii nomen non merebitur hæc propositio, sed impiæ potiùs & insanæ falsitatis notam jure sibi vindicabit.

III. Docet observatio, docet experientia, ex substantia duplici, quarum alia materialis sit & alia spiritualis, confiari Naturam humanam. Prior, ens materialitatis ita includit, ut ens spiritualitatis à se essentialiter excludat: posterior, ita includit ens spiritualitatis, ut à se essentialiter excludat ens materialitatis: neutri competit, neutri unquam potest competere, ens & non ens ejusdem denominationis.

Enti cuilibet finito quædam insunt proprietates qui-

bus constituatur, & quædam proprietatum aliarum privationes aut negationes quibus limitetur. At nulli eidem subjecto simul inesse potest & talis quæcumque entitas, & ejusdem entitatis oppositum: quod tamen essentialiter requireretur, ut falsum foret quod hîc impugnatur Principium.

INSTABIS II. Ut perfecta daretur in cognoscendo scientia; necessarium foret ut repræsentativæ rerum ideæ semper essent veræ: atqui repræsentativæ rerum ideæ non sunt semper veræ: ergo non datur perfecta in cognoscendo scientia. Probo minorem. Ut repræsentativæ rerum ideæ semper essent veræ; requireretur ut semper essent objecto suo conformes: atqui repræsentativæ rerum ideæ non sunt semper objecto suo conformes: ergo repræsentativæ rerum ideæ non sunt semper veræ. Probo minorem. Insunt ideæ objecto suo non conformes, tum illi qui, viso Aurichalco, habet *ideam Auri*; tum illi qui, viso Lupo, habet *ideam Canis*: ergo repræsentativæ rerum ideæ non sunt semper objecto suo conformes.

RESPONSIO. Nego minorem. Ad probationem, concedo majorem, in sensu minoris, quam sic distinguo. Requireretur ut repræsentativæ rerum ideæ semper essent conformes objecto suo terminativo, quod solum est ipsarum objectum propriè dictum, concedo minorem: objecto suo determinativo, quod non nisi impropriè dicitur ipsarum objectum, nego minorem & consequentiam (59).

Quæcumque fuerit causa aut occasio *Ideæ* in intellectu meo hîc & nunc existentis: objectum illius ideæ est id ipsum quod ab illa exprimitur & repræsentatur; est id ipsum cujus lineamenta in intellectu meo existunt. Falli potest intellectus humanus in judicando, sed in repræsentando falli non potest.

Imò, vel dum fallitur intellectus humanus, judicando *Turrim cylindricam* quæ in ipso depingitur, verbi gratia, esse conformem Turri alicui quæ procul spectatur, & quæ

in se est quadrata: poterit vera & certa ferre judicia de Turri quæ in ipso delineatur; poterit scilicet judicare talis Turris quæ in ipso delineatur; poterit scilicet judicare talis superficiem Turris esse productum circumferentiæ per altitudinem; talis soliditatem Turris esse productum basis per altitudinem; & sic de aliis (*Math.* 564 & 607).

90. INSTABIS III. Atqui ideæ permultæ nec sunt, nec esse possunt, objecto suo conformes: ergo nulla solutio. Probo subsumptum. Idea rei materialis & extensæ, verbi gratia, idea Trianguli, idea Turris cylindricæ, est idea in se spiritualis & inextensa (58): sed idea in se spiritualis & inextensa non est conformis objecto in se materiali & inextensa non est conformis objecto in se materiali & extenso: ergo idea rei materialis & extensæ, non est conformis objecto suo, objecto scilicet in se materiali & extenso.

RESPONSIO. Nego subsumptum. Ad probationem, distinguo minorem. Sed idea in se spiritualis & inextensa non est conformis objecto in se materiali & extenso, conformitate entitatis, concedo minorem: conformitate repræsentationis & imitationis, nego minorem & consequentiam.

Ut Tabella aliqua sit objecto suo conformis; non opus est ut sit entitativè objecto suo similis, ut characteristicas objecti sui proprietates entitativè contineat: sufficit ut suum verè repræsentet objectum, ut characteristicas objecti sui proprietates menti fideliter exhibeat.

91. INSTABIS IV. Atqui *idea Trianguli*, verbi gratia, non potest objecto suo esse conformis: nisi illa idea in se sit entitativè materialis & extensa; ergo nulla solutio. Probo subsumptum. Ut idea Trianguli sit objecto suo conformis, debet repræsentare tres angulos à se invicem separatos: atqui idea Trianguli non potest repræsentare tres angulos à se invicem separatos, quin ipsa sit entitativè materialis & extensa: ergo idea Trianguli non potest esse objecto suo conformis, quin ipsa sit entitativè materialis & extensa. Probo minorem. Idea trianguli non potest repræ-

*

sentare tres angulos à se invicem separatos; quin tres illi anguli sint à se invicem separati in idea triangulum repræsentante: atqui tres illi anguli non possunt à se invicem esse separati in idea triangulum repræsentante, quin illa idea sit entitativè materialis & extensa: ergo idea trianguli non potest repræsentare tres angulos à se invicem separatos, quin ipsa sit entitativè materialis & extensa.

RESPONSIO. Nego subsumptum. Ad probationem, nego minorem. Ad tertium, nego majorem. Ratio negandi est, quia sicut tabella *Canis viventis* canem vivum potest optimè repræsentare; quin canis illius ossa, nervi, sanguis, caro, & vita existant realiter in ipsamet tabella: ita idea Trianguli triangulum potest optimè repræsentare, quin tres ipsius anguli existant realiter distincti & separati in ipsamet idea.

In idea trianguli existunt tres anguli, secundùm suam repræsentationem, non secundùm suam entitatem & separationem. Ut perfecta sit conformitas triangulum inter & ideam trianguli; requiritur & sufficit eandem laterum & angulorum positionem esse in mente repræsentativè, quæ extra mentem est entitativè.

92. INSTABIS V. Non concipitur quomodò res materialis possit in idea repræsentari: ergo non admittenda est talis imago & repræsentatio.

RESPONSIO. Concesso antecedente: nego consequentiam. Propter incerta & obscura, non debent certa & evidentia dimitti aut in dubium vocari (5). An negabis quod existas, quod cogites: quia fortè ignoras & quomodo cogites & quomodo existas? An negabis corpus tuum moveri ad arbitrium animæ tuæ: quia obscurum & incertum tibi est, quomodò ad tuæ arbitrium animæ moveatur corpus tuum?

Porrò certi sumus, Sensu intimo judice, existere in nobis spirituales illas rerum imagines: ut superius demonstravimus. Quomodo efformentur in nobis spirituales

illæ rerum imagines; esto, incertum sit, quod certum est, id asserimus; quod incertum, illud omittimus (58 & 66).

93. INSTABIS VI. Habetur idea chimæræ, habetur idea nihili, habetur idea privationis & negationis: sed illæ ideæ non sunt conformes objecto suo; alioquin essent conformes chimæræ, nihilo, negationi & privationi; quod impossibile & absurdum est: ergo quædam ideæ non sunt objecto suo conformes.

RESPONSIO. Nego majorem. Quid sint & quo in sensu habeantur tales ideæ, breviter explico.

I. Chimæra dicitur id quod in se repugnat; id quod includit inter se opposita, inter se composibilia: ut circulus quadratus, ut homo-leo. Nullam dari ideam chimæræ repræsentativam, facile evincitur. Instar omnium sit istud exemplum, *homo-leo*. Impossibile est ut mens sibi repræsentet hominem leonem, seu hominem qui sit leo: sed homo-leo foret chimæra: ergo impossibile est ut mens sibi repræsentet chimæram. Demonstratur major. Homo, in conceptu suo, dicit naturam hominis, & exclusionem omnis alterius naturæ ab humana distinctæ; ac proinde exclusionem naturæ leoninæ: ergo impossibile est ut mens sibi repræsentet hominem-leonem.

Dicamus igitur ideam quæ videtur haberi de chimæra, verbi gratia, de homine-leone, esse ideam duplicem; quarum altera hominem repræsentet, & altera leonem. Utriusque illius objecti inconjungibilitatem videt mens; & *idea hujus inconjungibilitatis*, quæ non est idea chimærica, est conformis objecto suo: repræsentat enim hominem cum leone inconjungibilem; ut revera est in se homo cum leone in unam & eandem naturam inconjungibilis.

II. Idea Nihili, Privationis, Negationis, habetur, non in se & per se, sed per entitatem oppositam. Sic idea Nihili, ante Mundi creationem, est idea omnis entis ab immensitate divina aut ab infinito spatio exclusi. Sic ideæ

irrationalitatis in bruto, est idea irrationalitatis à bruto exclusæ; sic idea cæcitatis in Petro, est idea visionis à Petro exclusæ; & sic de cæteris. (59)

94. INSTABIS VII. Evidentes sunt istæ propositiones: (Chimæra non potest in intellectu repræsentari, Nihili nulla est realis proprietas, Circulus quadratus repugnat, Deus injustus est impossibilis, Vitium est non amabile): sed evidentes esse non possunt illæ propositiones, quin habeatur idea de ipsarum subjecto; ac proinde de chimæra, de nihilo, de circulo quadrato, de Deo injusto, de vitio. Probo minorem. Ut aliqua propositio sit evidens, requiritur ut habeatur & idea subjecti & idea attributi illius propositionis; sine quibus evidenter percipi nullatenus potest attributi cum subjecto convenientia aut disconvenientia: sed subjectum propositionum in exemplum allatarum est chimæra, nihilum, circulus quadratus, Deus injustus, vitium: ergo, si evidentes sunt allatæ in exemplum propositiones, habetur idea chimæræ, nihili, circuli quadrati, Dei injusti, vitii.

RESPONSIO. Allatæ in exemplum propositiones sunt in se evidentes; & illarum percipitur subjectum, si spectentur ut sunt in mente, non ut sunt in verbis.

Ecce tibi naturalem & analyticum harum propositionum ordinem, si illas in mente observes tua. (Nulla repræsentatio potest esse repræsentatio chimæræ, seu entis non entis: proprietas realis non potest inesse non enti: Deus non potest existere injustus, seu habens injustitiam quam essentialiter excludit ipsius natura: circulus non potest existere quadratus: virtuti inest amabilitas, quæ ab ejus opposito excluditur).

Propositiones illas in statu & ordine suo mentali ubi sic spectabis: facilè intelliges, & quomodò earum concipias subjectum; & quomodò in ipsis deprehendas convenientiam subjecti & attributi, unde resultat intrinseca ipsarum evidentia.

95. INSTABIS VIII. Habetur *idea Infiniti*, tum in perfectione, tum in extensione, tum in duratione, tum in numero: sed Idea Infiniti non potest esse conformis objecto suo, nisi ipsa sit infinita; quod repugnat. Intellectus enim finitus, qualis est in homine, non potest in se habere ideam infinitam.

RESPONSIO. Concedo majorem, & distinguo minorem. Sed idea Infiniti non potest esse conformis objecto suo, nisi ipsa sit infinita repræsentativè, concedo minorem: nisi ipsa sit infinita entitativè, nego minorem & consequentiam. (90 & 366)

Ut imago aliqua materialis sit objecto suo conformis, non opus est ut objectum suum extensione adæquet sua: exigua enim imago, quæ in fundo oculi mei delineatur, immensam planitiem, imò & immensum cœli fornicem repræsentat, & est objecto repræsentato verè conformis. Cur oportebit ut objecto suo commensuretur entitativè *imago spiritualis*, ut sit objecto suo conformis?

96. OBJECTIO IX. Nullis opus est ideis, ut res intellectui repræsententur: ergo non sunt admittendæ ideæ rerum repræsentativæ, & objectis suis conformes. Probo antecedens. Ut habeatur *idea Trianguli*; sufficit existere intellectum cognoscendi capacem, & triangulum in se cognoscibilem: ergo nullâ opus est idea trianguli repræsentativa.

Et confirmatur: quia objecta immediatè attinguntur ab intellectu: ergo non opus est ideis quæ sint medium inter intellectum & objecta.

RESPONSIO. Nego antecedens. Ad probationem, nego antecedens. Si enim ad *cognitionem Trianguli*, sufficeret intellectus & triangulus; quotiescumque existeret & intellectus & triangulus, existeret cognitio trianguli: quod evidenter falsum est. Quid igitur ultra requiritur? Requiritur quædam in intellectu modificatio, qua res repræsentanda in ipso imprimatur & delineetur.

Sic, si velim in cera repræsentari faciem humanam, non sufficit existere ceram & faciem humanam: sed ultra requiritur ut ope sigilli in cera imprimam hanc faciei humanæ imaginem. Impressio in cera; ecce tibi materialem imaginem: impressio in intellectu; ecce tibi spiritualem imaginem, seu ideam intellectualem. Idea est igitur vitalis modificatio intellectûs. Quid sit illa intellectûs modificatio, sit ne ens realiter distinctum ab intellectu, an ens ab intellectu indistinctum, investigabimus in Ontologia. (328)

Ad confirmationem, distinguo antecedens. Objecta immediatè attinguntur ab intellectu; id est, nulla mediante intellectus modificatione, nego antecedens: aliqua mediante & sola mediante intellectûs modificatione, concedo antecedens & nego consequentiam. Quidquid sit in se vitalis illa intellectûs modificatio, rerum repræsentativa; certè illa necessaria est ut intellectus objecta attingat & repræsentet: sicut necessaria est ceræ quædam modificatio faciei humanæ repræsentativa, ut cera humanam faciem repræsentet.

97. INSTABIS. Res spirituales non possunt in mente seu in intellectu depingi: ergo rerum saltem spiritualium nullæ habentur imagines. Probo antecedens. Res spirituales nulla in se habent lineamenta, quæ possint depingi: ergo rerum spiritualium nulla imprimi, nulla delineari in mente potest imago.

RESPONSIO. Nego antecedens. Ad probationem, distinguo antecedens. Res spirituales nulla habent lineamenta, quæ possint depingi ad instar rerum materialium, concedo antecedens: quæ possint depingi juxta naturam suam, nego antecedens & consequentiam.

Res spirituales in seipsis habent varias proprietates spirituales, quibus inter se distinguuntur & specificantur, & quæ possunt menti exhiberi: illa *Proprietatum spiritualium exhibitio*, est ipsarum imago & tabella.

Quam heri habuisti cogitationem de Deo aut de Sole aut de Triangulo, hodie in mentem tibi revoca: habebis imaginem & repræsentationem *Cogitationis tuæ hesternæ*; ac proinde habebis rei in se spiritualis imaginem.

ARTICULUS POSTERIOR.

DE VARIIS SCIENTIARUM SPECIEBUS ET OBJECTIS.

98. OBSERVATIO. De Scientia in genere, seu de Scientia quatenus est *Cognitio aliqua in se certa & evidens*, egimus in toto precedente Articulo: ubi & quid sit & in quo fundetur & quibus tricis impugnetur talis scientia, sufficienter exhibuimus. (57)

De Scientia sub alio respectu spectata, seu de Scientia quatenus est *congeries quædam & concatenatio Veritatum à Principiis in se certis & evidentibus fluentium*, agendum nobis superest in præsenti Articulo: in quo, circa varia Scientiarum objecta, varios caracteres, varias species, multa scitu necessaria perpaucis trademus.

Quidquid in præcedenti articulo, circa scientiam in genere spectatam, demonstratum est aut refutatum: id demonstratum etiam aut refutatum circa scientiam sub posteriori sensu spectatam, facilè intelliges. Unde posteriori huic articulo, & scientiæ cuivis humanæ, nullatenus extraneus est articulus prior.

SCIENTIÆ SPECULATIVÆ ET PRACTICÆ.

99. OBSERVATIO. Dividuntur *Scientiæ propriè dictæ*, seu scientiæ quatenus sunt congeries quædam & concatenatio Veritatum à Principiis in se certis & evidentibus fluentium; dividuntur, inquam, in scientias speculativas, & in scientias practicas.

I. *Scientiæ speculativæ* dicuntur illæ, quæ in mera objecti sui cognitione & contemplatione sistunt; nihil circa illius productionem præcipientes. Talis est Physica, quæ

Sic, si velim in cera repræsentari faciem humanam, non sufficit existere ceram & faciem humanam: sed ultra requiritur ut ope sigilli in cera imprimam hanc faciei humanæ imaginem. Impressio in cera; ecce tibi materialem imaginem: impressio in intellectu; ecce tibi spiritualem imaginem, seu ideam intellectualem. Idea est igitur vitalis modificatio intellectûs. Quid sit illa intellectûs modificatio, sit ne ens realiter distinctum ab intellectu, an ens ab intellectu indistinctum, investigabimus in Ontologia. (328)

Ad confirmationem, distinguo antecedens. Objecta immediatè attinguntur ab intellectu; id est, nulla mediante intellectus modificatione, nego antecedens: aliqua mediante & sola mediante intellectûs modificatione, concedo antecedens & nego consequentiam. Quidquid sit in se vitalis illa intellectûs modificatio, rerum repræsentativa; certè illa necessaria est ut intellectus objecta attingat & repræsentet: sicut necessaria est ceræ quædam modificatio faciei humanæ repræsentativa, ut cera humanam faciem repræsentet.

97. INSTABIS. Res spirituales non possunt in mente seu in intellectu depingi: ergo rerum saltem spiritualium nullæ habentur imagines. Probo antecedens. Res spirituales nulla in se habent lineamenta, quæ possint depingi: ergo rerum spiritualium nulla imprimi, nulla delineari in mente potest imago.

RESPONSIO. Nego antecedens. Ad probationem, distinguo antecedens. Res spirituales nulla habent lineamenta, quæ possint depingi ad instar rerum materialium, concedo antecedens: quæ possint depingi juxta naturam suam, nego antecedens & consequentiam.

Res spirituales in seipsis habent varias proprietates spirituales, quibus inter se distinguuntur & specificantur, & quæ possunt menti exhiberi: illa *Proprietatum spiritualium exhibitio*, est ipsarum imago & tabella.

Quam heri habuisti cogitationem de Deo aut de Sole aut de Triangulo, hodie in mentem tibi revoca: habebis imaginem & repræsentationem *Cogitationis tuæ hesternæ*; ac proinde habebis rei in se spiritualis imaginem.

ARTICULUS POSTERIOR.

DE VARIIS SCIENTIARUM SPECIEBUS ET OBJECTIS.

98. OBSERVATIO. De Scientia in genere, seu de Scientia quatenus est *Cognitio aliqua in se certa & evidens*, egimus in toto precedente Articulo: ubi & quid sit & in quo fundetur & quibus tricis impugnetur talis scientia, sufficienter exhibuimus. (57)

De Scientia sub alio respectu spectata, seu de Scientia quatenus est *congeries quædam & concatenatio Veritatum à Principiis in se certis & evidentibus fluentium*, agendum nobis superest in præsenti Articulo: in quo, circa varia Scientiarum objecta, varios caracteres, varias species, multa scitu necessaria perpaucis trademus.

Quidquid in præcedenti articulo, circa scientiam in genere spectatam, demonstratum est aut refutatum: id demonstratum etiam aut refutatum circa scientiam sub posteriori sensu spectatam, facilè intelliges. Unde posteriori huic articulo, & scientiæ cuivis humanæ, nullatenus extraneus est articulus prior.

SCIENTIÆ SPECULATIVÆ ET PRACTICÆ.

99. OBSERVATIO. Dividuntur *Scientiæ propriè dictæ*, seu scientiæ quatenus sunt congeries quædam & concatenatio Veritatum à Principiis in se certis & evidentibus fluentium; dividuntur, inquam, in scientias speculativas, & in scientias practicas.

I. *Scientiæ speculativæ* dicuntur illæ, quæ in mera objecti sui cognitione & contemplatione sistunt; nihil circa illius productionem præcipientes. Talis est Physica, quæ

Naturam corpoream speculatur, non facit. Talis est Geometria quæ, dum varias Extensionis abstractè sumptæ proprietates & relationes meditando investigat, principiis innixa evidentibus demonstrat inesse objectis ab ipsa conceptis tales extensionis proprietates & relationes.

II. *Scientiæ practicæ* dicuntur illæ, quæ demonstratas aliquas tradunt leges aut regulas, juxta quas rectè fiat ipsarum objectum. Talis est Logica, quæ docet & demonstrat modum eliciendi rectas definitiones, rectas divisiones, judicia scientificè opposita, conclusiones ex præmissis ritè & legitimè fluentes. Talis est Arithmetica quæ, dum varias tradit methodos juxta quas certæ quædam fiant in Numeris operationes, principiis innixa evidentibus demonstrat certam esse & infallibilem quamlibet methodum ab ipsa præscriptam & sancitam.

Scientiarum speculativarum objectum est aliquid jam factum, jam existens; aut aliquid quod ut jam factum & jam existens consideratur: præscindunt illæ ab objecto suo faciendo. Scientiarum practicarum objectum est aliquid nondum existens, nondum factum, sed merè factibile: non præscindunt illæ ab objecto suo faciendo, sed in faciendo objecto suo totæ sunt.

ARTES ACTIVÆ ET FACTIVÆ.

100. OBSERVATIO. *Ars propriè dicta*, sive liberalis sit, sive sit mechanica, est rectus quidam operandi habitus: cui nulla prælucet evidentia; quem peperit experimentalis & practicus rerum usus; quem regit, aut cæca quædam methodus ab exemplis petita, aut cæca quædam congeries regularum in se quidem certarum, ut docet experientia; sed in se nullatenus demonstratarum, quia à nullis fluunt principiis in se evidentibus. Talis est ars Fabri, ars Sutoris, ars Pictoris, ars Sculptoris: talis est ars Musici, ars Gladiatoris, ars Saltatoris; & sic de aliis. Ars differt à Scientia: quia prior excludit & posterior includit evidentiam.

I. Inter Artes propriè dictas, aliæ dicuntur factivæ, aliæ activæ nuncupantur.

Artes factivæ sunt illæ quæ exercentur circa aliquid ex natura sua permanens ac durabile; seu, ut ajunt, quæ opus post se relinquunt. Talis est Pictura; cujus opera, nempe Tabellæ, durationem habent.

Artes activæ sunt illæ quæ dirigunt opus aliquod fluxum & transiens; seu, ut ajunt, quæ post se non relinquunt opus. Talis est Musica; à qua diriguntur Soni, qui desinunt esse, eo instanti quo fiunt.

II. Inter Artes propriè dictas, aliæ liberales, aliæ mechanicæ vocantur.

Artium liberalium nomen apud Græcos & Romanos, iis datum est artibus, quæ solebant à Personis liberalis conditionis exerceri; quæque, ut ad suam assurgant perfectionem, sublimiores aliquas dotes in subjecto suo requirunt: quales sunt Pictura, Poesis, Eloquentia, Ars militaris; & sic de reliquis.

Artium mechanicarum nomen datum est ibidem iis artibus, quæ in usu non erant nisi apud Servos aut apud obscuram Plebem; quæque à cæco habitu & à labore improbo suam omnem possunt obtinere perfectionem.

SCIENTIARUM ET ARTIUM OBJECTA MATERIALIA ET FORMALIA.

101. OBSERVATIO I. Scientia quælibet duplex habet objectum; scilicet *Objectum materiale* & *objectum formale*. Utrumque illud objectum in Scientiis, tum speculativis, tum practicis, breviter observamus & definimus.

I. In *Scientiis speculativis*, seu in Scientiis quæ in mera objecti sui observatione & contemplatione sistunt: *Objectum materiale* Scientiæ est ipsamet res, sive materialis, sive immaterialis, quam Scientia considerat; *Objectum formale* ejusdem Scientiæ est proprietas illa quælibet, quæ in tali re consideratur.

Sic, quando Physica naturales corporum proprieta-

tes considerat: *Corpora naturalia* sunt ejus objectum materiale; *naturales Corporum proprietates*, scilicet, mobilitas, soliditas, fluiditas, extensio, gravitas, aliæque similes, sunt ipsius objectum formale.

Utrumque illud objectum, materiale scilicet & formale, *præexistens supponitur*, aut tanquam præexistens consideratur, in omni Scientia speculativa. (99)

II. In *Scientiis practicis*, seu in scientiis quæ tradunt & demonstrant modum faciendi objecti sui, quæque in objecto suo ritè faciendo totæ sunt: *Objectum materiale* scientiæ, est ipsamet res materialis aut immaterialis, in qua scientia operatur; *Objectum formale* ejusdem scientiæ, est id ipsum quod in tali re operatur scientia.

Sic, cum Medicina humanum corpus considerat ut in sanitate conservandum aut ad sanitatem revocandum: *Corpus humanum* est objectum materiale illius scientiæ; *Sanitas conservanda aut reparanda* in corpore humano, est ejusdem scientiæ objectum formale.

In Scientiis practicis, præexistens supponitur objectum materiale: objectum vero formale, ipsa dirigente scientia, producitur; & à non existentia transit ad existentiam cum debita sua rectitudine.

102. OBSERVATIO II. Artibus propriè dictis, liberalibus aut mechanicis, factivis aut activis, duplex est etiam objectum; scilicet, *Objectum materiale* & *Objectum formale*.

Objectum materiale ipsis est, res ipsa in qua operantur: Objectum formale ipsarum est proprietas illa aut forma illa quælibet, quæ in tali re producitur.

Sic dum in marmore aut in ære operatur Sculptura: æs aut marmor est ejus objectum materiale; forma vero in illud æs aut marmor inducenda, est ejus objectum formale.

Similiter, *Vox humana* est objectum materiale Musicæ: rectitudo Tonorum, seu *recta Modulatio in vocem humanam inducenda*, est Musicæ objectum formale.

103. OBSERVATIO III. Inter Scientias practicas, sicut inter Artes liberales:

I. Aliæ *supponunt objectum materiale existens*, antequam recipiat formam ab Arte aut à Scientia intentam; supponuntque proinde objectum illud materiale in se indifferens ad formam illam recipiendam vel non recipiendam. Unde forma illa inducenda, quæ est artis illius aut scientiæ objectum formale, est subjecto accidentalis.

Tale est objectum materiale omnis *Artis factivæ*: præexistit illud formæ quæ in ipsum inducitur; & ad hanc formam recipiendam vel non recipiendam est in se indifferens. Verbi gratia, Ars statuaria inducit formam accidentalem materiæ præexistenti, & indifferenti ut formam illam recipiat vel non recipiat.

II. Aliæ *non supponunt objectum materiale existens*, antequam recipiat formam ab arte aut à scientia intentam; sed formam hanc in objectum materiale inducunt, eo instanti quo fit illud objectum. Unde, objectum illud in se individualiter spectatum, non est indifferens ad formam suam; neque forma hæc est ipsi accidentalis, sed essentialis.

Tale est objectum materiale omnis *Artis activæ*; non præexistit illud formæ quæ in ipsum inducitur; & forma hæc illi est essentialis. Verbi gratia, Musica non dirigit Tonum præexistentem, sed dirigit Tonum ut rectè fiat; & Tonus gravis non est indifferens ut sit acutus, sed gravitas est illi essentialis.

104. OBSERVATIO IV. Ex eo quod, inter *Objecta materialia*, alia sint quibus rectitudo aut forma per artem inducenda accidentalis est, alia quibus illa rectitudo aut forma inducenda est essentialis; sequitur Objecta materialia diversimodè dirigi ab Arte aut à Scientia.

I. Objecta materialia quibus forma inducenda est accidentalis, dirigit ars aut scientia, *faciendo ut prior forma mutetur in novam, objecto materiali semper eodem remanente.*

Sic, in arte statuaria, manet Marmor; & mutatur prior ipsius forma, donec effigiem ab Artifice intentam in-

duerit: vetus exuitur, nova induitur forma, utraque accidentalis.

II. Objecta materialia quibus forma, sive recta, sive prava est essentialis, dirigit ars aut scientia, *faciendo ut præ prave objecto rectum producatur objectum.*

Sic Musica, si hîc & nunc opus habet Tono acuto, non mutat tonum gravem præexistentem in tonum acutum, remanente eadem Toni substantia; sed facit ut præ tono gravi, acutus producatur tonus.

Sic Dialectica, cujus objectum materiale sunt tres mentis Operationes: pravam aliquam definitionem præexistentem non mutat in rectam; vitiosum aliquod ratiocinium præexistens non mutat in legitimum; sed facit ut præ prava definitione, producatur recta definitio; ut præ vitioso ratiocinio, legitimum eliciatur ratiocinium.

Sic Ethice seu Moralis, cujus objectum materiale sunt actus humanæ Voluntatis, vitiosum & illicitum aliquem actum præexistentem non mutat in licitum & rectum; sed facit, tum per suas morum regulas, tum per sua ad virtutem motiva, ut præ actu vitioso & illicito, licitus & rectus producatur actus (574).

III. In Artibus aut Scientiis activis, *Objecti materialis dirigibilitas* videtur tota pertinere ad mentem humanam: quatenus actum conveniente rectitudine informatum aut producit per semetipsam, aut imperat produci per aliquam potentiam ab ipsa dependentem. Sic in Dialectica, mens humana per seipsam producit operationes tali rectitudine donatas. Sic in Musica, mens humana imperat gutturi sonum taliter modificatum edere.

Unde, ut Artium & Scientiarum activarum objectum materiale sit *dirigibile*; duo hæc requiruntur & sufficiunt: scilicet, quòd mens humana sit in se capax producendi aut imperandi actus rectos & pravos; & quòd menti humanæ prælluceat aut Ars aut Scientia, ut rectos actus, loco pravorum, vel imperet vel eliceat.

VARIA COROLLARIA.

105. ADNOTATIO. Ex quadruplici hac observatione simul & explicatione fluunt *Veritates quædam generales*, quæ fixum ac stabile lumen videntur posse diffundere in varia omnium scientiarum Objecta, tum materialia, tum formalia; & quæ in sequentibus exhibentur simul & explicantur Corollariis.

106. COROLLARIUM I. *Objectum scientiarum materiale non est semper res aliqua in se materialis.*

EXPLICATIO I. Objectum materiale cujusvis scientiæ, juxta ipsammet talis objecti definitionem, est id ipsum quod scientia illa considerat, si speculativa sit; id ipsum in quo scientia illa operatur, si sit practica: atqui ferri possunt scientiarum quarumdam speculationes aut operationes, in res in se immateriales: ergo res in se immateriales possunt esse objectum scientiarum materiale (101).

Sic Pneumatologiæ objectum materiale sunt Spiritus, qui res in se materiales non sunt. Sic Dialecticæ objectum materiale sunt tres Intellectus humani operationes (20), quæ sunt spirituales Animæ nostræ modificationes. Sic Moralis objectum materiale sunt varii Voluntatis humanæ actus, qui non sunt res in se materiales. Sic Arithmeticæ objectum materiale sunt Numeri, qui possunt indifferenter esse, vel res in se materiales, vel res in se immateriales.

107. COROLLARIUM II. *Unica & eadem Res, sub diverso spectata respectu, potest esse objectum materiale multarum Scientiarum, á quibus diversimode attingitur.*

EXPLICATIO. *Corpus humanum*, verbi gratia, in quantùm est corpus naturale, est objectum materiale *Physicæ*: in quantùm est corpus multis patens infirmatibus, est objec-

tum materiale *Medicinæ*; in quantùm est quantitas aliqua extensa, est objectum *Geometriæ*.

Similiter tres humanæ mentis Operationes, quatenus sunt modificationes in se spirituales, sunt objectum materiale *Pneumatologiæ*, seu scientiæ illius quæ agit de Spiritu in genere: quatenus sunt modificationes in se perfectibiles, seu modificationes quæ possunt produci cum majori aut minori rectitudine sub directione quarundam regularum scientificè demonstratarum, sunt objectum *Dialecticæ*; & sic de aliis.

108. COROLLARIUM. III. *Variæ inter se specificantur Scientiæ, non ab objectis suis materialibus; sed ab objectis suis formalibus.*

EXPLICATIO. Patet ex præcedente Corollario ultimum istud Corollarium. A Physica differt Medicina, differt Geometria: licet tres illæ scientiæ habeant aut habere possint *idem Objectum materiale*, scilicet idem corpus humanum.

Per quid igitur inter se differunt tres illæ scientiæ: seu per quid quælibet ex illis est scientia in se specificata, in se à duabus aliis diversa? Per *diversam suam tendentiam*, in idem objectum meteriale.

Diversa autem illa tendentia oritur ex eo quòd *diversas proprietates* aut contemplentur aut operentur in objecto suo materiali; ac proinde quod diversum habeant *Objectum formale*: ut patet ex ipsa formalis Objecti definitione. (101 & 107).

OBJECTUM ATTRIBUTIONIS IN SCIENTIIS.

109. OBSERVATIO. Quando aliqua Scientia permulta habet *Objecta materialia*, quorum alia aliis subordinantur: *Objectum attributionis* dici solet illud objectum principalius, ad quod alia objecta referuntur tanquam ad objectum nobilissimum, & quod ad nullum aliud refertur. Tria igitur requiruntur ad constituendam objecti attributionis rationem:

scilicet, ut sit nobilissimum ex objectis particularibus; ut ad ipsum omnia alia objecta referantur; ut ipsum ad nullum aliud referatur. Verbi gratia:

I. Dialecticæ objectum attributionis, est *Syllogismus*: quia licet successivè tradat regulas & Perceptionis & Propositionis & Syllogismi directivas; Perceptiones tamen & Propositiones non dirigit Dialectica, nisi ut ipsas præparet & ordinet ad Syllogismum, qui est principale ejus objectum.

II. In simili aliquatenus sensu dici solet apud Scholas theologicas, *divinum Messiam* esse *Objectum attributionis*, tum Mysteriorum, tum Prophetiarum, tum Sacramentorum antiquæ Legis: quia ad ipsum principaliter referebantur in subdita antiquæ Legi Gente, tum Oracula prophetica quibus irradiabatur, tum varia Mysteria quibus religiosam fidem adhibebat, tum Sacrificia & Sacramenta in quibus spem ponebat suam, tum generalis illa divinæ Providentiæ œconomia qua & in ordine religioso & in ordine politico regebatur.

SIGNUM NATURALE, SIGNUM INSTITUTIONIS.

110. OBSERVATIO. *Signum* est res in se sensibilis, quæ ducit in cognitionem rei alterius in se sub sensus non cadentis. Sic Fumus ab antro aliquo subterraneo erumpens, est signum latitantis intrinsecùs ignis. Sic humanæ Voces sunt aut esse debent signum latitantium in anima humana idearum, judiciorum, affectuum, quæ in seipsis sentiri nequeunt. Duplex distingui solet Signum; aliud naturale, aliud institutionis.

I. *Signum naturale* dicitur, illud quod ex natura sua, sine ulla Dei aut Hominum institutione, connexum est cum re significata, quam notam facit: licet in seipsa sit sensibus inaccessa. Talis est effectus quicumque sensibilis, relatè ad suam causam hîc & nunc in seipsa insensibilem.

II. *Signum Institutionis* dicitur, illud quod ex natura sua nullam habet quidem, sed veram & certam habet à

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

divina institutione aut ab humana conventione connexionem cum re significata. Sic in antiqua Lege, Iris in cœlo apparens signum fuit à Deo institutum, quo significaretur nullum generale diluvium subinde futurum. Sic insolitus & perturbatus Campanæ sonus est signum ab hominibus institutum, quo significatur existere aut imminere grave aliquod incendium. Sic pensilis ad portam aut fenestram Hedera significat in quibusdam provinciis, vinum ibi esse vendibile.

Inter varia *institutionis humanæ Signa*, præcipuum locum obtinent *Loquela* & *Scriptura*, quibus exprimuntur & quasi sensibiles fiunt latentissimi Animæ nostræ sensus & affectus.

Inter varia *divinæ institutionis Signa*, maxima attentione digna sunt *Sacramenta novæ Legis*; quibus à Deo datum est ut quam significant, hanc in nobis producant gratiam. Verbi gratia, in sacramento Baptismatis, existit & apparet *Ablutio quædam materialis*, quæ ab auctore Naturæ & Religionis Deo erecta est in signum efficax spiritualis in anima nostra Ablutionis; & per quam ab omni morali interiùs inquinamento, Deo rem ita fieri volente, aut rem per se ipsum ita operante, verè mundamur & abluimur.

Quod autem sacramentale illud signum non sit Gratiæ interiùs producendæ causa physica, sed *Causa merè motiva aut merè conditionalis*, per se satis patet. Evidens est enim ex ipsamet rerum idea, physicum nullum in spiritualem Substantiam influxum, sed influxum duntaxat moralem & supernaturalem inesse posse, tum materiali huic ablutioni, tum verbis materialem hanc ablutionem comitantibus simul & consecrantibus. Idem esto dictum de omnibus aliis sacramentalibus Signis.

111. ADNOTATIO. A variis rerum Signis, de quibus hîc agitur, pendent humanæ propè omnes Cognitiones: ut intelligenti cuilibet & attento facillimè patescet res. Verbi gratia.

I. A *Signis naturalibus*, tota pendet Physica, quæ ab effectibus Naturæ sensibilibus assurgit ad latentes rerum causas; tota pendet Medicina, quæ à vario vultûs colore, à vario salientium venarum motu & fremitu, à variis aliis signis per naturam datis, latentes interiùs morbos investigat & detegit; tota pendet Historia naturalis, quæ diversas Corporum naturalium proprietates & qualitates non aliunde petit, quàm à sensibilibus ipsorum apparentiis; & sic de aliis.

II. A *Signis humanæ institutionis*, pendet humana omnis Societas, in qua, deficiente sine talibus signis omni Idearum & Voluntatum communicatione, nullæ possent leges sanciri, nulla pacta feriri, nullæ politicæ aut religiosæ institutiones haberi, communis nullus in publicam utilitatem nisus exerceri: pendent humanæ omnes *Scientiæ*, quæ sine talibus signis, vix ac ne vix quidem possent in intellectu nostro nasci; aut si nascerentur, extra ipsum nullo modo diffunderentur, & in ipso penitus contumularentur.

Quam pariant *Ideæ* certitudinem, hactenus exhibuimus in præsenti quæstione: quam certitudinem pariant *Sensationes*, in quæstione sequenti indagandum nobis & definiendum incumbit.

QUÆSTIO TERTIA.

CERTITUDO,

SENSUUM TESTIMONIO FUNDATA.

112. OBSERVATIO. Sensus numero quinque indidit nobis auctor Naturæ Deus. Sunt autem *Sensus*, totidem in Corpore organa, quorum ministerio de *Rebus corporeis* admonetur Anima, & ad ipsas quasi extenditur.

I. Rerum sensibilium existentia, situs, ordo, figura, distantia, motus aut quies, soliditas aut fluiditas, aliaque similia, neque innotescunt nobis per testimonium *Sensûs*

*

divina institutione aut ab humana conventione connexionem cum re significata. Sic in antiqua Lege, Iris in cœlo apparens signum fuit à Deo institutum, quo significaretur nullum generale diluvium subinde futurum. Sic insolitus & perturbatus Campanæ sonus est signum ab hominibus institutum, quo significatur existere aut imminere grave aliquod incendium. Sic pensilis ad portam aut fenestram Hedera significat in quibusdam provinciis, vinum ibi esse vendibile.

Inter varia *institutionis humanæ Signa*, præcipuum locum obtinent *Loquela* & *Scriptura*, quibus exprimuntur & quasi sensibiles fiunt latentissimi Animæ nostræ sensus & affectus.

Inter varia *divinæ institutionis Signa*, maxima attentione digna sunt *Sacramenta novæ Legis*; quibus à Deo datum est ut quam significant, hanc in nobis producant gratiam. Verbi gratia, in sacramento Baptismatis, existit & apparet *Ablutio quædam materialis*, quæ ab auctore Naturæ & Religionis Deo erecta est in signum efficax spiritualis in anima nostra Ablutionis; & per quam ab omni morali interiùs inquinamento, Deo rem ita fieri volente, aut rem per se ipsum ita operante, verè mundamur & abluimur.

Quod autem sacramentale illud signum non sit Gratiæ interiùs producendæ causa physica, sed *Causa merè motiva aut merè conditionalis*, per se satis patet. Evidens est enim ex ipsamet rerum idea, physicum nullum in spiritualem Substantiam influxum, sed influxum duntaxat moralem & supernaturalem inesse posse, tum materiali huic ablutioni, tum verbis materialem hanc ablutionem comitantibus simul & consecrantibus. Idem esto dictum de omnibus aliis sacramentalibus Signis.

111. ADNOTATIO. A variis rerum Signis, de quibus hîc agitur, pendent humanæ propè omnes Cognitiones: ut intelligenti cuilibet & attento facillimè patescet res. Verbi gratia.

I. A *Signis naturalibus*, tota pendet Physica, quæ ab effectibus Naturæ sensibilibus assurgit ad latentes rerum causas; tota pendet Medicina, quæ à vario vultûs colore, à vario salientium venarum motu & fremitu, à variis aliis signis per naturam datis, latentes interiùs morbos investigat & detegit; tota pendet Historia naturalis, quæ diversas Corporum naturalium proprietates & qualitates non aliunde petit, quàm à sensibilibus ipsorum apparentiis; & sic de aliis.

II. A *Signis humanæ institutionis*, pendet humana omnis Societas, in qua, deficiente sine talibus signis omni Idearum & Voluntatum communicatione, nullæ possent leges sanciri, nulla pacta feriri, nullæ politicæ aut religiosæ institutiones haberi, communis nullus in publicam utilitatem nisus exerceri: pendent humanæ omnes *Scientiæ*, quæ sine talibus signis, vix ac ne vix quidem possent in intellectu nostro nasci; aut si nascerentur, extra ipsum nullo modo diffunderentur, & in ipso penitus contumularentur.

Quam pariant *Ideæ* certitudinem, hactenus exhibuimus in præsenti quæstione: quam certitudinem pariant *Sensationes*, in quæstione sequenti indagandum nobis & definiendum incumbit.

QUÆSTIO TERTIA.

CERTITUDO,

SENSUUM TESTIMONIO FUNDATA.

112. OBSERVATIO. Sensus numero quinque indidit nobis auctor Naturæ Deus. Sunt autem *Sensus*, totidem in Corpore organa, quorum ministerio de *Rebus corporeis* admonetur Anima, & ad ipsas quasi extenditur.

I. Rerum sensibilium existentia, situs, ordo, figura, distantia, motus aut quies, soliditas aut fluiditas, aliaque similia, neque innotescunt nobis per testimonium *Sensûs*

*

intimi, cum non sint in anima nostra (54): neque manifestantur nobis per *testimonium Idearum*, illa enim omnia sunt contingentia; ac proindè vi idearum, nec affirmari possunt, nec negari. Contingens est enim id quod potest existere vel non existere: quod autem potest vel existere, vel non existere, illud non essentialiter includitur in idea rei. (69 & 73)

II. Superest igitur, si certam aliquam habeamus cognitionem de Rebus corporeis & sensibilibus, qualem reverà habemus; ut hæc omnia manifestentur & innotescant nobis per *testimonium Sensuum*, qui sint quasi Medium aliquod inter objecta sensibilia & animam nostram.

Sensuum ministerio præsentia fiunt Animæ nostræ, varia quibus constat Orbis iste aspectabilis corpora, variaque corporum illorum Accidentia. Per *Visum*, lumen & colores; per *Auditum*, sonos; per *Gustum*, sapores; per *Odoratum*, odores; per *Tactum*, calorem aut frigus, duritiem aut mollitiem, & cæteras tactibiles corporum proprietates, percipit Anima nostra.

SENSATIO EXTERNA ET INTERNA.

113. OBSERVATIO. In nobis sedulò observanda & distinguenda est *duplex Sensationis species*; altera externa & materialis, altera interna & spiritualis; prior in corporeis duntaxat organis residens, posterior intimam animæ substantiam modificans.

I. *Sensatio externa* est commotio aut impressio aliqua, in variis Corporis animati organis facta. Talis est sensatio externa *Visûs*; seu commotio illa aut impressio facta in fibrillis Oculi, vi luminis ad oculum appellentis & oculum concutientis. Talis est sensatio externa *Olfactûs*; seu commotio illa aut impressio facta in fibrillis Narium, per appulsum corpusculorum ex corpore odorifero, jugi profluvio erumpentium. Talis est sensatio externa *Anditus*; seu commotio illa & impressio facta in fibrillis Aurium, ope molecularum ærearum à corpore sonoro agitatarum. Talis

est sensatio externa *Tactus*; seu commotio illa aut impressio facta in fibrillis manuum, verbi gratia, ad contactum corporis alicujus in fibrillas illas, pro varia partium suarum configuratione & modificatione, diversimodè reagentis & renitentis. Sensatio externa est tota in organo corporeo, & nihil est nisi talis modificatio corporis animati.

II. *Sensatio interna* est intima Animæ modificatio & impressio, qua connotantur sensibiles quædam Corporis existentis & præsentis qualitates: seu est alicujus sensibilis qualitatis cognitio, quæ ad corpus aliquod existens & præsens est relativa. Sic modificatio & impressio dulcitudinis, quæ refertur ad sacharum palato meo applicitum, est interna illius sachari sensatio, talis in sacharo existente & præsente qualitatis connotativa. Sic cognitio caloris, quæ refertur ad inflammatum in meo foco lignum, est interna illius ligni inflammati sensatio, ad lignum illud quatenus existens & præsens & sic in se ardens relativa.

Interna rei sensatio, & interna rei imago, seu idea, sunt duo valdè distincta & sedulò distinguenda. Idea est clara rei cognitio: sensatio est rei cognitio obscura. Idea est imago rei, intimam rei naturam repræsentans: sensatio est affectio animæ, rei præsentiam & aliquam rei qualitatem connotans & indicans, potiùs quam manifestans & dilucidans. Per ideam objectum irradiatur & introspicitur; per sensationem, cæco quasi instinctu sentitur objectum. Ideæ communicantur, per convenientem terminorum explicationem: si non sentiatur, percipi & concipi non potest sensatio. Verbi gratia, dabis cognitionem Trianguli, homini qui nunquam viderit triangulum, qui nunquam cogitaverit de triangulo: nullam unquam dabis cognitionem coloris rubri, homini qui oculorum lumine orbatus nunquam expertus fuerit sensationem colorum.

Interdum sensatio mentalis juncta est ideæ: ut fit cum figuratum aliquod corpus inspicimus, verbi gratia, turrim cylindricam, panem sachari conicum, arcem polygonam. Interdum etiam stat sentatio mentalis, ab omni ideali imagine separata: ut fit cum experimur aliquam fri-

goris aut caloris aut doloris sensationem, quæ ad nullum determinatè corpus relativa est; vel cum moschi aut ambari non priùs cogniti inusitato odore prima vice perfundimur.

SENSATIONUM ORIGO.

114. OBSERVATIO. Sensationis externæ causa aut occasio est, nemine refragante, commotio & impressio facta in organis corporeis ab aliqua materia quæ vel illis resistit, vel in illa impellitur: ut in præcedente observatione exposuimus.

Sensationis verò internæ causa aut occasio est ipsamet sensatio externa: naturale enim est nobis, ut quoties in sensibus liberis & bene ordinatis exoritur *externa sensatio*; toties in anima *sensatio interna* exoriatur. Quo autem pacto sensatio materialis & externa in spiritualem & internam evadat, explicare: hoc opus, hic labor est.

115. EXPLICATIO I. Mirabilem hanc metamorphosim, ope Specierum impressarum & expressarum, ope Intellectûs agentis & patientis, explicare conantur Peripatetici. Explicationem & notari & rideri dignam accipe. Instar omnium sensationum sit *Sensatio Odorum.*

I. Effluentia ex corpore odorifero corpuscula, inquiunt Peripatetici: dum facto quasi agmine Narium fibrillas titillant, in ipsis materialem sui imaginem imprimunt: ecce tibi *Species impressas.*

II. Admonitus hac commotione Intellectus agens, species illas materiales, corporeis narium organis impressas, inde exprimit seu extrahit; extractasque elaborat, recudit, & in spiritualem convertit naturam: ecce tibi *Species expressas, & agentis Intellectus opus.*

III. Hæc ubi facta & peracta; expressas illas species, & in spiritualem naturam transmutatas, recipit in semetipso, illisque modificatur & quasi sigillatur Intellectus patiens: ecce tibi *Intellectus patientis opus*, & dignum egregiæ metamorphoseos finem.

IV. Huic sententiæ non multum absimilis est sententia quorundam recentium Philosophorum: qui contendunt omnes nostras Cognitiones oriri à sensibus, & per sensus in animam nostram transfundi: ita ut sensus sint in nobis unica illarum cognitionum causa.

Verùm, huic opinioni, sicut & opinioni peripateticæ, nulla patrocinatur ratio philosophica; adversatur Sensus communis, adversatur ipsamet rei ridicula absurditas: ut ex sequenti explicatione sufficienter intelligetur.

116. EXPLICATIO II. Rem simpliciùs & feliciùs explicabis, si dicas cum recentioribus aliis & sanioribus Philosophis, *Sensationem externam* non esse nisi *meram occasionem Sensationis internæ*: generalem hanc à Deo sancitam esse Legem, ut ad occasionem talis commotionis in organis factæ, talis exoriretur in anima Sensatio spiritualis.

At quænam est causa efficiens & immediata spiritualis illius quæ in anima fit Sensationis? *Deus & Deus solus.* Corpus enim, quantumvis unitum Animæ, nihil habere concipitur in seipso, per quod acceptam in organis suis impressionem refundat in animam & animæ communicet. Nam corpus, suis organis quacumque arte elaboratis instructum, nihil est nisi materia: materiæ autem nulla concipitur inesse vis agendi in spiritum. Porrò, Philosophi est nihil affirmare de rebus, nisi quod evidenter aut concipit aut demonstrat inesse rebus. Quibus præmissis & prænotatis; ut ad ipsam rei explicationem veniamus; instar omnium sensationum sint *Sensatio Gustus, & Sensatio Tactus.*

I. Puerulo blanda apponuntur crustula, quæ ore sumit exultans. Tenuibus eduliorum particulis vario motu agitatis suaviter ipsi titillantur organicæ palati fibrillæ: ecce tibi *Sensationem externam.*

Ad occasionem externæ illius & organicæ sensationis, gratam in anima Pueruli sensationem excitat & producit per semetipsum Deus: ecce tibi *Sensationem internam*, qua inclinatur Puerulus ad eadem edulia repetenda; quia

illa ad individui sui conservationem congrua sentit & existimat.

II. Carbonibus imprudens ardentibus applicet aliquis manum. Igneæ particulæ, vehementissimo motu agitatæ & in omnem sensum ejaculatæ, obvias manus istius fibrillas impetunt, concutiunt, perturbant, disrumpunt: ecce tibi *externam ignis Sensationem*, seu materialem combustionem.

Ad occasionem externæ illius sensationis, materialis illius combustionis, per semetipsum excitat & producit Deus in anima huic corpori & huic manui præsidente, internam & ingratam sensationem, quam *Combustionis* nomine designat anima; & qua admonetur ab attrectandis similibus in posterùm carbonibus cavere, quia & ipsi & corpori ab ipsa informato necui judicantur: ecce tibi *internam ignis Sensationem*, cujus subjectum est sola anima, cujus causa efficiens & productrix est solus Deus.

SENSIBILES CORPORUM QUALITATES.

117. OBSERVATIO. Existimamus plerique omnes, Rebus sensibilibus inesse *sensibiles quasdam Qualitates*, iis similes sensationibus quas in anima nostra experimur: verbi gratia, existimamus sacharum in se habere aliquid, quod simile sit illi quam appetimus *Dulcitudini*; Absinthium in se continere aliquid, quod sit simile illi quam aversamur *Amaritiei*; inesse Igni aliquid, quod sit simile illi quem sentimus *Calori*; inesse Lumini aliquid, quod simile sit illi quam percipimus *Irradiationi*: & sic de reliquis.

Verùm, præjudicatas illas opiniones exuit jam sana Philosophia. Nec in se dulce est sacharum, nec amarum absinthium, nec calidus ignis, nec subrubescens purpura: quod neminem latet recentioris Philosophiæ speculationibus simul & observationibus initiatum. Ineluctabilibus enim & plausibilibus rationum momentis, à speculatione & ab observatione petitis, demonstravit recentior Philosophia, nihil aliud esse in Mundo hoc aspectabili, nisi *Materiam* &

Motum: motum & materiam, fœcundissimæ hæc duo rerum Principia, omnipotenti Naturæ auctori Deo satis fuisse, ut mirabilem illam omnem, quam in circumfusa Natura observamus Elementorum & Mixtorum varietatem produceret: saccharum ab absinthio, ignem à glacie, aurum ab aqua aut ab aëre, non aliunde discrepare, nisi per *variam configurationem aut molem* materiæ elementaris & in se homogeneæ qua conflantur diversa hæc corpora; & per *varium motum* quo conatur aut donari appetit in variis illis corporibus elementaris hæc materia, in se quidem homogenea & ubique similis in ratione naturæ, sed dissimilis etiam & hæterogenea in ratione configurationis & molis. (683 & 684)

Porrò, unicuique evidens est *internas Sensationes* dulcitudinis, amaritiei, coloris, frigoris, harmonici cantûs, lucidæ irradiationis, grati vel ingrati odoris, quas in se frequenter experitur, non esse materiam aut motum: illas enim animæ nostræ impressiones, ab ideis materiæ & motûs, omnino disjungimus & distinguimus. Ergo unicuique evidens est nihil inesse rebus sensibilibus, quod simile sit illis sensationibus quas ad rerum illarum præsentiam interiùs experimur.

CERTITUDO TESTIMONII SENSUUM.

118. OBSERVATIO. Ut legitimum sit & indubitatum Sensuum testimonium, ut certæ & infallibiles ab illo deducantur aut in illo fundentur Cognitiones: quid requiritur? Triplex quæ sequitur & explicatur conditio.

I. Requiritur ut *Sensus sint in se sani & vegeti*: sanos autem & vegetos esse sensus nostros prudenter judicabimus, tum ex propria experientia & conscientia; tum ex communi cæterorum quibuscum vivimus, hominum opinione.

Ictero laborantibus omnia videntur abjecta flavescere, nulla est colorum varietas. At illi sentiunt sibi malè affectos esse oculos; & ab aliis docentur hominibus, non

unum esse? rosæ & violæ & lilio colorem. Habent igitur unde oculorum suorum testimonio diffidant, & ab errore in coloribus æstimandis sibi caveant.

II. Requiritur ut *Sensus sint in testimonio suo constantes & concordes, præsidente ipsorum functionibus & relationibus Ratione*: quod locum habebit, si relatio unius non contradicat relationi alterius; si plures circa idem objectum adhibeantur, cum plures possunt adhiberi; si attentè & prudenter & frequenter, quantùm exigit natura rerum, non verò leviter & quasi perfunctoriè, puerorum in morem, objecto suo applicentur.

III. Requiritur ut *Res sensibilis Sensui ab ipsa officiendo sit sufficienter præsens; & distinctam in ipso faciat impressionem.* Verbi gratia, si res videnda aut palpanda in se sit tenuior; jam sensibilem & distinctam non excitabit in oculo aut in manu impressionem: jam eamdem non dabit certitudinem levis & confusa & indistincta impressio; quam daret plena magis magisque distincta.

SENSUUM SEMPER FALLACIUM ET MUNDI MERE IDEALIS REPUGNANS HYPOTHESIS.

119. OBSERVATIO. Asseruit Malebranchius in Gallia, asseruit in Anglia Berkleius, plaudente quadam recentium Scepticorum gente, in omnibus semper fallaces esse aut esse posse Sensus nostros; nec ullam ab illis posse certam hauriri Cognitionem, qua de rebus sensibilibus infallibiliter judicemus.

I. Evidens est nos de rerum sensibilium existentia, distantia, figura, situ, magnitudine, motu aut quiete, certos non esse, nisi per Sensuum testimonium.

Unde, cum nulla Sensuum testimonio sit fides adhibenda, si Malebranchio & Berkleio creditur; nullam possumus de *Rerum sensibilium* situ, magnitudine, distantia, figura, existentia, certitudinem assequi, nisi revelante Deo: ita ut (si à divina præscindas Revelatione, qua docemur & qua certi fimus creatam fuisse Temporum initio

Materiam; ex hac materia conflata fuisse corpora terrestria & cœlestia; Hominem ex limo terræ & anima viventem fuisse compositum; aliaque multa similia) dubium sit an aliquo ipsi vestiamur corpore; an existant aut extiterint homines nobis similes; an existat aut extiterit ipsemet, quem nobis videmur incolere, Mundus.

In omnibus, inquiunt, & falli & fallere possunt Sensus: ergo fortè videmur uniri Corpori quod sit duntaxat intelligibile; fortè videmur conversari cum Hominibus qui sint merè intelligibiles; fortè videmur incolere Mundum, qui sit tantùm intelligibilis, in quo nihil sit reale: ita ut, instar permanentis somnii aut delirii, sit aut esse possit vita omnis nostra.

II. Quàm inimica sit & Rationi & Fidei talis opinio, talis sententia, demonstrandum nobis incumbit: quod præstabimus & assequemur, observando aut ostendendo, *Rerum sensibilium existentiam aut naturam* non esse certam certitudine objecti, sed certitudine motivi & medii (8 & 29); observando & ostendendo, motivum illud certum, certum illud demonstrationis medium, esse *internas illas Sensationes*, quas per sensum intimum constat inesse nobis, tum quatenus ad varia Corpora relativas, tum quatenus cum essentiali Dei sapientia & veracitate connexas.

Paradoxali huic opinioni præcipuum fundamentum est, quòd supponatur Deus posse per semetipsum, sine ulla causa aut occasione materiali, eas omnes in anima nostra sensationes producere, quas in ipsa producunt aut producere videntur objecta materialia, verbi gratia, corpus nostrum & corpora alia à nostro corpore distincta: quo ruente fundamento, tota ruet sophismatum compages, ipsi incumbens & superstructa.

120. ADNOTATIO. Dignus est Malebranchius, tum majore sua famæ celebritate, tum ditiore sua ingenii excelsitate; qui omnes testimonii à Sensibus petiti Impugnatores, in se uno repræsentet; victuros, si vincat ipse; vincendos, si ipse vincatur.

*

I. In duobus erravit Malebranchius circa varia Sensuum testimonia: ac primò quidem, quòd opinetur *Sensus rite dispositos & adhibitos* in multis de facto nos fallere, nobis illudere: deinde, quòd inde inferat posse nos à *Sensationibus nostris internis* in omnibus illudi & falli.

Duplicem illum Malebranchii errorem, duplici articulo dum confutamus: Scepticam simul omnem in hac parte Sectam confutabimus; & æterna sua tum Naturæ, tum Rationi, tum Fidei, jura restituemus & asseremus.

II. Circa Corpora determinatè sumpta, non magis per se fallunt aut fallere possunt *Sensus ritè dispositi & adhibiti*, quàm circa corpora indeterminatè sumpta. In utroque æqualiter casu, suam Sensus fideliter destinationem implent & functionem: quæ in eo tota est, ut afficiantur ipsi ab objectis exterioribus; & variis locum dent in anima affectionibus.

Sed circa corpus aliquod determinate sumptum, potest fieri *Miraculum*: quod repugnat fieri circa omnia corpora indeterminate sumpta. Unde, dum suam perinde destinationem fideliter implent Sensus ritè dispositi & adhibiti: certitudinem duntaxat physicam parit in casu priore, dum certitudinem metaphysicam & absolutam parit in casu posteriore, legitimum ipsorum testimonium (34 & 46).

ARTICULUS PRIOR.

TESTIMONIUM SENSUUM, CIRCA CORPORA INDETERMINATÈ SPECTATA.

121. DEFINITIO. Tradendæ & demonstrandæ in hac quæstione theoriæ præibit Lemma duplex: quid autem sit Lemma, paucis accipe.

Lemma est propositio aliqua, materiæ hîc & nunc tractandæ extranea: quæ eo duntaxat fine demonstratur, vel tanquam alibi demonstrata aut demonstranda præmittitur; ut fiat ipsa certum & præsens *demonstrationis Medium*, relatè ad quasdam propositiones stabiliendas & demonstrandas.

122. LEMMA I. *Existit Ens aliquod increatum & infinitè perfectum, nullius in se vitii particeps, nullius fallaciæ aut absurditatis auctor: seu existit Deus.*

EXPLICATIO. Omni demonstrationum genere stabilietur in sequenti quarto tractatu fundamentalis hæc Veritas: quam naturali quodam instinctu sentimus omnes & nostris impressam animis gerimus; & quam tanquam certam & indubitatam supponunt Malebranchius, Berkleius, & varii utriusque Asseclæ, quos omnes & solos hîc confutandos habemus.

123. LEMMA II. *Si supponatur nihil existere præter Deum & eam Substantiam quæ in me sentit & intelligit: variarum Sensationum ad varia objecta relativarum, quas in me experior, causa efficiens unica est ipsemet Deus.*

DEMONSTRATIO. Illæ Sensationes non producuntur ab aliquo ente, quod sit distinctum & à me & à Deo: supponitur enim quod nullum tale ens existat. Deinde, illæ sensationes non producuntur à me, à mea substantia intelligente & sentiente: quippe qui, sensu intimo teste & judice, scio & experior illas sæpe in me non esse, quas habere velim; illas sæpe à me non abesse, quas habere nolim. Superest ergo ut illæ sensationes in me producantur ab ipsomet Deo; ut illarum causa efficiens unica sit ipsemet Deus. Q. E. D.

PROPOSITIO FUNDAMENTALIS.

124. *Variæ Sensationes, quas in anima nostra constantes & concordes experimur, sunt Motivum metaphysicè certum quo judicemus, & existere aliquod Corpus quod nostrum sit; & existere varios indeterminatè Homines, varia indeterminatè Corpora; & existere generales aliquas Naturæ Leges.*

125 DEMONSTRATIO I. Metaphysica certitudine certam esse existentiam alicujus Corporis *quod nostrum sit*, ut demonstres: consulenda tibi & in hunc modum premenda

I. In duobus erravit Malebranchius circa varia Sensuum testimonia: ac primò quidem, quòd opinetur *Sensus rite dispositos & adhibitos* in multis de facto nos fallere, nobis illudere: deinde, quòd inde inferat posse nos à *Sensationibus nostris internis* in omnibus illudi & falli.

Duplicem illum Malebranchii errorem, duplici articulo dum confutamus: Scepticam simul omnem in hac parte Sectam confutabimus; & æterna sua tum Naturæ, tum Rationi, tum Fidei, jura restituemus & asseremus.

II. Circa Corpora determinatè sumpta, non magis per se fallunt aut fallere possunt *Sensus ritè dispositi & adhibiti*, quàm circa corpora indeterminatè sumpta. In utroque æqualiter casu, suam Sensus fideliter destinationem implent & functionem: quæ in eo tota est, ut afficiantur ipsi ab objectis exterioribus; & variis locum dent in anima affectionibus.

Sed circa corpus aliquod determinate sumptum, potest fieri *Miraculum*: quod repugnat fieri circa omnia corpora indeterminate sumpta. Unde, dum suam perinde destinationem fideliter implent Sensus ritè dispositi & adhibiti: certitudinem duntaxat physicam parit in casu priore, dum certitudinem metaphysicam & absolutam parit in casu posteriore, legitimum ipsorum testimonium (34 & 46).

ARTICULUS PRIOR.

TESTIMONIUM SENSUUM, CIRCA CORPORA INDETERMINATÈ SPECTATA.

121. DEFINITIO. Tradendæ & demonstrandæ in hac quæstione theoriæ præibit Lemma duplex: quid autem sit Lemma, paucis accipe.

Lemma est propositio aliqua, materiæ hîc & nunc tractandæ extranea: quæ eo duntaxat fine demonstratur, vel tanquam alibi demonstrata aut demonstranda præmittitur; ut fiat ipsa certum & præsens *demonstrationis Medium*, relatè ad quasdam propositiones stabiliendas & demonstrandas.

122. LEMMA I. *Existit Ens aliquod increatum & infinitè perfectum, nullius in se vitii particeps, nullius fallaciæ aut absurditatis auctor: seu existit Deus.*

EXPLICATIO. Omni demonstrationum genere stabilietur in sequenti quarto tractatu fundamentalis hæc Veritas: quam naturali quodam instinctu sentimus omnes & nostris impressam animis gerimus; & quam tanquam certam & indubitatam supponunt Malebranchius, Berkleius, & varii utriusque Asseclæ, quos omnes & solos hîc confutandos habemus.

123. LEMMA II. *Si supponatur nihil existere præter Deum & eam Substantiam quæ in me sentit & intelligit: variarum Sensationum ad varia objecta relativarum, quas in me experior, causa efficiens unica est ipsemet Deus.*

DEMONSTRATIO. Illæ Sensationes non producuntur ab aliquo ente, quod sit distinctum & à me & à Deo: supponitur enim quod nullum tale ens existat. Deinde, illæ sensationes non producuntur à me, à mea substantia intelligente & sentiente: quippe qui, sensu intimo teste & judice, scio & experior illas sæpe in me non esse, quas habere velim; illas sæpe à me non abesse, quas habere nolim. Superest ergo ut illæ sensationes in me producantur ab ipsomet Deo; ut illarum causa efficiens unica sit ipsemet Deus. Q. E. D.

PROPOSITIO FUNDAMENTALIS.

124. *Variæ Sensationes, quas in anima nostra constantes & concordes experimur, sunt Motivum metaphysicè certum quo judicemus, & existere aliquod Corpus quod nostrum sit; & existere varios indeterminatè Homines, varia indeterminatè Corpora; & existere generales aliquas Naturæ Leges.*

125 DEMONSTRATIO I. Metaphysica certitudine certam esse existentiam alicujus Corporis *quod nostrum sit*, ut demonstres: consulenda tibi & in hunc modum premenda

erit, tum infinita veracitas Dei, falli & fallere nescii, tum infinita sapientia Dei, nihil frustra & ineptè facientis.

I. Metaphysicè certi quisque sumus, Sensu intimo teste & judice, existere in anima nostra perpetuas, constantes & invincibiles Sensationes, ad Corpus aliquod nostrum relativas: atqui tales sensationes sunt motivum metaphysicè certum (29 & 34), quo judicemus existere corpus aliquod quòd sit nostrum corpus: ergo metaphysicè certi sumus existere corpus aliquod quod sit nostrum corpus. Majorem negabit nemo: experitur enim uniuscujusque nostrum Anima varias sensationes, quas nunc ad oculos, nunc ad aures, modò ad palatum, modò ad nares, mox ad pedem, mox ad manum, semper ad Corpus, quod sit suum, referre ineluctabiliter inclinatur. Unde demonstratur minor. Sensationes illæ constantes & concordes, ad aliquod corpus quod nostrum sit relativæ, sunt motivum metaphysicè certum quo judicemus existere corpus quod nostrum sit; si metaphysicè certum sit illas non esse fallaces: atqui metaphysicè certum est illas non esse fallaces: ergo illæ sensationes sunt motivum metaphysicè certum quo judicemus existere corpus quod sit nostrum. Demonstratur minor. Si constantes illæ & concordes sensationes ad corpus nostrum relativæ, forent fallaces; fallax foret illarum auctor, illarum causa efficiens unica, ipsemet Deus: atqui ex priore Lemmate repugnat Deum esse fallacem: ergo repugnat sensationes illas constantes & concordes ad corpus nostrum relativas, esse fallaces. Demonstratur major. Ille est fallax, ut patet ex ipsamet terminorum notione, qui & perpetuo & ineluctabiliter impellit ad Falsum credendum: atqui, si constantes & concordes illæ sensationes, ad corpus aliquod nostrum relativæ, fallaces forent; Deus nos & perpetuo & ineluctabiliter impelleret ad Falsum credendum: ergo Deus foret fallax. Demonstratur minor.

Ac primo quidem, nos impelleret Deus ad Falsum credendum: scilicet ad credendam firmiter, licet falso, oculorum nostrorum, aurium nostrarum, pedum nostrorum, manuum nostrarum, uno verbo, Corporis nostri existentiam. Unde enim hæc nobis impressio, unde inclinatio hæc, nisi ab auctore naturæ nostræ Deo?

Deinde, nos perpetuo impelleret Deus ad Falsum credendum: sunt enim constantes & concordes sensationes illæ, ad corpus quod nostrum sit, relativæ. In Pueris & Senibus, in Stultis & Sapientibus, in Dormientibus & Vigilibus, idem illæ loquuntur, idem clamant: ita ut nunquam possit major reperiri concordia.

Denique, nos necessario & ineluctabiliter impelleret Deus ad Falsum credendum, tum quia non possumus ab illo abstinere judicio quod ferimus de existentia nostri corporis, ut nobis quisque per sensum intimum conscii sumus; tum quia, si error est illud judicium, nulla nobis via est erroris detegendi: ergo, si erramus in tali judicio, erroris nostri auctor est ipse Deus, fallax est ipsemet Deus. Subsumo: atqui metaphysicè certum est non posse Deum esse erroris nostri auctorem, non posse Deum esse fallacem: ergo & metaphysicè certum est existere aliquod corpus quod nostrum sit.

II. Certum & ubique receptum est philosophicum istud Axioma, ab ipsa rei idea dimanans: *Ens sapientissimum nihil frustra & ineptè facit.* Si autem nulli uniremur corpori: quo fine appetitus naturales & sensitivi, quos in nobis experimur, ab auctore Naturæ nobis inditi sunt? Quo fames & sitis, quò vestium & alimentorum desiderium, quò cura corporis: si nullum sit corpus nutriendum, vestiendum, conservandum? Cur oportuit, ut experiar sensationem luminis, caloris, odoris, harmonici cantus: cur inquam, oportuit ut mihi persuasum sit, contra omnem rei veritatem, me aperire oculos lumini; me assidere ad ignem; me nares applicare flori; me aures arrigere ad concentum harmonicum? Unde sic ratiocinor. Hæc omnia nobis indidisse vanum foret evidenter & ineptum; si reverà nullum nobis est corpus quod nostrum sit: atqui evidens est quod Deus, quod Ens infinitè sapiens, nihil vanum faciat & ineptum: ergo evidens est hæc omnia non frustra fuisse nobis ab auctore Naturæ indita. Ergo evidens est

existere illud, quod connotant & ad quod referuntur appetitus illi naturales & sensitivi. Ergo metaphysicè certum est existere corpus aliquod quod nostrum sit. Q. E. D.

126. DEMONSTRATIO II. Metaphysica certitudine certam esse *existentiam, tum variorum indeterminatè Hominum, tum variorum indeterminatè Corporum*, in hunc modum demonstrabis; per demonstrationem partim directam, partim indirectam, & utrinque Adversariis ineluctabilem (6).

I. Metaphysicè mihi certus sum per Sensum intimum, me pluribus abhinc annis, visum esse mihi cum aliis hominibus colloqui & conversari: me visum esse mihi micantia in cœlo spectare sydera, mirabilia in aerea regione phœnomena intueri, prodigiosam in Terra plantarum animaliumque varietatem observare. Unde sic ratiocinor. Sensationes illæ constantes & concordes, ad hominum mecum conversantium & ad corporum mihi præsentium existentiam relativæ, vel sunt veraces, vel sunt fallaces.

Si primum: ergo existunt illi homines & illa corpora, quorum existentiam mihi nunciant & testantur variæ illæ sensationes.

Si secundum: ergo præstigiator & fallax est Deus; qui vanas illas & fallaces sensationes menti meæ imprimit, sine ulla causa aut occasione cur in me existant, sine ullo objecto ad quod extra me referantur & terminentur. Subsumo. Atqui evidens est, ex ipsamet Dei idea, Deum non esse præstigiatorem & fallacem, Deum non esse vilibus illis similem Circulatoribus quibus frivola & ludicra cura est falsis obvium quemque decipere imaginibus: ergo metaphysicè certum mihi est, & existere aliquos indeterminatè homines mihi similes, & existere varia indeterminatè corpora.

II. Metaphysicè mihi certus sum me visum esse mihi *Historias legere*: quæ varia Naturæ phœnomena variamque Nationum fortunam enarrantes, me docuerunt extitisse Terræ motus, Solis & Lunæ eclipses, Fluviorum exundationes, vastationes Agrorum, Urbium excidia & ruinas,

Imperiorum aut Rerum publicarum inter se rivalitates & odia & bella & interneciones. Unde sic ratiocinior. Quod ego tum doctus sum, vel verum est, vel falsum.

Si verum est: ergo metaphysicè certum est extitisse & aliquos homines & aliqua corpora.

Si falsum est: falsitas illa in Deum solum est refundenda, ut ex prima demonstratione patet. Ergo Deus, à quo oritur hæc falsitas, & qui me docuit hanc falsitatem, & fallax & mendax est: absurdum & horrendum consequens; ergo & falsum antecedens.

III. Si ante præsuppositam Revelationem divinam, non certò constet de Hominum & Corporum existentia: tota ruit funditus Religio. Si enim fallaces in omnibus possunt esse Sensus, ut asserit Malebranchius: quàm dubiis *Fides tota* innititur fundamentis! Dubium erit an extiterit Moyses, an extiterint Prophetæ: dubium, an extiterit Christus, an patrarit miracula, an aliquid docuerit: dubium, num fuerint Apostoli; num varias regiones & nationes multiplicatis miraculis Christo acquisiverint: dubia Martyrum existentia, dubia certamina, dubia mors: dubium, an idealibus & imaginariis non deludamur Historiis & Scripturis: dubium, an fictitiæ non auscultemus Ecclesiæ: uno verbo dubia erunt tum Prophetiarum, tum Miraculorum, tum Martyrum, locupletissima testimonia; dubiaque proinde erit divina tota Revelatio, cujus existentia non constat nobis nisi per Sensuum testimonium: *Fides enim ex auditu*: ut docet ipse Gentium Apostolus.

Unde sic ratiocinor. Metaphysica certitudine certum est, ipso fatente Malebranchio (119 & 120), existere *divinam Revelationem*. Ergo & metaphysica certitudine certum est testimonium Sensuum, per quod nobis divina Revelatio manifestata est: ergo & metaphysica certitudine certa est & Hominum & Corporum illorum existentia, qua tota fundatur Revelatio divina. Q. E. D.

127. DEMONSTRATIO III. Metaphysica certitudine certam esse *generalium quarumdam Naturæ Legum existentiam*,

eodem demonstrabis modo & iisdem rationum momentis. (45)

I. Idem Sensuum testimonium, quo mihi certa fit & demonstrata *existentia Naturæ materialis*, certam mihi & demonstratam facit *existentiam generalium quarumdam Legum*, quibus subjacet & quibus regitur materialis hæc Natura.

Verbi gratia, existentiam *Legis gravitationis*, vi cujus versùs centrum Terræ terrestria ubique tendunt corpora; existentiam *Legis impulsionis*, vi cujus corpus quodlibet motum, dum alteri allidit corpori, aliquam motûs sui partem determinatam & communicat & perdit; existentiam *Legis affinitatis*, vi cujus quædam corpora sibi uniri & inter se adhærere ubique appetunt; existentiam *Legis æquilibrii hydrostatici*, vi cujus ad libellam ubique componuntur Liquida inter se communicantia; existentiam *Legis reproductionis*, vi cujus Vegetalia & Animalia suam reproducunt & conservant speciem, per physicam quandam actionem quæ unicuique speciei immutabiliter communis & propria est; & sic de reliquis.

II. Certum & evidens est sensationes meas non posse magis per seipsas mihi permanenter illudere, me in errorem continuum inducere, circa existentiam *generalium Naturæ Legum*; quàm circa existentiam variorum corporum, Naturam ipsam constituentium. Certum & evidens est Enti increato, à quo creata & ordinata sunt omnia, non minùs essentialiter repugnare ut præstigiatoris & impostoris partes agat, exhibendo mihi Naturam materialem, ubi talis non existeret natura; quàm exhibendo mihi generales Naturæ Leges, ubi tales non existerent leges: ergo metaphysica certitudine certum est existere generales quasdam Naturæ Leges; & eas realiter inesse Naturæ Leges generales, quas in ipsa observamus. Q. E. D.

128. COROLLARIUM. Iisdem rationum momentis & eodem propè philosophandi modo evincetur & demonstrabitur, *variis Corporibus indeterminatè sumptis eam esse figuram, eum Situm, eam inter se distantiam, respectivum eum motum,*

relativam eam magnitudinem, quam constantes & concordes ipsis attribuunt nostræ Sensationes.

OBJECTIONES SOLVENDÆ.

129. OBJECTIO I. Si *existentia Corporis nostri*, esset metaphysicè certa; vel esset metaphysicè certa certitudine objecti, vel esset metaphysicè certa certitudine motivi, seu medii: atqui neutrum potest dici: ergo existentia corporis nostri non est metaphysicè certa. Probo utramque minoris partem.

Ac primò quidem, existentia corporis nostri non est metaphysicè certa certitudine objecti: nam certitudo objecti est necessaria rei immutabilitas. Porrò, existentia nostra non est necessaria & immutabilis. (29)

Deinde, existentia corporis nostri non est metaphysicè certa certitudine motivi aut medii: nullum enim est motivum, nullum medium, quod sit necessariò & infallibiliter connexum cum existentia corporis nostri.

RESPONSIO. Concessa majore, nego minorem; & dico existentiam nostri corporis non esse metaphysicè certam certitudine objecti, sed certitudine motivi. Ad probationem, concedo priorem & nego posteriorem antecedentis partem.

Illud *Motivum*, cum existentia corporis nostri necessariò & infallibiliter connexum, sunt constantes illæ & concordes quas in anima nostra experimur Sensationes; spectatæ, tum relatè ad illud Corpus cujus existentiam connotant, tum relatè ad divinam Veracitatem cui decipere & fallere repugnat. Non enim possunt existere illæ *Sensationum relationes* ad varia corporis organa quæ invincibiliter judicantur existere, quin reverà aliquo vestiamur corpore: nisi nos Deus, instar præstigiatoris, permanenter deludat; quod absurdum est & impossibile. (122)

130. INSTABIS I. Possunt variæ illæ sensationes, ad

corpus nostrum relativæ, vel ab ipsa Anima, vel ab ipso Deo, vel ab aliquo Genio nobis superiore, provenire: ergo illæ sensationes non dant certitudinem metaphysicam de existentia corporis quod nostrum sit.

RESPONSIO. Nego antecedens, quoad omnes ipsius partes; & negandi affero rationes.

I. Non oriuntur illæ sensationes ab Anima ipsa, quoniam plurimæ ingratæ sunt; quoniam innascuntur aut adveniunt nobis etiam invitis & reluctantibus; quoniam absque aliqua exemplari causa non possent ab anima efformari: ut patet & constat ex eo quod sensationem Colorum nunquam sit cogniturus, qui cœcus natus est & cœcus esse permanet; quod sensationem Sacchari nunquam sit cogniturus, qui saccharum non degustaverit. (66 & 123)

II. Oriuntur quidem variæ nostræ Sensationes à Deo ipso, qui solus potest esse illarum causa efficiens & productrix. (116)

Sed à Deo oriri, à Deo in nobis produci non possunt variæ nostræ sensationes, ad corpus aliquod tanquam nostrum & ad varia corpora tanquam nobis circumposita relativæ, non existentibus illis realiter corporibus: nisi sit Deus ineptè & absurdè præstigiator & impostor; ut superiùs observatum & demonstratum est. (125 & 126)

III. Non oriuntur illæ sensationes à Genio aliquo nobis superiore: tum quia non concipitur talia posse agere in anima nostra Genius superior, cui talem ineptè actionem nullo modo attribuunt auctores Systematis à nobis confutati; tum quia, etiamsi absolutè posset talia operari in anima nostra Genius aliquis superior; evidens est divinæ Providentiæ repugnare, ut sinat nos perpetuò & insuperabiliter ab aliquo genio superiore permanenter deludi & in errorem continuum pertrahi.

131. INSTABIS II. Illæ sensationes in Anima nostra producuntur à Deo ipso, nobis fatentibus: ergo illæ sensationes non dicunt *necessariam relationem* ad corpus quod sit

nostrum: ergo illæ sensationes non sunt Medium cum existentia corporis nostri necessariò & infallibiliter connexum.

RESPONSIO. Concesso antecedente, distinguo consequens. Ergo illæ sensationes non dicunt necessariam relationem ad corpus nostrum, tanquam ad causam sui productivam, concedo consequentiam: tanquam ad realem suæ existentiæ occasionem, & tanquam ad terminum ab ipsis necessariò connotatum, nego consequentiam.

Illæ sensationes in anima quidem nostra producuntur à Deo ipso tanquam à causa sua efficiente: at non producuntur à Deo absque sensatione externa & materiali, in organis corporeis facta; quæ sit occasio seu occasionalis causa *Sensationis internæ & spiritualis*, quam producit in anima Deus.

Non repugnat Deum producere in anima sensationes, independenter à corpore: sed repugnat Deum producere in anima sensationes quæ constantem dicant & importent relationem ad organa tanquam existentia, non existentibus illis organis: foret enim Deus, in hac suppositione, quod essentialiter esse nequit, fallax & præstigiator, ut demonstravimus.

Unde, illæ sensationes dicunt & important *necessariam relationem* ad corpus nostrum, tanquam ad occasionem sine qua non producuntur, & tanquam ad terminum quem necessariò supponunt existere.

132. INSTABIS III. Quod est metaphysicè certum, non potest esse contingens: atqui corporis nostri existentia est contingens: ergo non est metaphysicè certa.

RESPONSIO. Distinguo majorem. Quod est metaphysicè certum certitudine objecti, non potest esse contingens, concedo majorem: quod est metaphysicè certum certitudine motivi, non potest esse contingens, nego majorem; & concessa minore, nego consequentiam. Existentia nostri corporis non est aliquid necessarium necessitate absoluta,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sed est aliquid necessarium necessitate hypothetica. (24, 29, 49)

133. INSTABIS IV. Medium seu Motivum quo nostra innititur & fundatur certitudo, est *relatio Sensationum nostrarum* ad corpus aliquod tanquam existens, quod nostrum judicamus: atqui illud motivum aut medium nullum est, seu nullam dat certitudinem: ergo nullum est medium quo innititur & fundatur nostra certitudo. Probo minorem. Potest esse relatio sensationum nostrarum ad corpus aliquod tanquam existens, quin existat illud corpus: ergo illud motivum aut medium nullum est. Probo antecedens. Illi quibus amputatum est Brachium, verbi gratia, experiuntur interdum dolorem relativum ad illud brachium tanquam existens, quod tamen non existit: ergo potest esse relatio Sensationum ad corpus aliquod tanquam existens, quin revera existat illud corpus.

RESPONSIO. Concessa majore, nego minorem. Ad probationem, distinguo antecedens. Potest esse relatio constans & concors sensationum nostrarum ad corpus aliquod tanquam existens, quin existat illud corpus, nego antecedens: potest esse relatio nec constas, nec concors, sensationum nostrarum ad corpus aliquod tanquam existens, quin existat illud corpus, concedo antecedens & consequentiam.

Medium seu Motivum nostræ certitudinis circa existentiam corporis quod nostrum sit, est relatio constans & concors nostrarum Sensationum ad corpus aliquod quod nostrum sit (8 & 124): quod locum non habet in exemplo amputati brachii, ubi nec concordes sunt, nec constantes sensationes.

Ac primò quidem, non sunt concordes: si enim ex una parte, per sensationem doloris admonetur anima adesse brachium; ex altera parte, per sensationem visionis & tactûs, admonetur fortiùs & meliùs abesse brachium. Deinde, non sunt constantes: sensatio enim doloris non est perennis, sed interruptis duntaxat temporibus rediviva.

134. ADNOTATIO. Si fortè quæsieris cur & quomodò in *absenti Brachio* dolorem experiatur ille cui ademptum est brachium; rem explico.

I. Residuos habet ille in scapula aut in superstite brachii amputati parte *Nervos*, qui antea in totum protendebantur brachium. Si interdum agitentur residui illi nervi, eo modo quo agitabantur, cum brachium erat scapulæ conjunctum: *juxta generalem hanc Naturæ legem*, ex qua pendet & per quam stat unio corporis & animæ in Composito humano; eadem debet in anima excitari sensatio, quæ excitari solebat antequam abscinderetur brachium. (498 & 501)

II. Supponamus agitari & affici Nervos illos in scapula aut in superstite brachii parte residuos, eodem præcisè modo quo agitabantur & afficiebantur anteà, cum manum nondum amissam penetrabile adureret frigus: experietur anima, juxta generalem hanc unionis legem, *internam frigoris sensationem*, quam, ut solebat ante amissum brachium, referet ad ipsam illius brachii manum.

Unde, excitata in superstite nervorum illorum parte commotio & sensatio externa, per actionem aeris ambientis aut alterius cujuscumque causæ physicæ, Deo est vera & realis occasio producendæ in anima illis nervis unita sensationis internæ. Contrà verò, si nullum realiter corpus haberemus; nulla Deo foret vera & realis occasio producendi in anima nostra constantes illas & concordes sensationes, ad caput, ad brachium, ad pedes relativas.

135. INSTABIS V. Evidens est unicuique, per solam sui ipsius ideam à sensu suo intimo petitam, inesse sibi corpus: ergo frustra evocantur & adhibentur sensationes illæ relativæ ad corpus aliquod quod nostrum sit, ut illud demonstretur. Probo antecedens. Evidens est unicuique, per solam sui ipsius ideam à sensu suo intimo petitam, se esse principium sentiendi & ratiocinandi; seu quod idem est, se esse animal rationale: sed animal rationale, & compositum ex corpore & anima, sunt unum & idem: er-

go unicuique evidens est per solam suî ipsius ideam à sensu suo intimo petitam, se esse compositum ex corpore & anima.

RESPONSIO. Nego antecedens. Ad probationem, concessa majore, distinguo minorem: sed animal rationale, & Compositum ex corpore & anima, sunt unum & idem; & illud nobis est evidens per solam nostri ideam, à sensu nostro intimo petitam, nego minorem: & illud nobis constat per aliquid extrinsecum, tum nostro sensui intimo, tum ideis omnibus quas à nostro sensu intimo repetere & extrahere possumus, concedo minorem & nego consequentiam.

Evidens est mihi per sensum intimum, me esse principium sentiendi & ratiocinandi: sive meæ sensationes pendeant ab aliquo corpore mihi unito, sive à tali corpore non pendeant.

Mihi verò non est evidens ab idea mei ipsius, me esse compositum ex corpore & anima: quia nec in idea principii sentientis, nec in idea principii ratiocinantis includitur evidenter essentialis à corpore dependentia, ut sensationes experiar.

Imò & contrarium ex principiis Fidei sequitur: Reprobi enim in Inferis, & Beati in Cælis, experiuntur sensationes doloris & gaudii, sine organis corporeis. Illæ quidem sensationes non sunt relativæ ad corpus suum tanquam præsens & tanquam sibi coexistens; quia Deus illos non fallit: sed tamen sunt veræ sensationes.

Ergo verum est quod asserimus, *Existentian Corporis nostri*, non esse metaphysicè certam nisi certitudine motivi; scilicet per relationem sensationum nostrarum, tum ad Corpus aliquod quod sit nostrum, tum ad Deum qui non sit fallax (119).

136. OBJECTIO II. Si quid pareret nobis metaphysicam & infallibilem certitudinem circa existentiam variorum indeterminatè hominum, variorum indeterminatè corporum;

maximè & unicè, Sensationes illæ ad varios homines & ad varia corpora relativæ, quas in nobis per sensum intimum experimur: atqui illæ sensationes non pariunt talem certitudinem: ergo nullam talem habemus certitudinem. Probo minorem. Sensationes illæ non pariunt certitudinem metaphysicam & infallibilem circa existentiam variorum indeterminatè hominum, variorum indeterminatè corporum; si possint illæ nobis inesse sensationes, quin ulli existant homines, quin ulla existant corpora: verum consequens, ergo & antecedens. Probo minorem.

Suppono nullum aliud Ens, præter me, fuisse à Deo creatum: me solum cum Deo in Mundo merè intelligibili existere, corpore constantem & anima. Hac data hypothesi, faciat Deus per semetipsum, sine ulla causa vel occasione ipsi & mihi extrinseca, easdem in oculo meo impressiones, quas videtur facere emissum à Sole aut reflexum à Terra lumen: videre mihi videbor & solem & terram; nec tamen existent aut sol aut terra. Faciat Deus easdem in palato meo impressiones, quas varii videntur efficere Cibi: videbor mihi lautis & opimis vesci epulis; & nullæ tamen existent epulæ, nulli cibi. Eandem pedibus meis resistentiam objiciat Deus, quam videtur objicere calcata Tellus: spatiari aut circumcursare mihi videbor per calcatam pedibus terram; nec tamen calcanda existet terra! Faciat Deus easdem mihi in aures & in oculos impressiones, quas videntur efficere varia hominum colloquia, varii vultus: viveres & confabulari mihi videbor cum familiaribus, cum vicinis, cum alienigenis; & unus existam in mundo merè intelligibili & merè possibili solitarius.

Ergo sensuum ritè dispositorum & adhibitorum testimonium non est motivum metaphysicè certum, quo judicemus existere nos in Mundo reali; existere præter nos; & varios indeterminatè homines, & varia indeterminatè corpora.

RESPONSIO. Concedo majorem, & nego minorem. Ad probationem, concedo majorem & nego minorem. Ad hy-

pothesim, nego posse Deum id agere, quod agere supponitur: nisi sit, quod evidenter ipsum esse repugnat, vesanus præstigiator & impostor.

Deinde distinguo consequens. Ergo sensuum ritè dispositorum & adhibitorum testimonium non est motivum metaphysicè certum, quo judicemus existere nos in Mundo verè reali, & existere præter nos, tum varios indeterminatè homines, tum varia indeterminatè corpora: si illud sensuum testimonium spectetur in se, præscindendo à divina sapientia & veracitate, concedo consequentiam: si illud sensuum testimonium spectetur in ordine ad divinam sapientiam & veracitatem, & ut evidenter conjunctum cum divina illa veracitate & sapientia, nego consequentiam.

Sensuum testimonium est motivum metaphysicè certum, non ex se præcisè, sed per suam relationem ad divinam sapientiam & veracitatem, cui & fallere & falli essentialiter repugnat. Unde, spectandum semper est illud testimonium, tanquam illa ad divinam sapientiam & veracitatem relatione vestitum & suffultum.

137. INSTABIS I. Potest Deus, annihilatis omnibus quæ extra nos existunt Creaturis, impressiones easdem per miraculum in nobis excitare: ergo non certum est metaphysicè, sed tantùm physicè, existere extra nos objecta quæ occasionem illis impressionibus præbeant.

RESPONSIO. Distinguo antecedens. Potest Deus, annihilatis omnibus quæ extra nos existunt Creaturis, impressiones easdem per miraculum in nobis excitare; & simul nos constanter & invincibiliter inclinare ad judicandum illas impressiones referri ad objecta extra nos existentia, nego antecedens: & tunc non inclinabit nos Deus ad judicandum talia existere & nobis præsentia esse objecta, concedo antecedens & nego consequentiam.

Non potest Deus facere *Miraculum*, quo & perenniter & invincibiliter deludamur. Quando, altissimis de causis, videtur Deus nostris per miraculum illudere sensibus

erroris detegendi viam ipso nobis suppeditante, brevi evanescit perperam à nobis acceptus error, & in salutarem efflorescit veritatem; ut ex sequenti patebit responsione.

138. INSTABIS II. Deus nonnunquam homines fefellit falsis rerum speciebus: ut cum Spiritus sanctus olim in Christi Discipulos descendit sub forma Ignis; ut cum Christus sub forma Hortulani visus est Magdalenæ; ut cum utrique Tobiæ, Abrahamo, Isaaco, divo Petro, & aliis multis, sub specie humana sese videndos obtulerunt Angeli: atqui in iis omnibus deceptor nec dicitur, nec dici debet aut potest Deus: ergo, vel dum falsis rerum speciebus homines fallit Deus, nec debet nec potest dici deceptor. Ergo, etiam si nulla existerent corpora, & Deus menti nostræ exhiberet corpora tanquam existentia; non ideo deceptor foret appellandus Deus.

RESPONSIO. Ut plena & plausibilis detur speciosæ huic difficultati solutio:

I. Dico nunquam à Deo exhibita esse corpora, ubi non erant realiter corpora. Sic reverà existebant Linguæ illæ igneæ, sub quarum forma in primos Christi Discipulos descendit Spiritus sanctus, sacro Pentecostes die. Sic Christus verum & reale corpus habebat, non verò phantasticum; quando Magdalenæ apparuit. Sic corpus aliquod saltem aerium habuisse verisimile est Angelos, qui variis in circumstantiis sese spectandos dederunt.

II. Dico (& hæc præcipua est & maximi hîc ponderis responsio) varias illas Apparitiones, quæ referuntur & objiciuntur, *non fuisse ad fallaciam, sed potiùs ad Doctrinam.* Voluit scilicet Deus, supernaturalium illarum apparitionum miraculo simul & beneficio, vel utilem aliquam veritatem, vel aliquam ex sui perfectionibus, hominibus manifestare, aut in hominum memoriam revocare.

Si nulla existerent corpora: deceptio esset inutilis, constans, perpetua, universalis, invincibilis; nec ullo unquam posset examine detegi. Unde, in vesana & absurda

*

hac hypothesi, juremeritò diceretur Deus nobis illudere.

At verò, in variis Apparitionibus de quibus hîc agitur, si qua deceptio fuerit; fuit illa deceptio perperàm accepta: potuisset enim facilè vitari aut detegi per prudentem mentis attentionem & circumspectionem: fuit illa deceptio, non ad longum, sed ad brevissimum tempus; & brevem hanc Sensuum illusionem sequeba ur salutaris alicujus Veritatis permansura manifestatio.

139. INSTABIS III. Atqui potest Deus nos falsis constanter & invincibiliter deludere imaginibus, generales Naturæ leges permanenter invertendo: ergo nulla solutio. Probo subsumptum. Ille potest nos falsis constanter & invincibiliter deludere imaginibus, qui constanter exhibet panem, ubi non est panis: atqui Deus constanter exhibet panem in *Hostia consecrata*, ubi non est panis: ergo potest Deus nos falsis constanter & invincibiliter deludere imaginibus.

RESPONSIO. Nego subsumptum: in Ente omnem in se perfectionem essentialiter includente, omnis repugnat fallacia. Ad probationem:

I. Nego majorem. Licet possit Deus, per infinitam suam beneficentiam, in aliquo speciali objecto generales Naturæ leges interrumpere, & panem per miraculum exhibere, ubi non est panis; non inde sequitur posse Deum in rebus omnibus generales Naturæ leges, per miraculum, constanter invertere. Alioquin simul voluisset & non voluisset generales Naturæ leges: quod repugnat. (79 & 127)

II. Distinguo majorem. Ille potest nos falsis constanter & invincibiliter deludere imaginibus, qui constanter exhibet panem, ubi non est panis; si non sufficienter præmonuerit, ut vitetur error, transeat major: si sufficienter præmonuerit, ut error vitetur, nego majorem. Similiter distinguo minorem. Atqui Deus constanter exhibet panem in Hostia consecrata, ubi non est panis; & sufficienter præmoniti fuimus, ut vitetur error, concedo minorem; & non

sufficienter præmoniti fuimus, ut error vitetur, nego minorem & consequentiam.

Ex quo promulgatum est per totum orbem Evangelium; sufficienter providit Deus ne in errorem labamur, circa eucharisticum panem. Si quis tamen miraculum illud ignoret: certus erit ille ibi esse panem, nisi factum sit in hac materia miraculum; ac proinde certus erit de existentia panis, *Certitudine physica*. De existentia enim cujuslibet corporis particularis, non certi sumus nisi physica certitudine: quia nullum est corpus in particulari, circa quod non possit hîc & nunc miraculum fecisse Deus.

At de existentia aliquorum indeterminatè Corporum, *metaphysica Certitudine* certi sumus: tum quia non potest Deus patrare miraculum, quo constanter omnes Naturæ leges everrat, & quo constantem & invincibilem pariat errorem; tum quia miraculum nec fit, nec fieri potest, nisi ad aliquid *utile & verum* hominibus manifestandum. Nulla autem esset utilis Veritatis manifestatio; si illusio & error foret constans & universalis: nihil enim veri docemur, ubi perenniter deludimur.

140. ADNOTATIO. De existentia Objecti particularis, verbi gratia, istius collegii, hic & nunc *Certitudinem duntaxat physicam* habemus: quia absolutè fieri potest ut hic & nunc, annihilato per miraculum collegio, pergat Deus easdem aliquandiu impressiones in nobis producere, quas produceret ad præsentiam collegii existentis; ut salutarem aliquam Veritatem, illius ope miraculi, nos modò aut brevi doceat.

At *Certitudine metaphysica* certum tibi est extitisse collegium, quod multos per annos contemplatus es: quia repugnat factum fuisse in hac re miraculum, quo tandiu decipereris, sine ulla supernaturalis Veritatis manifestatione subsecuta, sine ulla perennis erroris detegendi via tibi à Deo suppeditata.

141. INSTABIS IV. Ex sensuum & sensationum testi-

monio, judicamus interdum existere corpora quæ reipsà non existunt; & tamen error ille non refunditur in Deum: ergo à pari, licet nulla existerent corpora, non idcirco foret Deo imputandus error quo mens nostra judicaret existere corpora. Probo antecedens. Fræneticis, Insanientibus, Somniantibus, Ebriis, febri ardente Laborantibus, Pueris vesano per noctem timore perculsis, plurima apparent corpora, quæ nullibi existunt: ergo ex sensuum & sensationum testimonio, interdum judicamus existere corpora quæ reipsa non existunt.

RESPONSIO. Distinguo antecedens. Ex sensuum & sensationum testimonio constanti & concordi, & cui præsideat Ratio, judicamus interdum existere corpora quæ reipsà non existunt, nego antecedens: ex sensuum & sensationum testimonio inconstanti & sibi semper contradicenti, & cui Ratio nullatenus suffragetur, judicamus interdum existere corpora quæ reipsà non existunt, concedo antecedens & nego consequentiam.

Sensuum testimonio præsidere debet Ratio, errores sensuum præcavere aut corrigere nata. Fatemur equidem quasdam esse sensationes, quarum testimonio non est leviter & sine examine credendum. At ubi constantes & concordes sunt illæ Sensuum relationes; potest & debet Ratio, post attentum & maturum examen, id affirmare, quod ab illis sensationibus refertur.

Ad probationem, concedo antecedens, & nego consequentiam. Falsis corporum imaginibus deluduntur illi omnes, de quibus hîc mentio est, ex vitio suæ naturæ accidentali: at non deluduntur constanti & concordi sensuum & sensationum testimonio, cui Ratio præsideat, & cui suffragetur sensus veritatis intimus, constans & indubitatus. (80 & 118)

142. INSTABIS V. Obscuræ sunt in se sensationes nostræ, ignoti aut malè cogniti nobis sunt sensus nostri: ergo nulla inde potest oriri certitudo.

RESPONSIO. Alta repostum mente semper tibi maneat Axioma philosophicum quod superiùs exposuimus: juxta quod, *in Rebus, propter obscura & incerta, non debent deseri aut in dubium vocari clara & certa.* (5) Unde,

I. Distinguo priorem antecedentis partem. In se obscuræ sunt sensationes nostræ; id est, non sunt imago & repræsentatio quæ in objectum suum irradiet, sicut in objectum suum irradiant ideæ, concedo antecedens: id est, non demonstrant certò & infallibiliter existentiam, tum subjecti spiritualis quod modificant, tum organi materialis ad quod referuntur, tum objecti organo materiali extrinseci quod connotant, nego consequens & consequentiam.

Triplex est Sensationum nostrarum internarum officium & munus, quod fideliter adimplent: 1. modificant & afficiunt intrinsecè animam: 2. referuntur ad aliquod corporis organum, verbi gratia, ad oculum aut ad aurem aut ad tactum: 3. referuntur etiam ad corpus aliquod corpori organico extrinsecum, ad murum, si habeatur sensatio muri; ad fluvium aut ad arborem, si habeatur sensatio fluvii aut arboris. Tria autem hæc certò & infallibiliter præstant sensationes.

Unde, quamvis aliquatenus obscuræ sint nostræ sensationes secundùm *naturam suam*, in qua non fundatur parienda ab ipsis certitudo: nullatenus obscuræ sunt secundùm *destinationem & functionem suam*, à qua sola pendet & in qua sola fundatur omnis illa certitudo quæ ipsis attribuitur.

II. Distinguo similiter posteriorem antecedentis partem. Ignoti aut malè cogniti nobis sunt sensus nostri, secundùm *naturam suam*; seu secundùm mechanicam ipsorum constructionem & actionem, à qua independens est certitudo quam ipsis attribuimus, concedo antecedens: secundùm *officium & munus suum*, à quo solo pendet & in quo solo fundatur parienda ab ipsis certitudo, nego antecedens & consequentiam.

Quamvis fortè ignoremus sensuum nostrorum naturam; demonstrativè scimus ipsorum officium & munus es-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

se, ut in Rerum existentium cognitionem nos infalibiliter deducant. Ergo, licet ignoti aut male cogniti secumdum naturam suam, possunt Sensus nostri dare nobis de objecto suo certitudinem, vel physicam, vel metaphysicam: prout illorum objectum vel in particulari vel in genere sumitur; seu, prout illorum objectum includit aut excludit veram miraculi possibilitatem.

143. INSTABIS VI. Rerum contingentium existentia, nobis latentibus, non manifestatur per ideas: ergo neque per sensationes, quæ persæpe nihil aliud sunt quam ideales rerum impressiones, ut quotidie experimur; verbi gratia, cum turrim cylindricam, aut rectangulam ædificii faciem, intuemur.

RESPONSIO. Concedo antecedens, & nego consequentiam. Permultæ sunt in nobis sensationes, sine ulla rerum perceptarum idea: ergo ex hac jam parte ruit negata à nobis consequentia (113).

Deinde, in illis sensationibus quibus annexæ sunt ideales quædam rerum imagines & representationes, impressionem distingue ab imagine: una enim non est altera. Verbi gratia, si aspexeris Triangulum, & statim clauseris oculos; cessat visio trianguli, seu impressio in te facta à triangulo; remanet & diu remanere poterit idea trianguli: ergo idea & sensatio trianguli non sunt unum & idem.

A sensatione propriè dicta trianguli, ad existentiam trianguli concludere non potes, nisi eo instanti quo fit aut fieri pergit in te illa sensatio. Ab idea aut imagine trianguli, ad essentiales trianguli proprietates poteris concludere, decem aut viginti annis: postquam in te fieri desierit illa trianguli perceptio.

144. INSTABIS VII. Quælibet sensatio distributivè sumpta non dat metaphysicam de objecto suo certitudinem: ergo neque omnes collectivè sumptæ. Probo consequentiam. Variæ illæ sensationes nostræ non simul existunt: ergo non simul concurrunt ad dandam de objecto suo certitudinem.

RESPONSIO. Concedo antecedens, & nego consequentiam. Inest constanti & concordi sensationum nostrarum testimonio pondus & robur, quod cuilibet sensationi separatim sumptæ non inest. Si una separatim sumpta fallat, ab aliis emendabitur, & error non erit necessarius: unde una sensatio separatim sumpta non est motivum infallibile. Contra, si omnes sensationes collectivè sumptæ fallerent; error esset necessarius, & in Deum ipsum refunderetur, quod repugnat: unde collectio sensationum, si constans & concors fuerit, est motivum infallibile, ipsa Dei sapientia & veracitate nixum.

Ad probationem, distinguo antecedens. Variæ illæ nostræ sensationes non existunt simul, existentia physica, concedo antecedens: existentia morali, in Memoria hominis illas sensationes successivè experti, nego antecedens & consequentiam. Licet in te nunc physicè non existant illæ sensationes quas habuisti anno elapso, circa talem hominem, circa tale ædificium, verbi gratia; in te tamen existunt moraliter, tua illas tibi sistente & præsentes reddente memoria. Dum autem inter se comparabis, tum sensationes tuas præteritas, per tuam memoriam tibi nunc fideliter & indubitabiliter exhibitas, tum sensationes tuas actuales, per tuum sensum intimum tibi nunc manifestatas: tam facile judicabis concordesne an discordes sint inter se, quam si utræque physicam hîc & nunc haberent existentiam.

De eodem etiam objecto habetur interdum, non modò successivè, sed etiam simultaneè, multiplex sensatio. Verbi gratia, circa nummum argenteum habetur simul sensatio visionis, sensatio auditus, sensatio tactus; circa pleraque alimenta habetur simul sensatio visionis, sensatio gustus, sensatio olfactus; & si concordes sint inter se variæ illæ sensationes, inde crescit actuale ipsarum robur.

145. INSTABIS VIII. Existentia Contingentium demonstrativè cognosci non potest: ergo nulla nobis inest de existentia contingentium certitudo. Probo antecedens. Omnis demonstratio est, vel à priori, quando effectus demonstra-

tur per suam causam; vel à posteriori, quando causa probatur per effectum suum: atqui neutro modo demonstratur existentia contingentium: ergo existentia contingentium non potest demonstrativè cognosci. Probo minorem. In contingentibus, nulla datur connexio causæ ad effectum, nulla effectus ad causam: ergo nec à priori, nec à posteriori, demonstrari potest existentia contingentium; ac proinde existentia variorum hominum, variorum corporum.

RESPONSIO. Nego antecedens. Ad probationem, nego tum majorem, tum minorem. Ac primo quidem falsa est major. Quædam enim ex sola terminorum perceptione cognoscuntur, ut prima Principia. Quædam etiam per solum ideæ examen, per solam ideæ explicationem & explanationem demonstrantur: ut cum ab idea Trianguli demonstratur tres ipsius angulos esse æquales duobus angulis rectis. Hoc demonstrationis genus, nec est à priori, nec à posteriori, sed à simultaneo (7).

Deinde, falsa est etiam minor. Demonstratur enim existentia Entium contingentium à posteriori, seu per effectus quorum sunt indubitabiliter causa aut occasio; per effectus qui realem & manifestam habent cum existentia Entium illorum contingentium connexionem. Quinam autem sunt illi effectus? Sunt scilicet *variæ Sensationes externæ*, quas excitant in sensibus nostris materialibus varia corpora per Orbem diffusa. Illa entia contingentia excitant varias in corpore nostro sensationes: ergo existunt. Quod enim agit, evidenter existit.

Similiter, multa fieri videmus ab hominibus, quæ arguunt mentem in ipsis intelligentem, comparantem, reflectentem. Illa opera sunt effectus essentialiter connexi cum existentia *Naturæ spiritualis* in hominibus: ergo existit in hominibus natura spiritualis. Quod enim agit, quod se prodit effectibus, illud indubitabiliter existit.

Unde, datur demonstratio à posteriori, de existentia Entium contingentium; demonstratio certa metaphysicè, si agatur de corporibus hominibusque in genere spectatis: physicè certa, si agatur de existentia, figura, situ, magnitudine, talis determinatè hominis aut corporis.

146. INSTABIS IX. independenter à sapientia & veracitate Dei, certi sumus omnimoda certitudine, existere Corpora quæ oculis perspicimus, quæ palato degustamus, quæ palpamus manibus: ergo inutilis est demonstratio ab illa Dei sapientia & veracitate deducta. Probo antecedens. Quod non existit, illud evidenter, nec oculis percipi, nec manibus palpari potest: ergo quæ videntur, quæ palpantur, evidenter existunt.

RESPONSIO. Nego suppositum antecedentis. Ad probationem, concesso antecedente, nego suppositum consequentis. In utroque hoc Entimemate, per ineptam *Principii petitionem* (301), supponitur idipsum quod expendendum & demonstrandum incumbit.

Supponitur scilicet & cerni & palpari realiter, id quod fortè non cernitur aut palpatur nisi apparenter: supponitur ut reale & ut existens, sine ullo ad divinam sapientiam & veracitatem respectu, id cujus realitas & existentia foret demonstranda; id cujus realitas & existentia nullatenus potest demonstrari, nisi ex præsupposita Dei sapientia & veracitate; ut liquet ex iis omnibus quæ in præsenti articulo fuere exposita.

147. INSTABIS. X. Existentiam Dei & existentiam Corporum probamus per *Circulum vitiosum*: ergo non debet admitti talis demonstratio. Probo antecedens. Existentiam Dei probamus ex existentia corporum, & existentiam Corporum probamus ex existentia Dei: atqui illud est circulus vitiosus: ergo existentiam Dei & existentiam Corporum probamus per circulum vitiosum.

RESPONSIO. Circulus vitiosus est circuitus rationum in se ipsas recurrentium; seu, est circuitus aut recursus ra-

*

tionum, quarum prima probat secundam, & quarum secunda probat primam (302).

I. Nullum tale vitium occurrit in nostra demonstratione: ubi ad probandam *existentiam Corporum dubiam*, tanquam certum demonstrationis medium, assumimus existentiam Dei, quam supponimus jam cognitam, jam aliunde demonstratam; quam ut certam & indubitatam supponunt illi ipsi quos hîc impugnandos habemus & confutandos.

Potest enim cognosci & demonstrari *existentia Dei*, independenter ab existentia corporum. Sive enim existant, sive non existant corpora; sive Compositum ego sim ex corpore & anima, sive ex sola anima constem: existentia mea, quæ mihi qualiscumque illa sit non potest esse dubia, erit mihi *Medium penitus certum* quo, supposita primorum Principiorum veritate, ad existentiam Dei demonstrativè assurgam in hunc modum. Cogito: ergo existit increatus & infinitè perfectus aliquis existentiæ meæ actor primitivus (71).

II. Unde in forma, nego antecedens. Ad probationem, distinguo majorem. Probamus existentiam Dei, ex existentia Corporum non aliunde cognita quàm per existentiam Dei, nego majorem: aliunde cognita quam per existentiam Dei, concedo majorem. Sensationes nostræ internæ sunt *Motivum certum* quo demonstretur nobis existentia corporum: nisi supponamus existere Deum aliquem in se absurdè omnipotentem; qui sensationes illas in nobis per seipsum producat, sine ullis corporibus existentibus. Iis omnibus qui chimericam hanc suppositionem non faciunt, certa & demonstrata est existentia corporum, independenter à præsupposita Dei existentia.

Similiter, probamus existentiam Corporum, ex existentia Dei non aliunde cognita quàm per existentiam corporum, nego majorem: aliunde cognita quàm per existentiam corporum, concedo majorem; & concessa minore, nego consequentiam.

Respectu illorum qui jam fatentur existere corpora, & qui existimant *existentiam Corporum* esse certam, existentiam Dei esse incertam & dubiam: demonstramus existentiam Dei, ex existentia corporum quæ Adversariis cognita & indubitata supponitur. At respectu illorum qui jam agnoscunt & fatentur Deum existere, quique putant *existentiam Dei* esse certam, existentiam Corporum esse incertam & dubiam: demonstramus existentiam Corporum, ex existentia Dei sapientis & veracis, quæ ipsis jam clarè & evidenter cognita est & demonstrata. In hoc autem philosophandi modo, qui rectæ Dialecticæ sanæque omni Philosophiæ est perfectè conformis, nihil omnino est quod possi unquam, aut circulum vitiosum aut petitionem Principit ullatenus redolere (301 & 302). i

Quam certitudinem de Corporibus indeterminatè sumptis, pariat Sensuum testimonium, hactenus explicuimus & demonstravimus. Explicandum nobis & demonstrandum superest, quam certitudinem de Corporibus determinatè sumptis, det idem testimonium Sensuum.

ARTICULUS POSTERIOR.

TESTIMONIUM SENSUUM, CIRCA CORPORA DETERMINATE SPECTATA.

148. OBSERVATIO. In priore Articulo, demonstratum est chimericam esse Mundi merè idealis hypothesim: demonstratum, in Mundo reali existere nos; ubi varia realiter existunt Corpora, generalibus quibusdam constanter subdita Legibus.

I. Inter generales Naturæ Leges, quarum existentiam nobis demonstrant constantes & concordes nostræ Sensationes, constans & generalis est hæc Lex: *ut Corpus aliquod non impellatur sensibiliter, nisi ad occasionem alterius præsentis & simul existentis corporis.*

Unde, quotiescumque sit sensibilis aliqua in organis nostris impressio; fieri illa naturaliter debet ab aliquo corpore præsente & existente, quod sit ipsius causa aut occasio.

tionum, quarum prima probat secundam, & quarum secunda probat primam (302).

I. Nullum tale vitium occurrit in nostra demonstratione: ubi ad probandam *existentiam Corporum dubiam*, tanquam certum demonstrationis medium, assumimus existentiam Dei, quam supponimus jam cognitam, jam aliunde demonstratam; quam ut certam & indubitatam supponunt illi ipsi quos hîc impugnandos habemus & confutandos.

Potest enim cognosci & demonstrari *existentia Dei*, independenter ab existentia corporum. Sive enim existant, sive non existant corpora; sive Compositum ego sim ex corpore & anima, sive ex sola anima constem: existentia mea, quæ mihi qualiscumque illa sit non potest esse dubia, erit mihi *Medium penitus certum* quo, supposita primorum Principiorum veritate, ad existentiam Dei demonstrativè assurgam in hunc modum. Cogito: ergo existit increatus & infinitè perfectus aliquis existentiæ meæ actor primitivus (71).

II. Unde in forma, nego antecedens. Ad probationem, distinguo majorem. Probamus existentiam Dei, ex existentia Corporum non aliunde cognita quàm per existentiam Dei, nego majorem: aliunde cognita quam per existentiam Dei, concedo majorem. Sensationes nostræ internæ sunt *Motivum certum* quo demonstretur nobis existentia corporum: nisi supponamus existere Deum aliquem in se absurdè omnipotentem; qui sensationes illas in nobis per seipsum producat, sine ullis corporibus existentibus. Iis omnibus qui chimericam hanc suppositionem non faciunt, certa & demonstrata est existentia corporum, independenter à præsupposita Dei existentia.

Similiter, probamus existentiam Corporum, ex existentia Dei non aliunde cognita quàm per existentiam corporum, nego majorem: aliunde cognita quàm per existentiam corporum, concedo majorem; & concessa minore, nego consequentiam.

Respectu illorum qui jam fatentur existere corpora, & qui existimant *existentiam Corporum* esse certam, existentiam Dei esse incertam & dubiam: demonstramus existentiam Dei, ex existentia corporum quæ Adversariis cognita & indubitata supponitur. At respectu illorum qui jam agnoscunt & fatentur Deum existere, quique putant *existentiam Dei* esse certam, existentiam Corporum esse incertam & dubiam: demonstramus existentiam Corporum, ex existentia Dei sapientis & veracis, quæ ipsis jam clarè & evidenter cognita est & demonstrata. In hoc autem philosophandi modo, qui rectæ Dialecticæ sanæque omni Philosophiæ est perfectè conformis, nihil omnino est quod possi unquam, aut circulum vitiosum aut petitionem Principit ullatenus redolere (301 & 302). i

Quam certitudinem de Corporibus indeterminatè sumptis, pariat Sensuum testimonium, hactenus explicuimus & demonstravimus. Explicandum nobis & demonstrandum superest, quam certitudinem de Corporibus determinatè sumptis, det idem testimonium Sensuum.

ARTICULUS POSTERIOR.

TESTIMONIUM SENSUUM, CIRCA CORPORA DETERMINATE SPECTATA.

148. OBSERVATIO. In priore Articulo, demonstratum est chimericam esse Mundi merè idealis hypothesim: demonstratum, in Mundo reali existere nos; ubi varia realiter existunt Corpora, generalibus quibusdam constanter subdita Legibus.

I. Inter generales Naturæ Leges, quarum existentiam nobis demonstrant constantes & concordes nostræ Sensationes, constans & generalis est hæc Lex: *ut Corpus aliquod non impellatur sensibiliter, nisi ad occasionem alterius præsentis & simul existentis corporis.*

Unde, quotiescumque sit sensibilis aliqua in organis nostris impressio; fieri illa naturaliter debet ab aliquo corpore præsente & existente, quod sit ipsius causa aut occasio.

II. Sensuum testimonium non dat metaphysicam de objecto aliquo particulari certitudinem: ut jam observavimus. Verbi gratia, ex eo quòd per Sensuum testimonium admoneat præsentem adesse mihi hîc & nunc aliquem aut talem hominem; non ideo metaphysicè, sed tantùm physicè certus sum præsentem adesse mihi reverà Hominem.

Potest enim Deus, sapientissima aliqua de causa, per miraculum, easdem hîc & nunc in sensus meos impressiones excitare, ad præsentiam Angeli aut alterius cujuslibet entis; quas excitaret ad præsentiam hominis. Sic, ad præsentiam Angelorum, exhibitos interdum fuisse homines, ubi homines non erant, sacræ docent & testantur Paginæ.

III. Quas requirat conditiones legitimum Sensuum testmonium, superiùs exposuimus. Harum conditionum nulla, in præsenti articulo, ex mente & attentione excidat tua. (118)

PROPOSITIO FUNDAMENTALIS.

149. *Sensuum ritè dispositorum & adhibitorum testimonium est motivum physicè certum quo de Corporum nobis obviorum existentia, figura, situ, distantia, respectivo motu, & respectiva magnitudine, rectè judicemus.*

DEMONSTRATIO. Ut plenè demonstres, in testimonio Sensuum ritè dispositorum & adhibitorum stare *Judicium physicè certum*, circa corpora determinatè sumpta: conferendum erit tibi illud testimonium cum suffragio hominum communi quo munitur, cum natura Sensuum à quibus petitur, cum generali Naturæ Lege in qua fundatur.

I. Illud est physicè certum, quod communi hominum suffragio physicè certum judicatur; & quod nulla efficaci ratione falsum probatur: atqui Sensuum ritè dispositorum & adhibitorum testimonium, de existentia, figura, situ, distantia, motu respectivo & respectiva magnitudine corporum, *communi hominum suffragio* judicatur physicè certum; nec ulla efficaci ratione probatur falsum: ergo Sensuum

ritè dispositorum & adhibitorum testimonium est physicè certum.

Major per se certa est, nec ab ipso negaretur Malebranchio. Pars prior minoris constat, & à nemine negatur. Partem ejusdem minoris posteriorem probabimus efficaciter, sophismatica omnia evertendo argumenta, quibus impugnatur legitimum Sensuum testimonium.

II. Certum est Sensus nostros aptos esse ex *natura sua*, quidquid sit illa natura, ad implendam destinationem & functionem quam dedit ipsis sapiens Rerum auctor Deus: atqui si sensuum nostrorum testimonium esset fallax, illi nullatenus apti forent ad implendam destinationem & functionem quam dedit ipsis sapiens Rerum auctor Deus: ergo certum est sensuum nostrorum testimonium non esse fallax. Probo minorem. Sensuum nostrorum destinatio & functio est, ut conservationi Individui invigilent, admonendo ipsum de existentia, de figura, de situ, de motu aut quiete, de tenuitate aut magnitudine, variorum corporum à quibus detrimentum pati vel utilitatem recipere potest Individuum: quod evidenter præstare sensus nostri nequirent, si eorum testimonium esset in se fallax; si eorum testimonium non esset naturaliter certum.

Quid enim conservationi aut utilitati nostræ proderunt, quid salutaris & divina sapientia dignæ functionis in nobis implebunt Sensus nostri: si ipsorum ministerio, non possim ego certò & infallibiliter descernere ovem meam aut equum meum à lupo voraci, familiares meos ab exteris & alienigenis, domum meam à domo aliena: si ipsorum ministerio, non possit Rex milites suos ab hostibus; non possit Judex virum nefarium in latrocinio & in homicidio deprehensum, à viro probo & nullius delicti incusato; non possit Medicus plantam salutiferam à planta venenosa, certò & infallibiliter distinguere & secernere?

Si res ita foret, si certum & infallibile non foret ex se naturaliter sensuum nostrorum testimonium; sensus à Deo nobis dati fuissent & inutiles & molesti & perniciosi: inutiles, quia ad nihil nobis prodessent: molesti,

quia nos perpetuò inclinarent ad ferendum judicium de rebus ad vitam & ad mores & ad religionem necessariis; & semper cohibendus esset erroris metu assensus: perniciosi, quia, dum naturaliter sensibus credimus, multos in errores ab illis deduceremur. Atqui sapiens Naturæ auctor Deus non dedit nobis sensus naturaliter inutiles, molestos, perniciosos: ergo sensus nostri non sunt naturaliter fallaces: ergo physicè certum est sensuum nostrorum legitimum testimonium.

III. Certum est, ex priori propositione fundamentali, (124) Ens nostrum intelligens & sensibile uniri alicui suo corpori; existere extra nos varia indeterminatè corpora, generalibus quibusdam constanter subdita Legibus, quarum una sancivit auctor Rerum Deus: ut *Corpus aliquod sensibilem non recipiat in se impulsionem, nisi ab alio existente & præsente corpore impellatur.*

Ergo, ubicumque video aut audio hominem, verbi gratia; certum mihi est existere ibi realiter hominem, cujus præsentia talem impulsionem excitat in fibrillis meorum oculorum aut mearum aurium: nisi Deus, per *verum Miraculum*, per realem generalis istius Legis interruptionem, in meis sensibus produxerit, sine ulla hominis præsentia, *physicam hanc impulsionem*, hominis præsentis connotativam.

Cum autem nulla sit circumstantia particularis, in qua repugnet tale fieri à Deo miraculum: inde sequitur sensuum nostrorum testimonium, à quo paritur metaphysica certitudo circa corpora indeterminatè spectata, non parere nisi *Certitudinem physicam* circa tale corpus, verbi gratia, circa talem hominem. Q. E. D.

OBJECTIONES SOLVENDÆ.

150. OBJECTIO I. Quam sæpè & quam multis in rebus decipimur & fallimur à sensibus nostris, circa existentiam corporum determinatè sumptorum! 1. Nunciant nobis sensus nostri, existere *materialem aliquem Fornicem* in spatiis

cœlestibus; ubi tamen, juxta recentiorem Astronomiam, materialis nullus existit fornix. 2. Nunciant nobis nostri sensus in variis existere corporibus *sensibiles quasdam Qualitates*, iis similes sensationibus quas in anima nostra experimur; verbi gratia, existere materialem aliquam in sacchâro dulcitudinem, materialem aliquam in absinthio amaritiem, materialem aliquam in panno purpureo rubedinem; & tamen, juxta recentiorem & saniorem Philosophiam, nihil tale in illis existit corporibus. 3. Nunciant Ebrio, sensus accensam existere *Candelam duplicem*, ubi existit unica. Ergo decipiunt & fallunt nos sensus nostri, circa existentiam corporum determinatè sumptorum.

RESPONSIO. In triplici primæ hujus objectionis exemplo, deest aliqua ex conditionibus fundamentalibus quibus legitimum certumque fieri debet sensuum testimonium. (118)

I. Fornix ille cœlestis, à nobis quasi infinitè distans, nostris non satis præsens est sensibus, ut ipsi cognoscendo sufficienter applicentur: in hoc exemplo deest fundamentalis tertia conditio.

II. Sensibiles Corporum proprietates, quas in corporibus delitescentes imaginamur aut suspicamur, non sunt objectum in se & per se sensibile: quis enim unquam aut vidit aut audiit aut palpavit aut degustavit aut olfecit in seipsis, formalem sacchari dulcitudinem, formalem absinthii amaritiem, formalem rosæ aut panni purpurei rubedinem? Possunt sensibiles illæ corporum proprietates esse objectum *Judicii speculativi*, veri aut falsi: non possunt esse objectum testimonii sensuum, quia non sunt aliquid in se & per se immediatè sensibile. Unde, in hoc exemplo deest fundamentalis tertia conditio.

Nunciant nobis sensus nostri, saccharo, absinthio, panno purpureo, carboni ardenti, inesse aliquid quod sit causa vel occasio variarum sensationum quas in anima nostra experimur ad præsentiam talium corporum; & in hoc non fallunt nos sensus nostri. An autem causa illa vel occasio sit aliquid distinctum aut aliquid indistinctum à

materia & à motu illorum corporum; judicare & definire non est Sensuum: quorum natura in impressionibus & perceptionibus accipiendis limitatur, nec ad conclusiones deducendas aut speculationes habendas extenditur. (117)

III. Esto: ubi unica est, duplex appareat Ebrio candela, propter perturbatos oculorum humores: at adhibeat tactum, & cessabit illusio optica. Præterea, deest in hoc exemplo fundamentalis prima & secunda conditio.

151. ADNOTATIO. Sensuum munus & officium est, ut admoneant Animam quibus rebus indigeat unitum ipsi corpus, & ubinam reperiantur illæ res: in hoc autem destinationem & functionem fideliter implent suam.

I. Per sensus fideliter admonetur anima, quibus intrinsecè rebus indigeat unitum ipsi corpus; an aqua, an cibis, an vestimentis. In hac animæ admonitione, si quando ad noxia appetenda inclinarint sensus: experientia & ratione regi & frænari facilè potest noxius ipsorum appetitus. Facilè enim intelligit mens, id non semper esse corpori salubre, quod sapit; id non semper esse noxium, quod displicet; & circa salubres aut noxias corporum proprietates interrogandam & consulendam esse prudenter experientiam, potiùs quàm affectivum aut aversativum Sensuum instinctum.

II. Per fidele sensuum testimonium admonetur anima, quænam & ubinam sint illa corpora; quæ frequenti & diurna experientia novit esse idonea reparandis, quas contrahit corpus, continuis ruinis. Unde, si fidele & certum supponatur sensuum testimonium, quale naturaliter esse deprehenditur; illorum utilitati non obstabit cœcus ille instinctus quo quædam aversantur salubria, quædam appetunt noxia: quia per illos sufficienter admonemur quænam sit figura, quisnam color, quænam magnitudo corporum illorum quæ, experientia duce & judice, salubria aut noxia esse didicimus.

152. OBJECTIO II. Fallit nos sæpissime testimonium sen-

suum, circa figuram Corporum determinatè sumptorum: ergo non dat nobis physicam de illa corporum figura certitudinem. Probo antecedens. 1. Sensus exhibent nobis interdum Turrim quadratam, ut cylindricam. 2. Sensus exhibent nobis superficiem Maris & Lacuum, ut planam; & tamen constat illam esse circiter sphæricam. 3. Sensus exhibent nobis Planum triangulare, ut tribus tantùm constans angulis; & tamen planum triangulare habet angulos non tot quin plures, licet valdè exiguos & quasi infinitè parvos. 4. Sensus exhibent nobis Figuram circularem, ut nullis constantem angulis; & tamen geometricis demonstrationibus certum est illam infinitis constare angulis. 5. Sensus exhibent nobis interdum Lineam curvam, ut rectam; aut saltem lineam rectam à curva frequenter non discriminant. Ergo, per sensus non habetur physica certitudo de figura corporum determinatè sumptorum.

RESPONSIO. Nego antecedens. Sensuum testimonium, recensitis suprà conditionibus munitum & vestitum, est semper regula physicè certa, qua de Figuris corporum sensibilibus infallibiliter judicemus. Unde, ad probationem, nego antecedens, quoad omnes ipsius partes.

I. Sensus ut cylindricam non exhibent Turrim in se quadratam; nisi à longa nimis distantia spectetur illa turris: in quo casu deest una ex requisitis ad legitimum ipsorum testimonium conditionibus, scilicet tertia. (118)

II. Sensus ritè adhibiti & dispositi non exhibent Maris superficiem ut planam. Videtur enim sensibiliter incurvari ingens illa superficies; & in ipsam longè latèque oculos si dirigas, advenientis procul Navis malos antennasque priùs spectabis, quàm ipsam navim: ex quo oculorum tuorum testimonio colliges & judicabis, si Philosophus & Physicus es, Maris superficiem non esse planam, imò & esse sphæricam.

Quod spectat ad puteos, ad parvulos lacus, aliaque quiescentis aquæ exigua receptacula; fateor varias illorum superficies in sphæricam superficiem realiter incur-

*

vari. Verùm, tam exigua est istarum superficierum in parvis spatiis curvatura, ut illa non sit in se sensibilis. Rectè igitur & verè referunt sensus nostri, aut nullam esse suprà dictis superficiebus curvaturam, aut ipsis curvaturam esse quasi infinitè parvam. In istis exemplis deest una ex requisitis ad legitimum sensuum testimonium conditionibus: scilicet, ut objectum, nempe in dato casu curvatura, sit satis in se sensibile.

III. Planum triangulare tres tantùm habere angulos sensibiles affirmabis, uti monent sensus: non negabis plures habere angulos infinitè parvos; circa quos, utpote insensibiles, nihil docent sensus.

IV. Sensus exhibent Figuram circularem, ut nullis constantem angulis sensibilibus; & talem realiter esse circulum affirmabis: sed ne nega Circulo inesse infinitos angulos insensibiles, quorum infinita tenuitas tuorum aciem oculorum fugit. In hoc & in præcedenti exemplo deest sufficiens objecti sensibilitas. (118)

V. Quando Linea curva sensibiliter deflectit à recta, priorem facilè distinguimus & discernimus à posteriore: quia in oculis nostris impressionem sensibiliter diversam utraque facit. At cum lineæ curvæ segmentum aliquod vix à linea recta discrepat, curvam à recta non discriminamus: quia cum infinitè parvum sit inter utramque discrimen, in oculo nostro non fit ab utraque sensibiliter diversa impressio.

153. INSTABIS. Nulla est connexio inter figuram spiritualem quam in mente habemus, & figuram materialem quam habet objectum extra nos positum: ergo nihil est aut intra nos aut extra nos, per quod certi fiamus de figuris Corporum.

RESPONSIO. Distinguo antecedens. Nulla est connexio inter figuram spiritualem quam in mente habemus, & figuram materialem quam habet objectum extra nos positum: nulla est, inquam, connexio independens à sapientissimo Naturæ auctore, concedo antecedens: nulla est connexio à sapientissimo Naturæ auctote liberè decreta & stabilita, nego antecedens & consequentiam. Mirabilis istius & simplicissimæ connexionis hanc accipe explicationem.

I. Juxta generales Naturæ Leges, ab ipsius auctore Deo liberè positas; figura extra nos posita, verbi gratia, Turris cylindrica, repercutit Solis radios: repercussi à Turri cylindrica radii concutiunt & commovent fibrillas nostri oculi.

II. Jam, juxta generales unionis Leges, quas Corpus inter & Animam sapienter sancivit idem Naturæ auctor Deus: facta in fibrillis nostri oculi commotio est Deo *Occasio seu Conditio*, qua posita excitat ipse in anima nostra spiritualem Turris cylindricæ figuram. (116)

Hinc vides veram esse connexionem inter figuram spiritualem quam in mente habemus, & figuram materialem quam habet objectum extra nos positum. Prioris occasio est posterior; & priorem inter & posteriorem ea connexio est, quæ existit effectum inter & causam.

154. ADNOTATIO. De *figura Corporum* non judicamus, nisi per Tactum aut per Visum: silent ceteri in hac re sensus.

I. In *functione Tactus*, experiuntur fibrillæ nostræ tactiles, aut impulsionem correspondentem figuræ coporis quod nos tangit immotos, aut resistentiam correspondentem figuræ corporis quod ipsi tangimus immotum.

Hæc impulsio aut hæc resistentia est Deo *Occasio*, qua posita, excitat Deus in anima nostra figuram corporis quod tangimus aut quo tangimur.

II. In *functione Visus*, experiuntur fibrillæ nostræ visivæ impulsionem correspondentem figuræ corporis lumen emittentis aut reflectentis: hinc in anima nostra, ut modò diximus, figura illius corporis.

Sed per hanc luminis impulsionem efformatur in Retina nostra *Imago quædam materialis*, corpori lumen illud

diffundenti aut reflectenti assimilata: quæ imago major aut minor est in retina; prout ejus objectum, semper in se idem remanens, aut magis aut minùs est vicinum oculo. Verbi gratia, supponamus Turrim eandem cylindricam videri ab homine in diversis distantiis successivè posito. Diameter imaginis in ipsius retina efformatæ ab hac cylindrica Turri, variabitur sensibiliter in ratione inversa distantiarum: ita ut in distantia centum exapedarum, diameter illus imaginis sit ut 1; in distantia verò quinquaginta exapedarum diameter illius imaginis sit ut 2; & sic de cæteris distantiis (*Phys.* 730).

Videtur autem Imago illa materialis esse Deo *Occasio proxima & immediata*: qua posita excitat in anima nostra Deus, sub majori aut minori imagine intellectuali, figuram corporum oculis nostris obviorum.

155. OBJECTIO III. Per sensus etiam ritè dispositos & adhibitos, malè judicamus de situ & de distantia Corporum: ergo falso asseritur testimonium Sensuum ritè dispositorum & adhibitorum, esse regulam certam qua de corporum situ & distantia judicemus. Probo antecedens.

I. Per sensus judicamus Terram esse in centro Firmamenti sitam; & tamem verisimillimum est, ne dicam penitus demonstratum, Solem ipsum, à quo tamen plus quàm triginta leucarum millionibus distamus, in centro Frmamenti esse situm.

II. Per sensus judicamus Planetas quosdam, verbi gratia, Jovem & Saturnum, tam distare à nobis, quàm ipsas Stellas: cum tamem infinitè majori à nobis intervallo distent Stellæ quàm Planetæ.

RESPONSIO. Nego antecedens & utramque ipsius probationem, in qua deest una ex fundamentalibus conditionibus supra requisitis: scilicet, ut sensui afficiendo sufficienter præsens sit objectum.

I. Nimia est stellarum tum à Sole, tum à Terra distantia; quàm ut possimus ope sensuum judicare Solne an

Terra occupet centrum apparentis illius Fornicis, cui vulgaro nomen est Firmamentum. Similiter, nimia est, tum Stellarum, tum Planetarum, à nobis distantia; quàm ut de illa per sensus possimus certum ferre judicium. In utroque hoc casu, neque falluntur, neque fallunt sensus nostri: quippe qui suam ritè functionem implent, accipiendo eas objectorum impressiones quas accipere nati sunt; & juxta quas objectorum illorum debet esse confusus & incertus situs, confusa & incerta distantia.

II. At ubi obvium ipsis est suficienter objectum: tunc objecti illius desinit esse confusus & incertus situs, desinit esse confusa & incerta distantia. Sic ritè judicamus, per sensuum ministerium suprà recensitis conditionibus munitum, Parisios ad utraque Sequanæ ripam esse sitos; distare aliquot leucis ab urbe Versalica; habere Pontes in tali situ positos, & tali circiter intervallo à se invicem distantes.

156. OBJECTIO IV. Quàm sæpe à sensibus nostris, etiam ritè dispositis & adhibitis, fallimur & decipimur circa motum & quietem Corporum! Ergo sensus nostri non sunt regula physicè certa, qua de corporum motu aut quiete judicemus. Probo antecedens.

I. Referunt sensus nostri Terram quiscere, Solemque & Stellas circa Terram moveri; & tamen certum & demonstratum est Terram circa Solem moveri; Solemque & Stellas quiescere, aut saltem nullum habere motum revolutionis circa Terram.

II. Recedentibus à Portu Nautis videntur fugere urbes & littora: cum soli Nautæ à portu & littore immotis fugiant.

III. Rota volubilis, dum rapidissimo girat circa axem suum motu, videtur non moveri; & tamen, quam realem, quàm rapidum habet in se motum!

IV. Si immotum retineret Deus medio in aere corpus aliquod nobis proximum, verbi grstia, Globum turri campanariæ superpositum: moveri judicaretur corpus illud in

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

se immotum; dum soli ipsi cum Terra circa centrum suum girante moveremur. Ergo persæpe fallunt nos sensus nostri, circa motum & quietem corporum.

RESPONSIO. Nego antecedens. Sensuum ritè dispositorum & adhibitorum testimonium physicam dat nobis certitudinem de *Motu Corporum respectivo*; licet non semper det nobis physicam certitudinem de absoluto ipsorum motu. Verbi gratia, per sensationes in oculo meo factas certus sum physicè, realem esse motum, vel in Sole, vel in Terra: ecce tibi motum respectivum. Utrùm realis ille motus sit in Sole an in Terra, quærirur: ecce tibi *Motum absolutum*, de quo interdum difficillimum est habere sufficientem certitudinem per testimonium sensuum. Ad quadruplicem antecedentis probationem, quadruplex breviter accedet explicatio, unde tota ruet difficultas.

I. Per simplicissimum sensuum testimonium, sine ullo Opticæ aut Astronomiæ auxilio, physicè constat nobis solem inter & terram, stellas inter & terram, respectivum existere motum: scilicet, solem & stellam non eandem semper habere positionem respectù Terræ. Utrùm motus ille absolutus existat in sole & in stellis, an in terra ipsa: non facilè deprehendunt sensus, propter nimiam solis & stellarum à terra distantiam; & in hoc opus est ipsis, ut sagacibus Opticæ & Astronomiæ regulis solerter dirigantur (118)

II. Nautis à portu recedentibus videntur retro fugere littora. Sed Illusio hæc optica neminem fallit, & nullam in sensibus fallaciam arguit: quippe quæ nihil aliud est quam naturalis & recta ipsorum functio; ut constat ex simplicissimis Opticè principiis, ex simplicissima Visionis theoria (*Phys.* 753).

III. Rota volubilis oculo immota videtur & videri debet, ex simplicissima eadem Visionis theoria; dum celerrimo circa axem suum motu volvitur. At oculus non est unicus de motu corporum judex: tactum adhibeto, & moveri rotam deprehendes.

IV. In dato casu jam fieret miraculum, quo suspensum retineretur & immotum medio in aere corpus: nec obstabit illud miraculum quominus physica certitudine certus sis ibi esse realiter *Motum respectivum*, de quo solo mentio est in fundamentali propositione præcedente, inter te & illud corpus.

157. INSTABIS. Frequens mentio est apud Physicos de variis Sensuum illusionibus, quas *Illusiones opticas* nuncupant, & quas sagaciter simul & feliciter explicant: ergo notum est apud Physicos, sensus esse fallaces.

RESPONSIO. Concedo antecedens & nego consequentiam. Illusiones illæ opticæ sunt Sensuum ritè dispositorum & adhibitorum *rectæ Functiones*, in quibus nulla est ex parte sensuum fallacia; sed ex quibus malè consideratis posset in falsas abire inductiones imprudens & non sufficienter sibi & rebus attendens Intellectus.

Imò, & fallaces forent sensus, nisi opticas illas illusiones in talibus circumstantiis paterent: cum ex naturali & recta illorum functione debeant illæ resultare. Physici autem est observare & explicare quomodò inverti videatur rerum ordo communis, in talibus rerum circumstantiis; & quid realitatis & veritatis, in iis circumstantiis infallibiliter resultet ex tali rerum apparentia, supponendo semper rectam esse & certam Sensuum functionem,

158. OBJECTIO V. Nullam fixam & physicè certam cognitionem habere possumus de magnitudine corporum: ergo de magnitudine corporum determinatè sumptorum, physicam certitudinem non dat nobis Sensuum ritè dispositorum & adhibitorum testimonium. Probo antecedens. Regula per quam judicamus de magnitudine corporum, est *Imago objecti*, impressa in retina nostra (154). Atqui probabile est hanc objectorum imaginem esse variam in variis oculis, majorem in aliis, in aliis minorem, pro varia oculorum configuratione: ergo probabile est nos judicare de magni-

tudine corporum, per regulam quæ in variis oculis sit varia. Subsumo: sed regula in variis oculis varia non dat fixam & physicè certam cognitionem de corporum magnitudine: ergo de magnitudine corporum nullam fixam & physicè certam habere possumus cognitionem.

RESPONSIO. Distinguo antecedens. Nullam fixam & physicè certam cognitionem habere possumus de magnitudine corporum absoluta, transeat major: de *magnitudine Corporum respectiva*, nego antecedens & consequentiam. Licet non facilè judicemus de magnitudine absoluta Bovis, verbi gratia; facilè tamen judicamus ipsum esse columba aut musca majorem.

Ad probationem, distinguo majorem. Regula per quam judicamus de magnitudine corporum, est imago objecti, impressa in retina nostra; & hæc nobis est unica judicandi regula, nego majorem: & hæc nobis est non unica judicandi regula, concedo majorem, & concessa minore, nego consequentiam. Columnæ marmoreæ crassitiem æstimabis, non solum aspiciendo, sed etiam amplexando: unde, cum visione sæpe potest tactus concurrere ad æstimandam corporum magnitudinem respectivam, de qua tantum agitur in fundamentali nostra propositione.

Si duo Corpora, sibi proxima ad eandem à nobis distantiam posita sint: fateor unicam regulam qua de ipsorum magnitudine judicemus, esse utriusque *imaginem* in retina nostra delineatam: fateor imaginem in oculo tuo esse posse majorem aut minorem, quàm in meo: fateor denique absolutam ejusdem objecti magnitudinem posse majorem aut minorem tibi apparere, quàm mihi. Quid inde inferes & concludes? Id unum, scilicet, magnitudinem Corporum absolutam variis hominibus apparere posse diversam; verbi gratia, exapedam unam tibi videri posse in se longiorem, quam mihi.

At si nunc eandem hanc exapedam ego & tu applicemus alicui objecto una præcise exapeda longo: uterque judicabimus esse objectum illud uni exapedæ æquale; &

physicè certum feremus uterque judicium de relativa illius objecti magnitudine, non obstante imaginis in retina nostra delineatæ inæqualitate.

159. INSTABIS. Atqui Facto & Experientia demonstratur, nos malè judicare de magnitudine Corporum relativa, ex testimonio nostrorum sensuum: ergo nulla solutio. Probo subsumptum.

I. Idem objectum, in diversis distantiis positum, diversam videtur habere magnitudinem; & tamen eamdem habet.

II. Luna videtur adæquare magnitudinem Solis; & tamen demonstrant Astronomi Solem esse plus quàm sexagesies milliones Luna majorem. Ergo testimonium sensuum, non eam dat, quam dare dicitur, de relativa corporum magnitudine, certitudinem.

RESPONSIO. Nego subsumptum. Ad priorem probationem, concedo antecedens & nego consequentiam. Nemo est qui ignoret objecti alicujus in variis distantiis positi crescere aut decrescere apparentem magnitudinem; ac proinde ex apparenti objecti magnitudine non semper judicandum esse de ipsius magnitudine reali, sed habendam esse etiam distantiæ rationem.

Ad posteriorem probationem, concesso antecedente, nego consequentiam. Sol & Luna ad nimiam à nobis distantiam positi sunt, ut per simplex sensuum testimonium possimus de ipsorum magnitudine, sive absoluta, sive relativa, certum ferre judicium. In isto exemplo, sicut & in sexcentis aliis quæ possent objici, deest tertia ex fundamentalibus conditionibus superiùs requisitis; unde pendere diximus certitudinem testimonii sensuum (118).

Docebit Optica, docebit Astronomia, qua methodo scientifica, in magnis distantiis, sit judicandum de magnitudine Corporum, tum absoluta, tum respectiva.

Quam Certitudinem pariant, tum Sensus intimus, tum Ideæ, tum Sensationes, hactenus expendimus: quam pariant aut parere possint humana Testimonia, nunc expendamus.

*

SECTIO QUARTA.

CERTITUDO, HOMINUM TESTIMONIO FUNDATA.

160. OBSERVATIO. Rerum sensibilium existentiam cognoscimus, per constantes & concordes Sensationes, quas ipsarum ad præsentiam experimur: ut in præcedente Sectione explicatum est & demonstratum.

At si *Res illæ sensibiles* nobis præsentes non sint; si vel anterioribus sæculis præteritæ, ante nostram existentiam extiterint; vel remota aliqua in regione, nostris imperviæ sensibus existant: quo pacto rerum illarum nobis innotescet existentia? Non per Sensum intimum; cum non existant in nobis: non per Ideas; in ideis enim non includitur essentialiter existentia accidentalis: non per Sensationes; nullam enim sensationem excitant res sensibiles, nisi sint sensibus præsentes. Superest ergo ut innotescat nobis rerum illarum existentia, per *testimonium Hominum*: quod testimonium in nobis vices gerat Sensationum ab illis rebus sensibilibus excitandarum.

Rem sic peragi aut sic peractam fuisse intellige. Facta illustria dignosque notari Eventus, majori cum attentione, sive admirando, sive horrescendo, sive indignando, variis sæculis variisque in regionibus observavit ingenita humanæ menti Curiositas. Ut autem, tum Alienigenis, tum seris suis Nepotibus, aut ad exemplum aut ad admirationem aut ad indignationem transmitteret, quod ipsissimis viderat oculis, quod ipsissimis auribus audierat Gens aliqua: curavit illud, vel authenticis historiis consignari, vel metallis lapidibusque insculpi, vel fideli Traditione conservari & propagari. Ecce tibi *testimonium Hominum*, quo

nostra videtur quasi reproduci & multiplicari existentia; quo omnibus & locis & temporibus quodammodò præsentes sistimur.

AUCTORITAS ET FIDES.

161. DEFINITIO. *Auctoritas* est alienum testimonium, ad credendum inclinans: huic auctoritati adhæsio, dicitur *Fides*.

Fides alia est divina, alia humana. Fides divina est assensus divino testimonio nixus. *Fides humana*, de qua sola hîc agitur, est assensus humano nixus testimonio.

Fidei divinæ inest omnimoda certitudo: fundatur enim ipsamet Dei falli & fallere nescii auctoritate. Fidei humanæ non semper inest, sed aliquando inesse potest omnimoda certitudo: quia potest aliquando tot tantisque muniri auctoritatibus, ut omnem erroris possibilitatem excludat; ut res modò explicabitur & demonstrabitur.

CERTITUDO MORALIS.

162. OBSERVATIO. Certitudo quæ fundatur humanis testimoniis, dicitur *Certitudo moralis*: tum quia ex cognitis hominum moribus resultat; tum quia ad hominum mores instituendos vitamque regendam pertinet. (34)

I. Quòd Testimoniorum humanorum auctoritate communiter regatur & regi debeat Vita humana, per se sufficienter patet. Ut enim sciam, verbi gratia, an mihi parentur ab inimico insidiæ; an tale facinus à tali vel tali homine sit patratum; an bella paret aut gerat in meam Patriam Natio anglica; an existat India auro gemmisque fœcunda; an extiterit Alexander aut Cæsar aut Ludovicus decimus quartus: Certè mihi nihil opus est physica aut metaphysica ea certitudine, quæ repetitur à sensationibus aut ab ideis meis. In his aliisque similibus rebus, morali certitudine sapienter diriguntur humana consilia, judicia, totaque vitæ ratio.

Humanæ Societatis totiusque Religionis fundamen-

tum est *Certitudo moralis*, seu certitudo illa quæ ab humanis desumitur testimoniis. Hinc intelliges quanti intersit, humanorum testimoniorum vim & robur expendere.

II. Quòd auctoritas testimoniorum humanorum possit omnimodam parere certitudinem, per se etiam facillimè patebit. Tantum enim pondus & robur potest assumere humanum Testimonium à sex conditionibus modò assignandis; ut ex illo enascatur *Certitudo moralis*, certitudini metaphysicæ aliquatenus æqualis: in eo sensu quod moralis illa certitudo tam efficaciter excludat omne dubium in ordine morali, quàm axioma quodlibet metaphysicum excludit omne dubium in ordine metaphysico.

Tam certus sum existere *Imperium germanicum*, verbi gratia, quàm certus sum Totum esse sua parte majus: licet prior certitudo sit tantùm certitudo ordinis moralis, innixa humanis testimoniis; posterior verò sit certitudo ordinis metaphysici, ipsa rei idea & essentiali exigentia fundata.

CERTITUDO TESTIMONII HOMINUM.

163. OBSERVATIO. Sex à nobis assignantur Conditiones, ex quibus tantus pondus & robur assumit *Hominum testimonium*; ut certitudinem pariat, certitudini metaphysicæ non imparem. Sunt autem sex illæ Conditiones:

I. *Numerus Testium*: qui tantus esse debet, ut major non possit ab homine sano requiri ad stabiliendam Veritatem.

II. *Gravitas Testium*: ne per jocum fallant, aut præ levitate fallantur.

III. *Integritas Testium*: in quos nulla cupiditatis ac collusionis suspicio prudenter cadat.

IV. *Constantia Testimonii*: ne sibi in narratione sua malè constent Testes; & illic negent, quod istic affirmant.

V. *Contrarii Testimonii, si quod sit, summa levitas*: ne testimonia sint testimoniis hinc & inde circiter æquilibria, atque ita reciprocè elidantur.

VI. *Possibilitas & Sensibilitas in objecto Testimonii*: ut

nihil asseratur à Testibus, aut quod evidenter in se repugnet, aut de quo per sensus non possit facilè judicari.

VIS VERITATIS COGNITÆ.

164. AXIOMA MORALE. *Veritati evidenter cognitæ inest aliqua Vis, qua inclinamur ad ipsi suffragandum; quaque ipsi revera suffragamur, quoties nulla mentis cupiditate in perversum agimur.*

EXPLICATIO. Moralis istius Axiomatis veritatem nobis manifestat Sensus intimus; & si opus fuerit, veritatem hanc sic explicando demonstrabimus.

I. Illud est in anima nostra, quod in ipsa videmus aut sentimus: atqui in anima nostra videmus aut sentimus illam *propensionem ad Veritatem cognitam*: ergo illa ad Veritatem cognitam propensio est in anima nostra.

Major est evidens. Priùs est enim aliquid esse in anima nostra, quàm videri aut sentiri in anima nostra: alioquin sentiretur aut videretur, quod non est quod nihil est; ac proinde, quod nec sentiri, nec videri potest.

Minor unicuique propria conscientia innotescit. Ad amandam Veritatem nati quisque sumus, & natos nos esse sentimus: nec Veritatem evidenter cognitam deserimus & prodimus; nisi vel metus, vel ira, vel cæcus partium furor, vel propriæ utilitatis spes & amor, vel simile aliquod aliud motivum impellat nos, ut Mendacio suffragemur.

II. Naturali huic & nobis ingenitæ ad Veritatem propensioni, nullum aliud est assignabile motivum, quàm ipsa vis Veritatis cognitæ: cessantibus enim aliis omnibus motivis, viget in nobis illa ad Veritatem evidenter cognitam propensio.

Ergo inest Veritati evidenter cognitæ *aliqua Vis*, qua inclinamur ad ipsi suffragandum; & qua ipsi revera suffragamur, quoties nulla mentis cupiditate in perversum agimur. Q. E. D.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

165. OBJECTIO. Vis Veritatis cognitæ non agit in Intellectum: ergo non potest intellectum movere.

RESPONSIO. Distinguo antecedens. Vis Veritatis cognitæ non agit in intellectum, per influxum physicum & materialem, qualis convenit rebus corporeis, concedo antecedens: per influxum moralem, per influxum motivi, qualis convenit rebus moralibus, nego antecedens & consequentiam.

Anima nostra duplex habet objectum, ad quod naturalem habet tendentiam, *Bonum* scilicet & *Verum*. Sicut per cognitam objecti alicujus bonitatem, inclinatur Voluntas humana ad objectum illud amandum & prosequendum: ita per cognitam objecti alicujus veritatem, inclinatur Intellectus humanus ad suffragandum huic objecti veritati.

Inest Probitati, inest Justitiæ, inest cuicumque Virtuti, aliqua *bonitas moralis*, seu bonitas morum perfectiva; quæ animam ad sui prosecutionem allicit: bonitatem hanc moralem sentimus meliùs, quàm definimus.

Similiter, inest Veritati aliqua bonitas moralis, quæ intellectui sapit, ad quam se natum videt & sentit intellectus, quæ intellectum movet & inclinat ad assensum. Sentimus omnes rectum & honestum & naturæ consentaneum esse, suffragari Veritati. Hoc honestatis motivo, innato hoc veritatis amore mota, Veritati indubitanter cognitæ assensum, tum interiorem, tum exteriorem, non denegat humana Mens: nisi potentiore alio motivo inclinetur & impellatur ad denegandum Veritati cognitæ suffragium.

PROPOSITIO FUNDAMENTALIS.

166. *Testimonium Hominum, recensitis munitum conditionibus est motivum certum & infallibile, quo Factorum quorumdam sensibilium & illustrium nobis indefectibiliter innotescat veritas.* (163)

DEMONSTRATIO I. Certa erit & directè demonstrata hæc propositio (6); si certi simus & de infallibilitate & de existentia talis Testimonii: atqui de utraque certi sumus, aut nos penes est esse certos.

I. Testimonium Hominum certum est & cum rei veritate infallibiliter connexum; si *nec falli*, *nec fallere* potuerint Testes: atqui tale est testimonium hominum, recensitis conditionibus munitum: ergo illud testimonium certum est & cum rei veritate infallibiliter connexum. Demonstratur minor quoad utramque partem.

Ac primò quidem, Testes oculati & auriti, quorum nota est gravitas & integritas, *falli* non potuerunt circa Factum aliquod valdè sensibile & illustre; quale foret plenus Solis defectus, subita Mortui jam putrescentis resurrectio, Urbis alicujus aut Hominis existentia: nisi auctor & arbiter Naturæ Deus ipsis illuserit, per miraculum sua sanctitate & sapientia & veracitate indignissimum; quod evidenter repugnat.

Deinde, Testes multi, graves, integri, sibi constantes, nulla mentis cupiditate in transversum acti, nullo adverso testimonio notari digno infirmati, fallere non potuerunt: alioquin testes illi gravitate aut integritate caruissent, & ab aliis multis testibus veritatis amantibus fuisset ipsis contradictum: quod est contra suppositionem. (163)

Ergo certum & cum rei veritate infallibiliter connexum est testimonium hominum requisitis & superiùs recensitis conditionibus vestitum & munitum. Ergo jam de *infallibilitate talis Testimonii* certi sumus, aut certi fieri possumus.

II. An autem existat tale Testimonium, certos fieri nos penes est. Nam, vel Testes ipsos videmus & audimus; vel eorum intuemur Testimonia, publicis & authenticis consignata monumentis: quæ monumenta tantam habent auctoritatem, tantamque pariunt certitudinem, quantam haberent aut parerent ipsimet Testes. Unde, de *existentia talis Testimonii*, ope Sensuum ritè dispositorum & adhibitorum, omnimodam possumus habere certitudinem.

Ergo nemini sano dubium esse potest illud homi-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

num Testimonium, requisitis conditionibus munitum: cum & in se infallibile sit, & nos de illius existentia certi simus. Q. E. D.

167. DEMONTRATIO II. Certa erit & indirectè demonstrata eadem propositio; si attendatur ad absurditates quæ ab ipsius falsitate aut incertitudine fluerent: si observetur scilicet necessariam esse & Societati & Religioni *Certitudinem moralem*, omnis dubii rationalis efficaciter exclusivam; & talem certitudinem haberi non posse nisi per *Testimonium hominum*, quod sit in se & per se certum.

Humanæ Societatis & Religionis totius fundamentum est evidenter Hominum testimonium. Undenam enim scimus, verbi gratia, Genti Borboniæ jus antiquum & sacrum esse ad Thronum gallicum; Pium sextum, legitimum esse Ecclesiæ romanæ Pontificem; talem domum aut tale prædium ad Possessorem suum jure pertinere? Undenam certi sumus extitisse Moysem & Christum, divinæ Revelationis ministros? Undenam constat nobis patrata fuisse ab utroque innumera Miracula, quibus alter se à Deo missum, alter se Deum esse, sufficienter testaretur & efficaciter demonstraret? Scilicet, ex solo hominum testimonio, requisitis conditionibus munito. Unde sic ratiocinor.

I. Vitium foret in *Ordine morali* maximum, cujus auctor esset ipsemet Deus; si de Veritatibus à quibus pendet Religio & Societas, non daretur certitudo omnis dubii rationalis ineluctabiliter exclusiva: ergo debet dari talis certitudo.

II. Sed talis certitudo non potest haberi, nisi per testimonium hominum: ergo testimonium hominum debet in se habere vim pariendi certitudinem omnis dubii rationalis ineluctabiliter exclusivam; ac proinde certitudinem certitudini metaphysicæ aliquatenus æquivalentem. Probo antecedens. Factum aliquod præteritum, cujusvis sit generis, verbi gratia, Carthaginis aut Babylonis ruina, Jesu Nazareni mors & resurrectio, Alexandri aut Cæsaris aut Ludo-

vici decimi quarti suis temporibus existentia: *Factum præteritum*, inquam, nec potest rationibus metaphysicis demonstrari, cum non includatur in essentiali rerum idea; nec rationibus physicis certum potest fieri, cum jam non cadat sub sensus.

Superest ergo ut Factum illud præteritum possit ab hominum testimonio trahere Certitudinem illam omnis dubii rationalis ineluctabiliter exclusivam, quam in Ordine morali necessariam esse intelligimus; & sine qua fixum & certum nullum foret, tum Societati, tum Religioni, fundamentum. Q. E. D.

OBJECTIONES SOLVENDÆ.

168. OBJECTIO I. Quod omnimoda certitudine certum est, geometricas aut metaphysicas suscipit demonstrationes: atqui *Facta historica*, vel locupletissimis vallata testimoniis, neque metaphysicas neque geometricas, suscipiunt demonstrationes: ergo Facta historica, vel locupletissimis vallata testimoniis, omnimodà certitudine non sunt certa.

RESPONSIO. Distinguo majorem. Quod omnimoda certitudine certum est, geometricas aut metaphysicas suscipit demonstrationes; si illud quod dicitur certum, sit ordinis geometrici aut metaphysici, concedo majorem: si illud quod dicitur certum, sit ordinis moralis, nego majorem; & sic distincta minore, nego consequentiam.

I. Multæ sunt *Veritates Ordinis geometrici aut metaphysici*; & illæ suscipiunt geometricas aut metaphysicas demonstrationes. Demonstrantur scilicet illæ Veritates, aut per ipsam rei ideam, aut per effectus cum re demonstranda, tamquam causa efficiente aut occasionali, naturaliter & necessariò connexos. (7, 69, 131)

II. Multæ sunt etiam aliæ *Veritates Ordinis moralis*, quæ nec per ideam, nec per effectus demonstrari possunt, ut modò vidimus; quas tamen infallibiliter cognosci posse &

demonstrari maximi interest: quoniam Societatis civilis Religionisque totius sunt fundamentum.

Geometricas aut metaphysicas exigere demonstrationes in Veritatibus ordinis moralis, ineptum prorsus & absurdum foret; quia evidens est illas talibus non patere demonstrationibus: superest ergo ut moralibus certæ fiant demonstrationibus. Negare aut in dubium vocare Veritates ordinis moralis, quia geometricas aut metaphysicas non suscipiant demonstrationes; idem prorsus foret ac negare aut in dubium vocare existentiam Colorum, quia gustu aut auditu non percipiuntur; existentiam Sonorum, quia non cernuntur oculis, non palpantur manibus.

An mihi certum minùs est, existere Romam, pugnatum fuisse Pharsalicis aut Fonteneis campis: quia existentia Romæ, quia Pharsalica aut Fontenea Pugna, geometrici instar theorematis, nequeunt demonstrari; nec alia mihi demonstratione constant, quàm demonstratione hominum testimonio parta? Videant recentiores quidam Philosophi, quàm vicina sit dementiæ, effrenata Incredulitas!

169. INSTABIS. Atqui testimonium Hominum non parit Certitudinem omnis dubii exclusivam: ergo non parit certitudinem geometricæ aut metaphysicæ certitudini in suo genere æquivalemtem. Probo antecedens. Testimonium Hominum est motivum minoris ponderis, minorisque ad excludendum dubium efficacitatis; quàm testimonium Sensuum, quàm Auctoritas Dei, quàm intrinseca Rerum evidentia: atqui testimonium Sensuum, Auctoritas Dei, intrinseca Rerum evidentia, pariunt præcisè certitudinem omnis dubii exclusivam: ergo testimonium Hominum, ratione minoris sui ponderis, minoris suæ ad excludendum dubium efficacitatis, debet parere aliquid minus quàm certitudinem omnis dubii exclusivam.

RESPONSIO. Nego antecedens. Ad probationem, distinguo majorem. Testimonium hominum est motivum minoris ponderis, minorisque ad excludendum dubium efficacitatis;

in eo sensu quòd minùs vividè minùsque celeriter rapiat assensum, omnemque oppositi tollat formidinem, concedo majorem: in eo sensu quòd non rapiat realiter assensum, quòd non tollat realiter omnem oppositi formidinem, nego majorem & consequentiam.

Varia est Certitudo, pro varietate motivorum quibus ipsa fundatur & parturitur. Evidentia Rerum, auctoritas Dei, testimonium Sensuum sunt motiva in se simplicia, facilia, intricatum omne rerum examen excludentia; quibus & efficaciter & celeriter paritur plena & summa certitudo. Testimonium hominum est motivum magis implexum & intricatum, plus attentionis & examinis exigens; quo difficilius quidem & lentius, sed non minus verè & effectivè, excluditur omne dubium; paritur completa certitudo.

Prioribus motivis est vis simplicior, vehementior, promptior ad excludendum omne ab intellectu dubium: posteriori motivo est vis minus simplex, minus vehemens, minus prompta ad impugnandum dubium, sed non minus omnis tandem dubii exclusiva. Quando autem penitus exclusum est ab intellectu omne dubium: quid refert priorine an posteriori modo sit exclusum, cum in utroque casu penitus absit ab intellectu.

170. OBJECTIO II. Quod absolutè potest esse falsum, non potest demonstrari verum: sed Facta historica, etiam locupletissimis testimoniis munita, posunt absolutè esse falsa: ergo Facta illa non possunt demonstrari vera. Probo majorem. Quod non est in se certum, non potest demonstrari verum: sed quod absolutè potest esse falsum, non est in se certum, ergo quod absolutè potest esse falsum, non potest demonstrari verum.

RESPONSIO. Distinguo majorem. Quod absolutè potest esse falsum, non potest demonstrari verum, demonstrationibus metaphysicis, ab essentiali rerum idea petitis, concedo majorem: non potest demonstrari verum, *demonstra-*

tionibus moralibus, petitis à motivo certo & cum rei veritate infallibiliter connexo, nego majorem. Similiter distinguo minorem. Sed Facta historica, etiam locupletissimis testimoniis munita, possunt absolutè esse falsa: id est, potuisset alius esse *rerum Ordo*, in quo vel non extitissent vel aliter extitissent illa Facta, concedo minorem: id est, potuerunt esse tot & talia testimonia de Factorum illorum veritate, quin Facta illa sint vera, nego minorem & consequentiam.

Ad probationem, distinguo majorem. Quod non est in se certum, non potest demonstrari verum, demonstratione petita ab objecti immutabilitate, concedo majorem: non potest demonstrari verum, demonstratione petita à motivo cum re demonstranda infallibiliter connexo, nego majorem. Similiter distinguo minorem. Sed quod absolutè potest esse falsum, non est in se certum certitudine objecti, concedo minorem: non est in se certum certitudine medii seu motivi, nego minorem & consequentiam (29).

171. OBJECTIO III. Eadem esse repugnat *motiva Probabilitatis & motiva Certitudinis*: sed motiva quibus fundantur & quibus varios Credibilitatis gradus acquirunt Facta historica, nihil aliud sunt, nihil aliud esse possunt, quàm motiva probabilitatis: ergo repugnat Factis historicis esse motiva Certitudinis. Probo minorem. Motiva quibus fundantur & quibus varios credibilitatis gradus acquirunt Facta historica, nihil aliud sunt, nihil aliud esse possunt, quam varia hominum testimonia: quorum quodlibet non parit nisi Probabilitatem: quorum collectio qualibet non parit nisi Probabilitatum collectionem, quæ nunquam potest esse vera & propriè dicta certitudo.

RESPONSIO I. Concedo majorem. Necesse est enim in aliqua re semper differre motiva Probabilitatis, á motivis Certitudinis: quoniam priora defectibiliter, posteriora verò indefectibiliter connexa esse supponuntur cum objecto ad quod referuntur.

II. Nego minorem. Plurima enim Testimonia humana, per suam unionem, possunt aliquando fieri verum Certitudinis motivum: quia possibile est iis testimoniis simul unitis & vim semper crescentem à se invicem accipientibus, aliquando inesse satis ponderis & satis auctoritatis; ut sint indefectibiliter connexa cum veritate Facti historici ad quod referuntur, & in quo referendo unanimiter conspirant & consensiunt. Talia sunt testimonia quibus mihi nuntiatur existere Asiam aut Americam, extitisse Alexandrum & Cæsarem.

III. Ad probationem, fateor motiva quibus fundatur cognitio omnis quam habemus de Factis historicis, nihil aliud esse, nihil aliud esse posse, si divinam revelationem excipias, nisi varia hominum Testimonia: fateor quodlibet testimonium humanum, separatim sumptum, non esse nisi motivum majoris minorisve Probabilitatis. Sed quamlibet testimoniorum humanorum collectionem, nihil aliud esse nisi collectionem Probabilitatum; illud sanus nemo fatebitur.

Ingenti & sufficienti Testimoniorum humanorum multitudini & collectioni inest *proprium Certitudinis fundamentum*, à cognitis hominum moribus petitum, quod cuilibet testimonio separatim sumpto nullatenus inest; scilicet, *unanimis talium Testimoniorum concordia*. Non repugnat cognitis hominum moribus, quemlibet Testem, separatim sumptum suffragari Mendacio, ob vile & proprium ipsi aliquod motivum: repugnat autem cognitis hominum moribus, omnes simul Testes suffragari eidem mendacio ob vile aliquod motivum, quod omnibus nequit esse commune. (164).

IV. Tam diversi sunt ingeniis, moribus, cupiditatibusque homines; tantus est inter ipsos opinionum, affectuum, emolumentorum conflictus; tanta in ipsis viget ad dissentiendum, ad obloquendum, ad contradicendum, propensio; ut *unico Veritatis amore* adduci possint ad unanimem consensum circa Factum aliquod enarrandum.

Unde, quamvis plurimi Testes distributivè sumpti

non sufficiant ad dandam omnem alicui facto certitudinem; facilè intelligis à plurimis testibus collectivè sumptis posse omnem huic facto certitudinem dari, crescit enim testimoniorum vis & robur, ex ipsorum multitudine & concordia.

172. INST. I. Quilibet testis distributivè sumptus potuit mentiri: ergo & mentiri potuere omnes collectivè sumpti testes. Probo consequentiam. A distributivo ad collectivum valet consequentia: ergo si quilibet testis distributivè sumptus mentiri potuit; pariter, potuere mentiri omnes collectivè sumpti testes.

RESP. Concedo antecedens, & nego consequentiam. Potest testis unus, determinate sumptus, habere motiva deserendi veritatem; quæ omnes collectivè sumpti testes non possunt simul habere: ut modo observavimus.

Ad probationem, distinguo antecedens. A distributivo ad collectivum valet consequentia; ubi agitur de actu, conc. ant.: ubi agitur de potentia, nego antecedens & consequentiam (79).

173. INST. II. Quilibet testis, distributivè sumptus, non dat nisi probabilitatem de facto historico quod refertur: ergo innumeri testes, collectivè sumpti, non dant de eodem facto historico propriè dictam certitudinem. Probo consequentiam. Probabilitas addita probabilitati, & in immensum probabilitati addita, non facit nisi probabilitatem, aut probabilitatum collectionem: ergo innumeri testes, quorum quilibet vim tantum sufficientem habet ad pariendam probabilitatem, non pariunt propriè dictam certitudinem. Probo ant. Nummus additus nummo & in immensum nummo additus, non facit nisi nummorum collectionem: ergo à pari, probabilitas addita probabilitati, & in immensum probilitati addita, non facit nisi collectionem probabilitatum.

RESP. Omisso vel concesso antecedente, nego consequentiam. Ad probationem, concedo ant., sed nego suppositum antecedentis. In data hypothesi, non additur mera probabilitas meræ probabilitati, sed additur auctoritas auctoritati: quæ auctoritas eò tandem devenire crescendo potest, ut omne penitus dubium excludat. Quando autem ita adaucta est auctoritas, ut omne excludat dubium: tunc illa auctoritas non est motivum probabilitatis, sed omnimodæ certitudinis. (162 & 171)

Ad tertium, concesso antecedente, nego consequentiam & paritatem. Cum addis nummum nummo; nihil addis in ratione nummorum, nisi nummum: non facis priorem nummum magis in se nummum. Contrà verò, cum addis testimonium testimonio, addis auctoritatem auctoritati: facis priorem auctoritatem, in se majorem & firmiorem, in se magis validam & efficacem ad excludendum dubium; crescente vi cujusque testimonii, ex sua cum altero testimonio concordia.

174. ADN. Illa omnis argumentatio, qua certitudinem moralem conantur ad meram probabilitatem reducere recentiores quidam Sceptici, *nihil probat, quia nimis probat*; seu quia probat aliquid quod est evidenter falsum. (5)

Ex simili enim argumentatione concludi posset, non esse certam penitus & indubitatam Italiæ aut Angliæ existentiam, nobis quibus non constat utriusque illius regionis existentia, nisi ex variis hominum testimoniis: quam conclusionem si quis seriò admitteret, insanientibus statim annumeraretur ab omni sanæ mentis homine.

Ex iis & similibus tricis quasi per transennam collige, quàm prava interdum judicandi regula in rebus moralibus, sit subtilior Metaphysica: ubi communi hominum sensui illa adversatur.

175. OBJ. IV. Generale hominum testimonium falsum est aut saltem dubium: ergo nullam parit certitudinem. Probo ant. Ad nostra usque tempora, generali hominum suffragio referebatur: 1. Terram quiescere, Solemque circa

terram moveri: 2. Inesse Brutis animam à materia & motu distinctam: 3. Inesse Corporibus proprietates sensibiles, à materia & motu & omni materiæ motusque combinatione distinctas. Atqui hæc omnia aut dubia aut falsa sunt: ergo generale hominum testimonium falsa aut dubia refert; ac proinde falsum est aut dubium.

RESP. Nego ant. Nullum enim unquam extitit hominum testimonium, recensitis superiùs conditionibus vestitum, quod fuerit falsum, quod possit esse dubium. Ad probationem, dist. maj. Et ea omnia quæ objiciuntur, sunt facta de quibus facilè judicari possit per sensus, nego maj. sunt facta de quibus per sensus non potest facilè judicari, conc. maj. & nego consequentiam. Iis quæ objiciuntur factis, deest sexta quam requisivimus, conditio. (163)

I. De motu Solis aut Terræ absoluto, non nisi difficillimè potest per sensus judicari; ut superiùs observavimus. Nullum est igitur, seu nullius est auctoritatis, hominum testimonium de illo facto: quia hominum testimonio non potest major esse vis, quàm testimonio sensuum in quo fundatur & ex quo pendet omnis ipsius auctoritas. (156)

II. Qui asserunt inesse brutis animam à materia & motu distinctam, id non asserunt ex eo quòd hanc *Brutorum animam* aut viderint aut audierint aut palparint. Quid igitur mirum, si nihil probet tale ipsorum testimonium?

III. Qui asserunt inesse Corporibus *Qualitates sensibiles*, à materia & motu distinctas, verbi gratia, inesse igni *Calorem formalem*, à materia & motu corporis calidi distinctum; id non asserunt ex eo quòd qualitates illas sensibiles, formalem hunc calorem, in igne viderint aut senserint; sed ex eo quòd ad præsentiam ignis internum experti sint calorem, quem deinde non benè cognitum igni imprudenter attribuerunt. (117 & 150)

Conjecturalis opinionis, veræ aut falsæ, objectum esse potuere, tum anima brutorum, tum sensibiles corporum proprietates, nusquam esse potuere objectum testimonii sensuum; quia realem nunquam in se habuerunt sensibilitatem. (118)

176. ADN. Cave ne *conjecturales opiniones* confundas cum propriè dictis hominum testimoniis. Factis historicis, quorum objectum fuit sensibus obvium, omnimodam certitudinem dare potest testimonium hominum: nullam dare potest conjecturalibus opinionibus, quorum objectum sensibus est impervium. Verbi gratia,

I. Extitit Bucephalus, & universo Alexandri exercitui visus est: ecce tibi testimonium sensuum.

II. Narrant Historici visum fuisse sibi aut testibus omni fide dignis Bucephalum, bellatorem Equum: ecce tibi testimonium hominum.

III. Ex superbo Bucephali incessu, ex irretortis media inter tela ignea oculis, asseritur ab Historicis fuisse Bucephalo superbientem & bellatricem animam: ecce tibi *conjecturalem opinionem*, cui nihil favet ipsorum testimonium; & de qua judicare solius est semper rationis.

Itaque, quod se vidisse, aut à testibus omni fide dignis se accepisse affirmant Testes idonei, id credimus: quod autem conjectando opinati sunt, illud pro jure nostro rationi subjicimus.

177. INST. I. Atqui Hominum testimonium etiam locupletissimum fallit: ergo nulla est humani testimonii auctoritas. Probo ant. Locupletissima asseruere testimonia extitisse Deos & Deas, verbi gratia, Jovem, Venerem, Martem, Saturnum, Anubim, aliosque non tot quin plures; & tamen nunquam tales extitere Dii Deæque: ergo testimonium hominum etiam locupletissimum fallit.

RESP. Nego ant. Ad probationem, distinguo antecedens. Et illa testimonia omnibus sunt vestita & munita conditionibus, quæ ad certitudinem stabiliendam requiruntur, nego ant.: & illa testimonia carent requisitis & necessariis conditionibus, ut certitudinem pariant, conc. ant. & nego cons. (163)

I. Deest istis testimoniis inter alias, ultima conditio à nobis requisita: scilicet, ut objectum testimonii nihil in-

*

cludat quod evidenter in se repugnat. Quis enim non videat varia quæ referuntur talium Deorum Dearumque fatigitia, naturæ divinæ essentialiter repugnare? Ergo ruit totum illud de ipsorum divinitate testimonium.

II. Quàm multa sibi essentialiter opposita, sibi evidenter contradicentia, fictitiis illis Numinibus attribuuntur: ita ut ne certum quidem sit, an ad aliquid veritatis & realitatis alludant tales fabulæ; an & quale hominum genus fuerint Dii isti & Deæ istæ, si realem aliquando habuerunt existentiam!

178. INST. II. Nihil auctoritatis defuit humanis testimonis, quæ fabulosa Vampiriorum facta pervulgarunt: ergo nulla inest humanis testimoniis certitudo propriè dicta.

RESP. Nego ant. Tota evanescet in hac re difficultas: si vel levissima adhibeatur attentio, tum ad naturam facti quod refertur, tum ad naturam testimonii factum illud referentis.

I. Quæ sit natura facti Vampirici, pancis accipe. Romanensi & ridicula percrebuit famâ, nostro non ita pridem sæculo, in Hungaria, Bohemia, Silesia, Russia, aliisque quibusdam vicinis Regionibus, humana quædam existere cadavera, quæ *generalem putrefactionis legem* non subirent, fluido in ipsis semper remanente sanguine; & quibus de nocte mos & usus esset, sive per se realiter, sive probabiliùs per ministerium Dæmonum ipsorum figuram assumentium, ex suis exire tumulis, suas adire domos, suos complecti & stringere consanguineos, illorum sugendo sanguinem; donec ipso saturata in suum tumulum reverterentur.

Tali facto ut fides accederet, maxima inesse debuisset, quæ certè nunquam extitit, notorietas & authenticitas.

II. Quæ sit natura testimonii, romanense & ridiculum illud factum contestantis, breviter intellige. Varia pervulgata sunt ipsius in favorem testimonia, quibus præceps aliqua ab Imperitis est adhibita fides, & ingens addita celebritas: quæ testimonia, ubi ad serium rerum examen deventum est, esse deprehensa sunt, partim frivola, partim adulterata, partim supposititia, nullius auctoritatis omnia.

179. OBJ. V. Saltem facta à longo jam tempore præterita non possunt ex hominum testimonio certa fieri: ergo non datur de factis illis omnimoda certitudo. Probo ant. Testimonia quibus facta à longo jam tempore præterita probantur, sunt à nobis valde remota: sed testimonia à nobis valde remota non dant de factis certitudinem: ergo hominum testimonia non dant certitudinem de factis à longo jam tempore præteritis. Probo min. Quantò testimonium aliquod ab origine sua recedit magis, tantò fit in se debilius: ergo etiamsi factum aliquod à longo jam tempore præteritum olim certum fuisset, jam imminuto testimonii pondere, certum non esset. Probo ant. Facta illa ex ore in os transeuntia, alterari docet quotidiana experientia: ergo etiamsi olim certa fuissent, post longum tempus certa esse desinunt.

RESP. Nego ant. Ad probationem, nego min. Ad tertium, nego ant. *Monumenta publica*, & concors cum illis monumentis *Traditio nationalis*, tantum auctoritatis habent; quantum haberent ipsi testes, si vivi & præsentes forent.

Rem exemplo dilucidamus. Fonteneæ pugnæ testes fuerunt ducenta circiter hominum millia. Factum illud ab Historicis Gallis, Germanis, Anglis, Batavis, Italis narratur; dum vivunt ipsi oculati testes. Nemo reclamat: Historicis suffragantur illi ipsi qui pars magna fuere certaminis: historicam facti illius narrationem tanquam veridicam admittunt discrepantes studiis armisque oppositæ Nationes: ecce tibi *Fonteneæ pugnæ monumentum*, quod nulla unquam delebit aut imminuet ætas. Supervenient alii succedentibus ætatibus Historici seu Testes, qui factum illud ex priorum testium auctoritate & ex aliis auritis testibus acceptùm ad ultimam usque Posteritatem deferent: nec post annos mille, certa minùs erit quàm hodie, Fontenea victoria.

Ad quartum, dist. ant. Facta levia, levesque factorum illustrium circumstantiæ, alterantur, conc. ant.: alterantur facta illustria, illustresque & caractaristicæ talium factorum circumstantiæ, præsertim si publicis monumentis suo tempore consignata sint cum suis circumstantiis essentialibus hæc facta, nego ant. & cons. Tam certum est hodie, pugnatum fuisse olim ad Cannas, victoremque fuisse Annibalem, quàm ipsis Annibalis temporibus: licet, leves quasdam istius victoriæ circumstantias hodie ignoremus; quæ fortè eos non latebant, qui iisdem vixere temporibus.

Inter *Monumenta publica* numerabis, publica & legalia Urbium Tabularia; publicos Templorum Codices, publicas Ædificiorum & Numismatum inscriptiones, legalia inter privatos aut inter Nationes Pacta, legalia Imperatorum Diplomata, publica Magistratuum Judicia, contemporaneas Historias quæ nemine reclamante in omnium manibus versabantur, aliaque similia.

180. ADN. Humana illa *Testimonia*, quæ pro objecto habent facta valde sensibilia & illustria, quæ authenticis & publicis sunt consignata monumentis, quæ nationali ubique traditioni nationalibusque quodam modo opinionibus & institutionibus incorporantur: illa inquam testimonia nulli unquam *alterationi* aut *Interpolationi* patent, quibus immutari possit fundamentalis ipsorum natura.

I. Nulli alterationi aut interpolationi patent illa testimonia, primis existentiæ suæ temporibus. Tali enim alterationi aut interpolationi reclamando repugnarent & obsisterent, tum ii qui testimonia illa dederunt, tum ii qui testimonia illa suo suffragio comprobarunt, utrique adhuc existentes & viventes.

II. Nulli essentiali alterationi aut interpolationi patent eadem testimonia; illis temporibus quæ mortem testium aut testibus suffragantium proximè sequuntur. Tali enim alterationi aut interpollationi efficaciter obstaret, tum publica rerum notorietas; tum nationalis traditio, jam omnium animis insita & adhuc origini suæ proxima; tum ea

pars Nationis cujus interest testimonia illa stare penitus incorrupta; ne inde aut aliquid detrimenti ipsa patiatur, aut nimium aliquid utilitatis adversis partibus eveniat.

III. Nulli essentiali alterationi aut interpolationi patent eadem testimonia, sequentibus successivè temporibus. Tali enim alterationi aut interpolationi omnem possibilitatem denegat ipsamet natura Nationis in genere spectatæ: quæ nunquam tota simul perit, sed à se ipsa in dies renasci eadem videtur; quæ ubique veritatis amans & à fraude aliena, acceptas à patribus suis ideas, opiniones, persuasiones, ab ævo in ævum, naturali quodam instinctu propagat; & in qua semper existunt variæ societates aut variæ familiæ quarum maximi interest invigilare ne quid addatur aut detrahatur publicis illis testimoniis, publicis illis monumentis, unde sua pendere jura, suum pendere existendi modum, suam fortè pendere Religionem existimant.

181. OBJ. VI. Quam multa pro certis habentur intet facta historica, quæ unico stant testimonio! Sic unico Moysis testimonio stat mirus ille Maris rubri transitus: sic unico Josue testimonio stat mira illa Solis in iisdem cæli punctis statio; & sic de reliquis.

RESP. Potest unicum interdum testimonium multiplici æquivalere testimonio, & generale alicujus Nationis testimonium repræsentare. Tale est, verbi gratia, allatum Josue testimonium.

Refert & testatur Josue, à se & ab universa sua Natione visum esse Solem in iisdem cæli punctis, per diem integrum. Mirum illud factum consignat ipse in authentica suæ administrationis historia: historiam hanc ut veracem, ut omni fide dignam, admittit & suæ posteritati transmittit defuncto Josue, illa ipsamet Natio quæ dicitur celeberrimi illius miraculi fuisse testis & spectatrix. Quis in unico illo Josue testimonio, non videat & sentiat totius *hebraicæ Nationis testimonium*?

Idem dictum esto de testimonio Moysis, mirabilem

Maris rubri transitum referentis; de testimonio quorumdam Prophetarum in antiqua Lege, quorumdam Apostolorum in nova Lege, relatè ad illustria quædam facta quorum ipsi testes oculati fuerunt; & quorum veritatem generali suo suffragio contestata est, nemine reclamante, aut gens olim hebraica, aut gens subinde christiana.

182. OBJ. VII. Facta historica quibus fundatur Religio, nempe Miracula, non sunt certa; ergo nullam dant Religioni certitudinem. Probo ant. Ut factum aliquod historicum sit certum, debet consonare cum nostris observationibus constantibus: sed Miracula non consonant cum nostris observationibus constantibus, nulla enim videmus ipsi fieri miracula: ergo Miracula non sunt certa.

RESP. Nego ant. Ad probationem, nego maj. Vesanam hanc Critices regulam, à recentiori incredulitate excogitatam, sic sana facile evertit ratio.

I. Certitudo facti quod videtur aut palpatur (sive consonet sive non consonet illud factum cum nostris communibus & constantibus observationibus) unicè pendet à testimonio sensuum ritè dispositorum & adhibitorum. Nam *factum insolitum* non minus est sensibus obvium & proportionatum, non majus aut perfectius requirit in sensibus acumen ut videatur aut palpetur, quàm factum communi rerum ordini annexum.

An melioribus & perspicatioribus opus fuit oculis, ut videretur Lazarus redivivus, quàm ut ante vivus videretur; ut videretur Sol iisdem cœli punctis quasi affixus, quàm ut videretur variis cœli punctis successivè correspondere? Ergo facti alicujus sensibilis certitudini nihil detrahit, quidquid in illo facto insolitum est & mirum.

Imò, quò magis insolitum & stupendum est factum aliquod quod videtur aut palpatur; eò majorem sibi attentionem conciliat; eò majori cura & sollicitudine observatur & examinatur; eò majorem acquirit ab attentiori examine certitudinem.

II. Certitudo facti cujus non sumus ipsi testes, & quod ab alienis accipimus testimoniis, unicè pendet ab auctoritate testium à quibus refertur. Est autem eadem testibus auctoritas, circa factum sensibile quod insolitum & rarum est; & circa factum sensibile quod commune est & vulgare; ut modò demonstravimus. Ergo factum insolitum & mirum, si testimonio referatur supradictis conditionibus munito, non minus certum est; quàm si factum illud communi rerum ordini foret annexum.

183. INST. I. Miracula sunt impossibilia: ergo nulla est certitudo variis quæ narrantur miraculis. Probo ant. Miraculum est manifesta interruptio legis alicujus naturalis, in favorem veritatis aut virtutis facta: juxta ipsam miraculi definitionem (46, 127, 138). Atqui impossibilis est interruptio legum naturalium: ergo impossibile est miraculum. Probo min. Non potest inverti & interrumpi communis rerum ordo, in naturalibus legibus consistens; nisi auctor Naturæ Deus in suis sit consiliis & operationibus inconstans & mutabilis: absurdum & impium consequens, ergo antecedens.

RESP. Nego maj. Ad probationem, concessa majore, nego min. Ad tertium, nego maj. Nullam in Deo inconstantiam, nullam consilii aut operationis mutationem, arguit patratum aliquod miraculum.

Cum altissimis & sapientissimis de causis, generalem aliquam Naturæ legem interrumpit Deus facit aliquid novum nobis, quibus non datur omnia ipsius amplecti & prævidere consilia: non facit aliquid novum sibi, quia ab æterno decrevit tum *generalem Naturæ ordinem*, tum *peculiarem interruptionem* generalis illius Naturæ ordinis pro tali rerum & temporum circunstantia. Unde nec consilium mutat, qui facit dato tempore, quod facere decrevit ab æterno; nec inconstans est: qui initum ab æterno consilium dato tempore exequitur.

Rem in exemplo ponamus. Sancivit ab æterno auc-

tor Naturæ aliquando extituræ Deus, ut intra horas viginti & quatuor, circa axem suum motu æquabili girando, Terra variis suis successivè regionibus mutuaretur à Sole lumen beneficum; & simul ab æterno sancivit ut olim ille interrumperetur rerum ordo, ad vocem rogantis & quasi imperantis ministri sui Josue. Adimpletur tum lex generalis, tum lex peculiaris, utraque à Deo sancita & prædeterminata; ergo non mutat consilium Deus.

Dicamus ergo, *Miracula* quæ testimonio requisitis omnibus conditionibus munito referuntur, tam certa esse vi illius testimonii; quàm certum est quodlibet factum ab historia profana desumptum & eodem testimonio munitum: dicamus proinde, certa esse illa miracula, certitudine ipsi metahpysicæ certitudini aliquatenus æquivalente (162 & 166).

184. INST. II. Si omnem certitudinem habeant, si omni fide digna sint, Miracula quæ à veteri & à novo Testamento referuntur: cur eadem non erit certitudo: cur eadem non debebitur fides, Miraculis quæ referuntur ab historiis profanis, ab historia ecclesiastica, à scripta variorum Sanctorum vita?

RESP. Miracula quæ referuntur à variis variarum Nationum & Religionum historiis, sunt *Facta historica ordinis supernaturalis*, quæ possunt, sicut & facta historica ordinis naturalis, esse vera aut falsa, esse realia aut imaginaria; quæ merentur haberi, vel tanquam certa, vel tanquam fabulosa, vel tamquam suspecta & dubia, pro varietate testimoniorum quibus probantur aut impugnantur, & quæ serio & sagaci semper subjicienda sunt examini.

I. Omnem habent certitudinem, omni fide digna sunt, ea Miracula quæ & à veteri & à novo Testamento referuntur: tum quia humanis pleraque innituntur testimoniis, quibus nulla deest ex fundamentalibus conditionibus unde omnimoda accedit factis quibuscumque historicis certitudo: tum quia aliunde constat & scitur, vetus & novum

Testamentum esse libros à divina emanantes inspiratione, quæ nec falli nec fallere possint.

II. Iisdem credibilitatis motivis non innituntur ea Miracula quæ referuntur in historiis profanis, in historia ecclesiastica, in scripta variorum Sanctorum vita, unde non eandem habent certitudinem, non eandem merentur fidem.

De factis istis insolitis judicabis, si Philosophus & Criticus es, sicut de omni facto ordinis communis. Unde, *pro certis* habebis ea Miracula, quæ muniuntur testimoniis ad omnem certitudinem pariendam idoneis; *pro verisimilibus* ea quæ à testimoniis sibi faventibus ingentem quidem, sed tamen subdubiam veritatis apparentiam accipiunt; *pro dubiis*, ea quæ paribus circiter rationum momentis existentiam suam probant & impugnant: *pro fabulosis*, ea quæ nullam videntur habere destinationem sapienti Naturæ & Religionis auctore Deo dignam; & quorum realitas nulla sufficiente auctoritate certa fit.

185. OBJ. VIII. Ut testimonium hominum infallibilem det nobis de objecto suo certitudinem; opus est ut constet nobis munitum esse recensitis supra conditionibus illud testimonium: impossibile consequens, ergo & antecedens. Probo min. Recensitas inter conditiones numerantur *gravitas* & *integritas* testium: sed nunquam potest constare nobis gravitas & integritas testium: ergo nunquam constare potest nobis, munitum esse recensitis conditionibus hominum testimonium. Probo min. Possunt testes gravitatem & integritatem simulare, ut mendacio suffragentur: ergo nunquam constare potest nobis testium gravitas & integritas.

RESP. Conc. maj. & nego min. Ad probationem, nego min. Ad tertium, dist. ant. Possunt *testes aliqui* integritatem & gravitatem simulare, ut mendacio suffragentur; cum ipsis utile potest esse mendacium, conc. ant.: potest *ingens testium numerus, ex variis ordinibus desumptus*, integritatem & gravitatem simulare, ut mendacio suffragetur; cum evidens est ipsis nullatenus utile esse posse mendacium, nego ant. & cons.

*

I. Sola vis veritatis, ut supra demonstravimus, ingentem testium multitudinem, educatione, studiis, moribus, ambitione, opinionibusque diversam, potest ad unanime suffragium circa factum aliquod sensibile & illustre pertrahere: quia solus veritatis amor potest esse commune tali multitudini motivum, ut aliquid unanimiter neget aut affirmet (164).

II. Graves & integri censendi sunt testes, cum nihil apparet, tum in ipsorum persona, tum in ipsorum narratione, cur in dubium vocetur ipsorum gravitas & integritas.

Suspecta tibi erit *testis persona*: si sit criminibus infamis; si mendax in aliis deprehensus; si rei ignarus; si pravo donatus judicio; si ipsius intersit vitiare aut dissimulare veritatem.

Suspecta tibi erit *testis narratio*: si minus bene sibi constent variæ narrationis partes; si res narrentur, quæ nec naturali nec supernaturali rerum ordini quadrent; si facta quæ in medium proferuntur, aliorum fide dignorum testium narrationi non consensiant.

186. OBJ. IX. Si tot ac tantæ requiruntur conditiones, ad certitudinem moralem stabiliendam; jam nulla ferè erit *moralis certitudo*: falsum consequens, ergo & ant. Patet major: quàm pauca enim facta tam firmo constant testimonio, quàm requisivimus! Patet etiam minor: quàm multa enim ut certa habentur à viris prudentissimis, quæ tanta non muniuntur auctoritate, quanta à nobis exigitur!

RESP. Nego maj. Quam multa enim facta historica constant nobis testimonio, omnibus requisitis conditionibus munito! (163).

I. Sic inter facta à profanis historiis desumpta, omnimoda certitudine certum est, existere varias Urbes & varia Imperia quæ in Europa, in Asia, in Africa, in America existere referuntur; extitisse olim Alexandrum, Demosthenem, Socratem, Platonem, Cæsarem, Virgilium, Ciceronem, Plinium; regnasse ultimo & præsenti sæculo in Gallia, Ludovicum bello & pace & religione magnum; & alia hujusmodi innumera.

II. Sic inter facta in novo Testamento consignata, omnimoda certitudine certa est *Christi Resurrectio*; quæ per dies quadraginta, plus quingentis testibus oculatis & auritis manifestata fuit: quæ aliquot post annis, in publicas & authenticas abiit historias, à quibusdam ex oculatis illis & auritis testibus scriptas, cæterorum suffragio & veneratione confirmatas: quæ, ab iisdem plus quingentis testibus oculatis & auritis Orbi propè universo dum nuntiatur, rei veritatem confirmantibus Miraculis, confirmante & quasi sigillante testium martyrio, ab aliis successivè excepta est auritis testibus; & crescente in dies testium multitudine, ad nostra usque tempora, fideli & non interrupta traditione, delata & propagata est.

III. Sic inter facta in veteri Testamento consignata, omnimoda certitudine certa sunt *pleraque Moysis miracula*; quæ spectante universa Natione hebraica peracta sunt: quæ ab ipso auctore Moyse in publica & authentica consignata sunt historia: quæ ab omni illa Hebraica natione tanquam vera & indubitata semper habita sunt; & ab ævo in ævum nemine reclamante, perenni traditione suffragante, ad nos usque fideliter transmissa. (180)

187. ADN. Certitudo moralis potest major aut minor esse: prout majus aut minus est motivum quo paritur illa certitudo. Varios quosdam *moralis certitudinis gradus* hîc subjicimus.

I. Summa erit certitudo moralis, & ipsi certitudini metaphysicæ non impar: si fundetur illa testimonio requisitis omnibus suprà conditionibus munito. Huic certitudini assensum nemo denegat, nisi insanus sit aut improbus. Falluntur aut fallere intendunt, qui certitudinem hanc suo spoliare nomine certant, & ad meram probabilitatis aut verisimilitudinis classem reducere.

II. Minor est, sed tamen valde notabilis, & apud viros prudentes indubitata ea certitudo, quæ fundatur testimo-

nio trium quatuorve historicorum asserentium se rem vidisse, aut à testibus oculatis & idoneis audiisse: si factum quod affirmatur, sit in se valde sensibile; si historici illi sint notæ probitatis & sagacitatis; si denique in ipsorum utilitatem non cedat, id quod asseritur.

III. Non minùs firma & indubitata est ea certitudo, quæ fundatur testimonio virorum doctorum & in arte sua peritorum; si factum aliquod ab illis uniformiter referatur: licet factum illud minùs sit in se sensibile, & ingens deposcat acumen ingenii, ut rectè observetur & dignoscatur. Sic physica Experimenta & astronomicæ Observationes, quæ in illustribus fiunt Academiis, eum certitudinis gradum habent, qui ipsis uniformiter attribuitur.

IV. Tanta est unius interdum viri probi & prudentis auctoritas, ut ipsa sola possit aliquando moralem fundare certitudinem quæ omne dubium excludat. Talis foret certitudo facti alicujus, quod ipsissimis se vidisse oculis publicè profiteretur & testaretur aliquis summæ auctoritatis & primæ notæ vir.

188. OBJ. X. Præter quadruplicem certitudinis fontem à nobis assignatum, datur duplex alius certitudinis fons à prioribus distinctus; nempe *divina Revelatio*, & *Persuasiones quædam naturales* à sensibus & à cupiditatibus independentes: ergo falsò assertum est olim humanam omnem certitudinem emanare aut à testimonio sensus intimi, aut à testimonio idearum, aut à testimonio sensuum, aut à testimonio hominum. (28)

RESP. Nego ant. Unum aliquod ex quatuor assignatis certitudinis motivis habere necessariò debet mens humana, quotiescumque de rebus certum fert judicium: ut jam abunde liquet, ex iis omnibus quæ totus iste exhibet tractatus.

Unde certa fiat nobis divina Revelatio, unde suam trahant certitudinem naturales quædam Persuasiones, à sensibus & à cupiditatibus independentes, dum paucis explicamus & demonstramus: facilè intelligetur & sentietur *duplicem hunc certitudinis fontem* non esse distinctum à generalibus quatuor certitudinis fontibus superiùs assignatis.

CERTITUDO DIVINÆ REVELATIONIS.

189. OBS. Divina Revelatio est supernaturalis manifestatio quarumdam veritatum humanæ intelligentiæ inaccessarum. Verbi gratia, divina Revelatione nobis innotuit, *Verbum divinum* humanæ naturæ fuisse unitum, ut inde humanum redimeretur genus: quam facti veritatem nunquam potuisset assequi naturali suæ relicta sagacitati humana mens.

Porrò, non alio modo concipitur posse nobis communicari, posse nobis certa fieri divina Revelatio; quàm vel per Sensum intimum, vel per Ideas, vel per ministerium Sensuum, vel per testimonium Hominum.

I. Per testimonium Sensûs intimi, nobis manifestaretur nobisque certa fieret divina Revelatio: si divina revelantis Dei operatio ita nostram afficeret animam, ut in ipsâ sentiretur cum revelatâ veritate revelans Deus; ut ab illo intimo revelantis Dei & revelatæ veritatis sensu, liceret nobis indubitanter exclamare: Deus, ecce Deus! Sic manifestatam fuisse olim quibusdam Prophetis divinam Revelationem, non impossibile est, non improbabile.

II. Per testimonium Idearum multis Prophetis manifestata est divina Revelatio: quando in ipsis efformavit Deus ideas & imagines Veritatum supernaturalium repræsentativas; ita ut illæ ideæ & imagines necessariam importare connexionem intelligerentur, cum rebus supernaturaliter revelatis.

III. Per testimonium Sensuum manifestata est Moysi & omni Genti hebraicæ divina Revelatio: quando vidit & audiit in Monte Sinâ omnis hebraïca Gens, celeberrima illa Miracula quæ Legem divinam divinamque Revelationem comitabantur & æterno Divinitatis sigillo consecrabant.

IV. Per testimonium Hominum divina manifestatur

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

nobis Revelatio: nobis, inquam, quos authenticæ Historiæ, quos generalis Traditio cum illis concors historiis, quos immensa Martyrum nubes, quos spectabilia mille in Orbe universo Monumenta, quos ipsimet Judeorum & Christianorum usus & mores omnimoda certitudine certos faciunt factam fuisse, tum temporibus Moysis, tum temporibus Jesu Nazareni, divinam Revelationem, qualis in sacris refertur Paginis.

Ubi verò innotuit nobis factam esse aliquam à Deo Revelationnem: jam per unicum Idearum testimonium certi fimus, id omne esse verum, quod à Deo falli & fallere nescio est revelatum. Unde, à secundo certitudinis fonte, scilicet à testimonio Idearum, tota pendet hæc Revelationis certitudo.

NATURALES QUÆDAM PERSUASIONES.

190. OBS. Existunt *naturales quædam persuasiones*, humanæ ubique Speciei communes, quarum objectum est à sensibus & à cupiditatibus independens, & quæ certam & indubitatam facere videntur objecti sui existentiam. At undenam certum est nobis, ab illis persuasionibus eam oriri certitudinem quam inde deducimus? Certum nobis fit illud, per ipsum Idearum testimonium (69).

Verbi gratia, quo motivo certo & infallibili nixus affirmabis, ex *generali hominum persuasione* de existentia Entis alicujus supremi, de necessitate alicujus cultus & legis, de distinctione virtutis & vitii, de veritate alterius post mortem vitæ, rectè deduci & inferri illorum realitatem objectorum? Id afirmabis certo & infallibili idearum testimonio nixus; nec aliud certum tuæ assertionis motivum ullum invenies.

Facillè intelligis & concipis non posse ab ullo alio principio, in homines emanasse *generalem aliquem cogitandi & judicandi modum*, nisi ab ipso Naturæ auctore Deo; & auctorem Naturæ Deum non potuisse hominibus dare generalem aliquem cogitandi modum, quo in errorem mendaciumque ubique inclinentur & pertrahantur: nisi sit ipse, quod ipsum esse essentialiter repugnat, erroris & mendacii auctor & approbator Deus.

Facilè intelligis & concipis, in vario illo & instabili Idearum & Judiciorum conflictu, quo ubique à se ipsa discrepat & dissidet Species humana, id ab ipso Naturæ illius auctore Deo emanare debere, quod in ipsa est *invariabile in genere idearum & judiciorum*; & à Deo non posse in naturam humanam emanare aliquid, quo perenniter in errorem & in mendacium ubique pertrahatur omnis humana gens.

191. CONCLUSIO. Hactenus varia *humanæ certitudinis* fundamina exploravimus; & explorando, certa & inconcussa esse demonstravimus.

Sentiet olim recens Philosophiæ Alumnus, se utilem posuisse operam, se rem magnam & arduam præstitisse; si fundamentalem hunc tractatum, quo sternendum sibi est ad altiores omnes Scientias iter, menti suæ profundiùs impresserit: si quod cæco quodam instinctu Vulgi de more sciebat, illud philosophicis rationibus dilucidare & dilucidando firmare didicerit.

Philosophi est, non modò Scientiam & Certitudinem habere, sed etiam suæ tum scientiæ, tum certitudinis rationes reddere: quod Philosophum ab imperita Plebe secernit.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nobis Revelatio: nobis, inquam, quos authenticæ Historiæ, quos generalis Traditio cum illis concors historiis, quos immensa Martyrum nubes, quos spectabilia mille in Orbe universo Monumenta, quos ipsimet Judeorum & Christianorum usus & mores omnimoda certitudine certos faciunt factam fuisse, tum temporibus Moysis, tum temporibus Jesu Nazareni, divinam Revelationem, qualis in sacris refertur Paginis.

Ubi verò innotuit nobis factam esse aliquam à Deo Revelationnem: jam per unicum Idearum testimonium certi fimus, id omne esse verum, quod à Deo falli & fallere nescio est revelatum. Unde, à secundo certitudinis fonte, scilicet à testimonio Idearum, tota pendet hæc Revelationis certitudo.

NATURALES QUÆDAM PERSUASIONES.

190. OBS. Existunt *naturales quædam persuasiones*, humanæ ubique Speciei communes, quarum objectum est à sensibus & à cupiditatibus independens, & quæ certam & indubitatam facere videntur objecti sui existentiam. At undenam certum est nobis, ab illis persuasionibus eam oriri certitudinem quam inde deducimus? Certum nobis fit illud, per ipsum Idearum testimonium (69).

Verbi gratia, quo motivo certo & infallibili nixus affirmabis, ex *generali hominum persuasione* de existentia Entis alicujus supremi, de necessitate alicujus cultus & legis, de distinctione virtutis & vitii, de veritate alterius post mortem vitæ, rectè deduci & inferri illorum realitatem objectorum? Id afirmabis certo & infallibili idearum testimonio nixus; nec aliud certum tuæ assertionis motivum ullum invenies.

Facillè intelligis & concipis non posse ab ullo alio principio, in homines emanasse *generalem aliquem cogitandi & judicandi modum*, nisi ab ipso Naturæ auctore Deo; & auctorem Naturæ Deum non potuisse hominibus dare generalem aliquem cogitandi modum, quo in errorem mendaciumque ubique inclinentur & pertrahantur: nisi sit ipse, quod ipsum esse essentialiter repugnat, erroris & mendacii auctor & approbator Deus.

Facilè intelligis & concipis, in vario illo & instabili Idearum & Judiciorum conflictu, quo ubique à se ipsa discrepat & dissidet Species humana, id ab ipso Naturæ illius auctore Deo emanare debere, quod in ipsa est *invariabile in genere idearum & judiciorum*; & à Deo non posse in naturam humanam emanare aliquid, quo perenniter in errorem & in mendacium ubique pertrahatur omnis humana gens.

191. CONCLUSIO. Hactenus varia *humanæ certitudinis* fundamina exploravimus; & explorando, certa & inconcussa esse demonstravimus.

Sentiet olim recens Philosophiæ Alumnus, se utilem posuisse operam, se rem magnam & arduam præstitisse; si fundamentalem hunc tractatum, quo sternendum sibi est ad altiores omnes Scientias iter, menti suæ profundiùs impresserit: si quod cæco quodam instinctu Vulgi de more sciebat, illud philosophicis rationibus dilucidare & dilucidando firmare didicerit.

Philosophi est, non modò Scientiam & Certitudinem habere, sed etiam suæ tum scientiæ, tum certitudinis rationes reddere: quod Philosophum ab imperita Plebe secernit.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

INSTITUTIONUM
PHILOSOPHICARUM
TRACTATUS SECUNDUS.

DE DIALECTICA.

192. DEFINITIO. Dialectica, seu Logica præceptrix, est *Scientia Ratiocinii directiva*. Cum autem sine perceptionibus & judiciis existere non possit ratiocinium: ut finem suum assequatur Dialectica: necesse est ab ipsa etiam dirigi & Perceptionem & Judicium, in ordine ad Ratiocinium. Hinc præcipuum & primarium ejus objectum est Ratiocinium; objectum verò totale, sunt variæ Intellectus humani Operationes in ordine ad Ratiocinium spectatæ. (101 & 109).

Ut autem finem hunc suum obtineat Dialectica: generales quasdam tradit & demonstrat *Regulas*, tum circa Perceptiones, tum circa Propositiones, tum circa Syllogismos; quibus irradietur & regatur in nobis Logica naturalis, seu naturalis illa ratiocinandi Facultas quam inesse nobis, magis minùsve perfectam, sensu experimentali docemur.

I. *Logica naturalis* nihil aliud est quàm ipsum sanæ Rationis lumen, per quod verum á falso secernimus, unum cum alio comparamus, duorum identitatem aut alteritatem deprehendimus, unum ab alio inferimus; uno verbo, per quod, Natura duce, ratiocinamur (12).

II. *Logica præceptrix*, seu Dialectica, est quædam collectio Regularum scientificè demonstratarum, quas procudit nobis sagax Naturæ observatio, & quibus in ratiocinando indefectibiliter dirigimur.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
ALERE FLAMMAM VERITATIS
UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

Observavit scilicet Philosophia, *quam Viam* teneret humana mens; dùm, solo ipsi prælucente Naturæ instinctu, recta eliceret ratiocinia, quibus ad indagatam veritatem certò & indefectibiliter perveniret; & hanc viam tenendam præscripsit, & præscibendo certam esse & infallibilem demonstravit. Unde duo nobis patta fuere in indagatione veritatis utilissima: nempe, quænam sit *via tuta & certa* ad indagandam veritatem, & cur via illa tutò & certò ad veritatem deducat.

Varias illas *Dialecticæ Regulas*, primus ab attenta & sagaci Naturæ observatione eduxit, primus rationibus à subtilissima simul & profundissima Metaphysica petitis demonstravit, vir ingenio nulli secundus, Aristoteles: naturali ratiocinandi instinctu in *Artem scientificam* utiliter converso.

Logicæ præceptrici præfuit Logica naturalis: Logicam naturalem regit & perficit Logica præceptrix. Artis simul & Naturæ felicem partum esse oportet communiter præcellentem Dialecticum, sicut & præcellentem Oratorem aut præcellentem Musicum aut præcellentem Pictorem; ut nemo ignorat: quidquid in contrarium obloquantur & effutiant recentiores quidam Dialecticæ Detractores.

III. *Logica disputatrix* est quædam collectio quæstionum parùm utilium, ad tres mentis Operationes spectantium, de quibus acriter disputari solebat olim inter Logicos: tum ut acueretur ipsorum ingenium; tum ut meliùs innotescerent ipsis varia Logicæ objecta, varia Logicæ præcepta.

Verùm, plerasque illas quæstiones è sinu suo jamdiu expulit recentior Philosophia, temporis utiliùs impendendi sapienter avara.

VARIÆ INTELLECTUS OPERATIONES.

193. OBS. I. Sensu nobis experimentali constat, inesse Animæ nostræ facultatem quasi duplicem relatè ad objecta cognoscibilia: scilicet, *Facultatem merè intellectivam*, qua in objectum suum apprehensum ita fertur, ut ipsum precisè intueatur, ut in mera illius contemplatione hæreat; & *Facultatem affectivam*, qua in objectum suum apprehensum ita fertur, ut ab illius intuitu & contemplatione inclinetur ad illud appetendum ut sibi bonum, aut illud fugiendum ut sibi malum.

Suam simul functionem circa idem objectum exercet interdum duplex illa Facultas; verbi gratia, quando expendit Anima an objectum sui amoris aut sui odii sit illo amore aut illo odio dignum: plerumque tamen diversum est utrique objectum.

Ex duabus illis Animæ humanæ in se simplicissimæ Facultatibus, prior vocatur *Intellectus*, posterior *Voluntas* nuncupatur: priorem regit Dialectica, de qua hic agitur; posteriorem regit Moralis, de qua subinde agetur.

194. OBS. II. Intellectus humani quadruplex est functio & operatio: res percipit, de rebus judicat, de rebus ratiocinatur; res inter se ordinat.

I. *Res percipere* dicitur Intellectus: cum rerum habet, aut meram ideam, aut meram sensationem, aut merum sensum; sine ullo de rebus illis judicio aut ratiocinio. Ecce tibi primam Intellectus operationem.

Idea est perceptio & imago alicujus objecti, à ministerio sensuum plerumque independens; relativa ad rerum essentiam, non verò ad rerum existentiam (58, 59, 69, 143).

Sensatio est perceptio aut apprehensio alicujus objecti, dependens ab actuali ministerio sensuum exteriorum in quibus illud objectum facit aliquam impressionem, & Sensuum internorum qui acceptam hanc impressionem utcumque communicant animæ. Hæc rerum perceptio relativa est, tum ad existentiam objecti organa actù afficientis, tum ad existentiam organorum in animam actù agentium (113, 129, 131, 145).

Sensus ab Idea & Sensatione distinctus (le sentiment) est perceptio aut apprehensio objecti per quam anima gratam aliquam aut ingratam experitur affectionem, depen-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN © DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

denter ab actuali ministerio Sensuum duntaxat internorum. Talis est affectio doloris quæ in anima matris excitatur, ex nuntiata ipsi filii sui morte.

II. *De rebus judicare* dicitur Intellectus: quando comparatis inter se duabus perceptionibus suis, affirmat aut negat objectum unius esse idem ac objectum alterius.

Illa Intellectus actio, intellectualis illa affirmatio aut negatio, *Judicium* nuncupatur: quod judicium, sive verum, sive falsum, ubi extra animam prodit, *Propositio* vocatur. Ecce tibi secundam Intellectus operationem.

III. *De rebus ratiocinari* dicitur Intellectus; ubi ex duobus judiciis tertium extrahit judicium. Verbi gratia, sint duo ista judicia (altitudo talis ædificii est viginti exapedarum, altitudo talis alterius ædificii est decem exapedarum). Si ex duobus istis judiciis tertium istud extraxero judicium (*ergo prior altitudo est duplò major posteriore*): tertium istud judicium, quatenus ex duobus prioribus eductum, erit *Ratiocinium*. Tertiam hanc Intellectus humani functionem esse præcedentibus excellentiorem, per se satis patet.

IV. *Res inter se ordinare* dicitur Intellectus: ubi quamdam perceptionum aut judiciorum aut ratiociniorum seriem ita solerter & potenter inter se disponit & annectit; ut inde exurgat felix aliqua Operis Summa, quæ veritati indagandæ aut demonstrandæ sit maximoperè idonea.

Circa quartam hanc Intellectus operationem, cui nomen est *Methodus*, & quæ tota pendet à naturali ingenii sagacitate, nullæ traduntur à Dialectica speciales regulæ quæ spectent ad Metaphysicam: licet quædam possint tradi quæ spectent ad Mathesim, & quæ Mathematicis communiter relinquuntur tradendæ.

Quadruplicem hanc Operationum speciem, quadruplex sibi vindicabit quæstio: unde totam successivè Dialecticam hauries; unde secundi istius Tractatus & objectum & divisionem habebis.

DIALECTICÆ FINIS ET UTILITAS.

195. OBS. Duplex est Logicæ præceptrici seu Dialecticæ finis: alius immediatus, alius mediatus.

I. Finis Dialecticæ immediatus est perfectio operationum Intellectus humani; seu rectitudo in illas operationes inducenda.

Finis Dialecticæ mediatus est indagatio veritatis: ad quam facilius & certius sternitur iter, per rectas illas Intellectus operationes.

II. Prior finis est propriè finis Dialecticæ, quæ illo obtento quiescit. Posterior finis est propriè finis Dialectici, qui omnimodam suis & perceptionibus & judiciis & ratiociniis perfectionem infundere non alio fine conatur; nisi ut inde sibi fiat medium ad veritatem indagandam efficacissimum simul & certissimum.

III. Eò igitur tota tendit Dialectica, ut certitudinem in nostra ratiocinia, veritatem in nostra judicia, claritatem in omnes nostras ideas, rectitudinem in omnes Intellectus nostri operationes inducat. Atque inde intelliges, quanta sit ipsius utilitas.

Institutionibus quibuscumque philosophicis, quarum pars satis magna non erit Dialectica, id omne vitii semper inerit; quod in cæca Epicuri Philosophia reprehendit optimus in hac parte rerum Judex, Orator & Philosophus Romanus. „ Jam verò in altera Philosophiæ parte, „ quæ est quærendi ac disserendi, quæ Logica dicitur: Iste vester planè, ut mihi quidem videtur, inermis ac nu„ dus est. Tollit Definitiones: nihil de dividendo ac par„ tiendo docet. Non quomodo efficiatur concludaturque „ Ratio (un Raisonnement), tradit: non qua via, captiosa „ solvantur, ambigua distinguantur, ostendit. Judicia re„ rum, in Sensibus ponit: quibus si semel aliquid falsi „ pro vero probatum sit sublatum omne juditium Veri & „ Falsi putat. " *Cicero, Libro primo de Finibus.*

QUÆSTIO PRIMA.

DE PERCEPTIONIBUS.

196. OBS. Nihil aliud est *Perceptio*, nisi aut idea, aut sensatio, aut sensus aliquis ab utraque distinctus: ut modò observabamus. (194)

I. In eò consistit *danda Perceptionibus rectitudo*, ut plus minusve habeant extensionis aut restrictionis. Rem dignoscendam aut manifestandam nimis confundit perceptio nimis generalis: rem eamdem non exhibet totam perceptio nimis restricta. Justum assumere medium, inter nimiam extensionem & nimiam restrictionem perceptionis, docet Dialectica.

Inde intelliges eas solas Dialecticæ regulis patere Perceptiones, quæ consistunt in ideis, aut quas comitantur ideæ (113 & 143). Majorem enim aut minorem extensionem dare iis perceptionibus quæ consistunt in mera sensatione aut in mero sensu, non penes est Dialecticam: ut propria constat nobis experientia.

II. Inter Ideas rerum repræsentativas, aliæ *plus Comprehensionis* habent, aliæ *plus Extensionis*. Plus comprehensionis habent illæ ideæ, quæ plura in se attributa continent: plus extensionis illæ habent, quæ ad plura objecta referuntur, aut quæ possunt de pluribus objectis prædicari. Verbi gratia, ex quinque ideis objectivis, quas hîc in quadam gradatione metaphysica positas & ordinatas vides:

Plus comprehensionis inest ideæ Hominis, quàm ideæ animalis; ideæ Animalis, quàm ideæ viventis; ideæ Viventis, quàm ideæ substantiæ; ideæ Substantiæ, quàm ideæ Entis: quia quidquid attributorum continetur in idea superiore & magis generali, illud continetur etiam in idea inferiore & magis restricta.

Ens:
Substantia:
Vivens:
Animal:
Homo:

Contrà, minus extensionis inest ideæ Hominis, quàm ideæ animalis; ideæ Animalis, quàm ideæ viventis; ideæ Viventis, quàm ideæ substantiæ; ideæ Substantiæ, quàm ideæ Entis: quia terminus quilibet superior & universalior potest affirmari de termino inferiore & minus universali; dum inferior de superiore non potest affirmari. Dici enim potest, homo est animal, est vivens, est substantia, est ens: licet dici non possit, ens est substantia, est vivens, est animal, est homo.

III. Objecta idearum, à Dialecticis vocantur *Termini*: quia ideas terminant.

Terminus omnium patentissimus & universalissimus est terminus *Entis*: qui convenit omni rei existenti aut possibili, substantiæ & modificationi.

Terminus *Substantiæ*, est patentior & universalior quàm terminus Viventis: quia prior convenit innumeris substantiis nullam vitam habentibus.

Terminus *Viventis*, est patentior & universalior quàm terminus Animalis: quia prior convenit innumeris plantis, in quibus vitalis observatur natura, & in quibus animalis nullus deprehenditur Sensus.

Terminus *Animalis*, est patentior & universalior quàm terminus Hominis: quia prior convenit brutis simul & hominibus; dum posterior solis hominibus convenit.

IV. Inter Perceptiones, aliæ vocantur *Termini primæ intentionis*; aliæ nuncupantur *Termini secundæ intentionis*.

Terminus primæ intentionis, est ipsamet res quæ percipitur, considerata juxta naturam suam, & juxta primum mentis nostræ intuitum. Verbi gratia, Homo, quatenus est animal rationale, est *terminus primæ intentionis*.

Terminus secundæ intentionis, est res quæ percipitur, considerata, non juxta suam naturam, sed juxta functionem aliquam ipsi extrinsecam, quam illi dant nostræ ideæ. Verbi gratia, Homo, quatenus est vox latina, quatenus est nomen tertiæ declinationis, quatenus est subjectum alicujus propositionis, quatenus est medius terminus alicujus syllogismi, est *terminus secundæ intentionis*.

V. A recta rerum definitione & divisione, cum summoperè pendeant omnes Scientiæ: decuit & oportuit primis Dialecticæ institutionibus & regulis objectum esse Definitionem & Divisionem. Ad utramque hanc Intellectûs humani functionem spectat, quidquid præcipiendum habet Dialectica circa Percéptiones.

ARTICULUS PRIOR.

DE DEFINITIONE.

197, OBS. Quidquid potest definiri, vel est aliqua res, vel est vox quædam rem aliquam significans. Unde, duplex est definitio: alia nominis, alia rei.

I. *Definitio Nominis*, est accurata determinatio & clara explicatio significationis quæ attribuitur alicui voci aut nomini. Summæ utilitatis aut necessitatis est hæc definitionis species, in quæstionibus ad Mores aut ad Religionem pertinentibus: ubi vox eadem, idem nomen, in sensus penitus diversos interdum accipitur à diversis Nationibus aut à diversis ejusdem nationis Societatibus.

II. *Definitio Rei*, est idea aliqua aut aliqua idearum series, qua exprimitur & dilucidatur, qua menti clariùs repræsentatur & manifestatur, rei alicujus natura: seu est oratio Rei definiendæ naturam ita exprimens & explicans; ut inde ab omni alia re penitus discriminetur, & in se ipsa possibili omni lumine irradietur, illa Rei definitæ natura.

III. Utrique huic Definitioni, tum nominis, tum rei, essentiale est ut simul & *clara* & *brevis* sit.

Si Definitio non fuerit clara & ipso clarior Definito; ab essentiali sua destinatione deficit: vana est & inepta.

Si Definitio non fuerit brevis; nec facilè percipitur, nec facilè retinetur: ab eadem essentiali sua destinatione deficit. Erit autem realiter brevis definitio, quamvis multiplicibus & ideis & verbis expressa; si nihil in ipsa sit redundans & superfluum: juxta poëticum simul & philosophicum istud Adagium; *non sunt longa, quibus nihil est quod demere possis.*

De ipsa Rei definitione præcipuè agitur in sequentibus quatuor Dialecticæ regulis, quas breviter & explicare & domonstrare aggredimur.

DEFINITIONIS REGULÆ.

198. REGULA I. *Convenire debet Definitio, & omni & soli Rei definiendæ.*

DEMONSTRATIO. Cum essentiale sit Definitioni, ut per ipsam meliùs & perfectiùs cognoscatur res definienda. (197)

I. Si Definitio non conveniat omni rei definiendæ; rem malè notam faciet, ipsam detruncando: quippe quæ non exhibebit in re, aliquid quod est vera pars rei.

II. Si Definitio non conveniat soli rei definiendæ; rem malè notam iterum faciet, ipsam fabulosè componendo: quippe quæ exhibebit in re, aliquid quod nullatenus est rei. Ergo & omni & soli rei definiendæ convenire oportet Definitionem. Q. E. D.

199. REG. II. *Debet Definitio esse convertibilis cum Definito: ita ut in ipsa subjectum possit fieri attributum.*

DEM. Ex eo quòd Definitio conveniat & omni & soli Definito, sequitur Definitionem esse convertibilem cum Definito; id est, sequitur definitionem posse fieri subjectum propositionis, & Definitum fieri posse ejusdem propositionis attributum: ut cuilibet attendenti res per seipsam patebit.

Sic convertuntur istæ definitiones (Homo est animal rationale, Deus est Ens infinitè perfectum, Triangulus est figura constans tribus angulis & lateribus). Dici potest enim, animal rationale est Homo; Ens infinitum est Deus; figura constans tribus angulis & lateribus est Triangulus.

*

In his definitionibus rectis, objectum prioris ideæ, & objectum ideæ posterioris, sunt unum & idem objectum, modò clariùs modò confusiùs exhibitum. Unum autem & idem objectum potest de seipso affirmari: sive sit objectum, sive sit attributum propositionis. Q. E. D.

200. REG. III. *Debet Definitio Rem definiendam exprimere, tum per communes, tum per specificas ipsius proprietates: ita ut constet genere proximo & differentia ultima.*

DEM. I. Cum Res definienda constet, & proprietatibus quæ sunt ipsi communes cum aliis multis rebus, & proprietatibus quæ sunt ipsi soli propriæ: ut rem totam & solam exhibeat definitio, oportet ab ipsa exhiberi utrasque illas proprietates.

II. Cum in ideis minùs generalibus includatur id omne quod includunt ideæ generaliores (196): ad exprimendas rei definiendæ proprietates, assumi debet idea generalis quæ rem non confundat cum aliis rebus, nisi quantùm necesse est ipsam confundi, quæque ita erit *Genus proximum*; & ad exprimendas proprietates ejusdem rei specificas, assumi debet idea differentialis quæ rem discriminet ab aliis rebus, quantùm discriminari potest, quæque ita erit *Differentia ultima.*

III. Per genus proximum & per differentiam ultimam exhibebitur res definienda, secundùm id omne quod ipsa est, & quantùm potest ipsa exhiberi. Ergo inde exurget definitio, quæ omnem suam destinationem adimpleat, quæque proinde recta sit & legitima. Q. E. D.

201. REG. IV. *Debet Definitio Rem definiendam exprimere per proprietates rei positivas; & negativas ejus proprietates in medium non proferre, nisi quatenus necessariæ illæ forent ad manifestandam & specificandam rei ipsius naturam.*

DEM. I. In eo consistit Definitionis destinatio & natura, ut rem definiendam menti exhibeat & manifestet. Ut

autem finem hunc suum assequatur Definitio; necesse est ab ipsa exhiberi & manifestari proprietates rei positivas, quibus constituitur ipsamet rei natura: quæ natura nullatenus exhiberetur & manifestaretur, si solæ rei proprietates negativæ in medium proferrentur. Dicere enim quid res non sit, non est explicare & manifestare quid sit res. Hinc illegitimæ & ineptæ forent istæ definitiones: Creaturæ non sunt Deus; Brutum non est animal rationale; Triangulus non est circulus, non est ellipsis, non est parabola.

II. Non tamen illegitima erit Definitio, si quando rem definiat, tum per proprietates positivas, tum per proprietates negativas: ut aliquando res definiri debet; scilicet, cum ultima Rei definiendæ differentia consistit in aliquo negativo, per quod limitantur & specificantur positivæ ipsius proprietates. Sic recta & legitima est hæc definitio, *Brutum est animal irrationale*: quia, licet explicet naturam Bruti per negationem rationalitatis, quæ negatio constituit & specificat negativè bruti essentiam; explicat etiam eamdem bruti naturam per aliquid positivum, nempe, per animalitatem, seu per facultatem sentiendi, in qua consistit positivè bruti essentia. Q. E. D.

202. ADN. I. Definitio Rei, alia est physica, alia verò metaphysica.

I. *Definitio Rei physica* est ea quæ fit per expressionem & enumerationem partium physicarum & essentialium quibus componitur res definienda: si res illa physicis componatur partibus.

Verbi gratia, si dicas *Homo constat corpore organico & anima spirituali*; dabis physicam hominis definitionem: quia exprimit & exhibet hæc definitio, partes physicas quibus essentialiter constituitur homo.

II. *Definitio Rei metaphysica* est ea quæ fit per expressionem & enumerationem proprietatum rei essentialium, sub ideis genericis & differentialibus spectatarum.

Verbi gratia, ex eo quod experientia & observatione tibi constet, Homini naturale esse, ut experiatur sensa-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tiones, per quas confunditur cum brutis; & eliciat ratiocinia, per quæ à brutis secernitur: si hominem definias *animal rationale*, seu principium sentiendi & ratiocinandi capax, metaphysicam hominis definitionem dabis.

Utraque hæc Definitionis species, scilicet definitio rei physica & definitio rei metaphysica, est definitio essentialis: quia ejus objectum est ipsamet rei definiendæ essentia, sub diverso respectu spectata (43).

203. ADN. II. *Descriptio* est uberior quædam explicatio, qua Rei describendæ exhibetur & manifestatur natura, tum per varia principia quibus constituitur, tum per varias causas à quibus producitur, tum per varios usus ad quos adhibetur, tum per varia figuræ & coloris & magnitudinis signa quibus dignoscitur & distinguitur.

Ita solemus ea describere, quorum naturam intrinsecam & attributa essentialia non bene dignoscimus. Definitioni Rei affinis est descriptio; iisdemque subjacet utraque legibus & regulis, quantum patitur diversa utriusque natura.

ARTICULUS POSTERIOR.

DE DIVISIONE.

204. OBS. *Divisio Rei* est distributio Totius alicujus in suas partes. Divisionis objectum est Totum, tum physicum, tum metaphysicum, tum logicum (16).

I. Dividitur *Totum physicum*: cum distribuitur illud, vel in suas partes essentiales, vel in suas partes integrantes, vel in suas partes constituentes, vel in suas partes morales; & sic de aliis.

II. Dividitur *Totum metaphysicum*: cum distribuitur illud in suas proprietates essentiales; verbi gratia, cum dividitur homo in principium sentiendi & in principium ratiocinandi.

III. Dividitur *Totum logicum*: cum distribuitur genus in suas species, species in sua individua; verbi gratia, cum

dividitur. Ens in substantiam & in modificationem; Substantia, in materialem, in Spiritualem, in intermediam; Substantia vivens, in sensitivam & in insensitivam; Animal, in rationale & in irrationale; Homo, in Petrum & Paulum & Jacobum, & sic de aliis.

205. ADN. Quàm utile sit in omnibus Scientiis, ea dividere circa quæ versantur nostræ cognitiones, nemo est qui non videat. Nimiæ rerum multitudini simul amplectandæ & observandæ imparem sese experitur humana mens: cujus totam attentionem & sagacitatem plerumque exigit unica objecti species.

Unde ut perfecta habeatur cognitio alicujus objecti, quod pluribus constat partibus; dividi debet illud objectum in suas partes, quæ deinde sigillatim observentur & inspiciantur; tota mentis attentione & sagacitate in quamlibet separatim partem penitiùs intuendam & dignoscendam sese successivè ferente.

In tradendis circa Rerum divisionem regulis: Res quæ dividitur, vocatur *Totum dividendum*; partes in quas res illa dividitur, vocantur *Membra dividentia*, vel membra divisionis.

DIVISIONIS REGULÆ.

206. REGULA I. ***Membra dividentia, simul sumpta Totum dividendum præcisé adæquent; ita ut nec ab illo deficiant, nec illud excedant.***

DEMONSTRATIO. Totum dividendum non differt ab omnibus suis partibus simul sumptis, quæ sunt ipsamet membra dividentia: ergo, cum totum dividendum, nec majus, nec minus possit esse seipso; ipsum præcisè adæquare debent membra divisionis simul sumpta.

I. Si membra dividentia simul sumpta deficiant à Toto: pars aliqua Totius omittitur in divisione. Tunc autem malè cognoscitur Totum: cum non cognoscatur aliquid quod est ipsius.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

II. Si membra dividentia simul sumpta excedant Totum: assignatur & attribuitur illi aliquod constitutivum quo caret. Tunc autem malè cognoscitur Totum: cum in eo cognoscatur, quod non est in ipso. Q. E. D.

207. ADN. Peccari potest contra primam hanc divisionis Regulam, vel *defectu*, vel *excessu*.

Priori modo peccabitur, si dividatur Substantia in materialem & spiritualem: omittetur enim ea substantia quæ Brutorum animam constituit.

Posteriori modo peccabitur, si dividantur antiquæ Romæ Cives, in Senatores, in Equites, in Plebeios, & in Servos. Servi enim nullatenus erant pars Totius illius politici, quod Civium Romanorum nomine designabatur.

208. REG. II. *Membra dividentia non sese mutuò includant: ita ut unum possit affirmari de alio.*

DEM. Amandandum est à Divisione, quidquid in ipsam aut errorem aut obscuritatem induceret: ergo à Divisione amandanda sunt membra sese invicem includentia.

I. Membra quæ sese mutuò includunt, non sunt plures Totius dividendi partes, sed una & eadem pars: ergo malè & falsò distinguuntur, quasi diversæ forent ipsius partes.

II. Ad sermonis claritatem pertinet, non onerare mentem superflua verborum & idearum copia, quæ rem eamdem exprimant, quæ in eamdem ideam recidant: quidquid enim superfluum est & redundans in sermone, obscuritatem rebus affundit, confusionem & perturbationem inducit in ideas, mentem à legitimo suarum speculationum objecto avertit & abstrahit. Ergo malè & ineptè admitterentur in Divisione, membra sese mutuò includentia: quibus hoc alterum est vitium, ut sint superflua, ut sint proinde nativæ rerum & idearum claritati contraria.

Contra secundam hanc Divisionis regulam peccaretur; si dividerctur *Animal*, in animal rationale, in animal

irrationale, & in substantiam viventem: quia tertium illud membrum tum in primo, tum in secundo includitur. Q. E. D. (196).

109. REG. III. *Membra dividentia, quantum fieri potest, sint inter se contrariè opposita.*

DEM. I. Si nulla prorsus esset inter membra dividentia oppositio; nullum menti foret motivum cur illa divideret, cur illa sibi invicem quodam modo opponeret: ergo membris dividentibus oportet inesse aliquam inter se oppositionem, realem aut apparentem.

II. Divisio in membra contradictoriè opposita dat cognitionem nimis vagam & nimis indeterminatam illarum partium, quæ sub negativa contradictionis parte continerentur: ergo, ut sua servetur Divisioni claritas, oportet membrorum dividentium opppositionem esse positivam; ac proinde contrariam, non verò contradictoriam

Verbi gratia, si divideretur Germanicorum Populorum Religio in Catholicam & non Catholicam, divisio fieret in membra contradictoriè opposita: at ibi vides confusam admodum dari cognitionem earum Religionum, quæ dicuntur non Catholicæ. Quam melius cognoscetur illa Germanicorum Populorum Religio; si in partes contrariè oppositas dividatur, nimirum, in Catholicam, in Calvinianam, in Lutheranam, & sic de aliis: tunc enim propria sua luce irradiabitur quodlibet Divisionis membrum. Q. E. D.

QUÆSTIO SECUNDA.

DE PROPOSITIONIBUS.

De natura, de oppositione, de divisione Propositionum, triplici paragrapho, disseret secunda hæc quæstio.

II. Si membra dividentia simul sumpta excedant Totum: assignatur & attribuitur illi aliquod constitutivum quo caret. Tunc autem malè cognoscitur Totum: cum in eo cognoscatur, quod non est in ipso. Q. E. D.

207. ADN. Peccari potest contra primam hanc divisionis Regulam, vel *defectu*, vel *excessu*.

Priori modo peccabitur, si dividatur Substantia in materialem & spiritualem: omittetur enim ea substantia quæ Brutorum animam constituit.

Posteriori modo peccabitur, si dividantur antiquæ Romæ Cives, in Senatores, in Equites, in Plebeios, & in Servos. Servi enim nullatenus erant pars Totius illius politici, quod Civium Romanorum nomine designabatur.

208. REG. II. *Membra dividentia non sese mutuò includant: ita ut unum possit affirmari de alio.*

DEM. Amandandum est à Divisione, quidquid in ipsam aut errorem aut obscuritatem induceret: ergo à Divisione amandanda sunt membra sese invicem includentia.

I. Membra quæ sese mutuò includunt, non sunt plures Totius dividendi partes, sed una & eadem pars: ergo malè & falsò distinguuntur, quasi diversæ forent ipsius partes.

II. Ad sermonis claritatem pertinet, non onerare mentem superflua verborum & idearum copia, quæ rem eamdem exprimant, quæ in eamdem ideam recidant: quidquid enim superfluum est & redundans in sermone, obscuritatem rebus affundit, confusionem & perturbationem inducit in ideas, mentem à legitimo suarum speculationum objecto avertit & abstrahit. Ergo malè & ineptè admitterentur in Divisione, membra sese mutuò includentia: quibus hoc alterum est vitium, ut sint superflua, ut sint proinde nativæ rerum & idearum claritati contraria.

Contra secundam hanc Divisionis regulam peccaretur; si dividerctur *Animal*, in animal rationale, in animal

irrationale, & in substantiam viventem: quia tertium illud membrum tum in primo, tum in secundo includitur. Q. E. D. (196).

109. REG. III. *Membra dividentia, quantum fieri potest, sint inter se contrariè opposita.*

DEM. I. Si nulla prorsus esset inter membra dividentia oppositio; nullum menti foret motivum cur illa divideret, cur illa sibi invicem quodam modo opponeret: ergo membris dividentibus oportet inesse aliquam inter se oppositionem, realem aut apparentem.

II. Divisio in membra contradictoriè opposita dat cognitionem nimis vagam & nimis indeterminatam illarum partium, quæ sub negativa contradictionis parte continerentur: ergo, ut sua servetur Divisioni claritas, oportet membrorum dividentium opppositionem esse positivam; ac proinde contrariam, non verò contradictoriam

Verbi gratia, si divideretur Germanicorum Populorum Religio in Catholicam & non Catholicam, divisio fieret in membra contradictoriè opposita: at ibi vides confusam admodum dari cognitionem earum Religionum, quæ dicuntur non Catholicæ. Quam melius cognoscetur illa Germanicorum Populorum Religio; si in partes contrariè oppositas dividatur, nimirum, in Catholicam, in Calvinianam, in Lutheranam, & sic de aliis: tunc enim propria sua luce irradiabitur quodlibet Divisionis membrum. Q. E. D.

QUÆSTIO SECUNDA.

DE PROPOSITIONIBUS.

De natura, de oppositione, de divisione Propositionum, triplici paragrapho, disseret secunda hæc quæstio.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

DE NATURA PROPOSITIONUM.

210. OBS. I. *Propositio* est judicium mentis, verbo aut scripto expressum. Subjecto, attributo, & verbo utriusque inter se convenientiam affirmante aut negante, constat fundamentaliter propositio omnis (20 & 194).

I. Omnis propositio *duos terminos* complectitur, quorum alter de altero affirmatur aut negatur. Terminus ille de quo aliquid affirmatur aut negatur, dicitur *Subjectum* propositionis: Terminus ille qui affirmatur aut negatur de Subjecto, vocatur *Attributum* aut *Prædicatum* propositionis.

Verbi gratia, in istis propositionibus (Petrus est prudens, Petrus non est prudens): Petrus est subjectum; prudens est attributum; verbo *est* aut *non est*, inter se uniuntur affirmativè aut negativè subjectum & attributum (14).

II. Propositio omnis exprimit aliquam subjecti *Actionem aut Passionem*, quæ enuntiatur per attributum: quæ actio aut passio, cum possit varios extensionis aut intensitatis gradus habere; varias suscipit expressionis modificationes, tum in subjecto, tum in attributo propositionis.

Sic in subjecto suo diversimodè modificantur istæ *Propositiones*, in quibus agitur de aliqua subjecti passione: (omnes amici mei sunt ægroti: quidam amicus meus est ægrotus; talis amicus meus est ægrotus).

Sic in attributo suo diversimodè modificantur istæ propositiones in quibus agitur de aliqua subjecti actione. (Petrus fortiter pugnat; Petrus ignaviter pugnat). In istis enim & similibus propositionibus, verbo continetur attributum. Verbi gratia, propositiones istæ (Petrus pugnat, Paulus cantabit) non differunt ab istis: Petrus est pugnans, Paulus erit cantans.

III. Pronomina ista relativa (*ego*, *tù*, *ille*, *nos*, *vos*, *illi*, *qui*, *quæ quod*, aliaque similia) subjecti functionem implentim in propositionibus.

Verbi gratia, in propositionibus istis (ego canto, tu rides, illæ lacrymantur, homines qui laborant): termini illi relativi *ego*, *tù*, *illæ*, *qui*, suarum propositionum sunt subjectum; & termini isti *cantans*, *ridens*, *lacrymantes*, *laborantes*, sunt earumdem propositionum attributum aut prædicatùm.

211. OBS. II. Duplici huic propositioni (*omnis homo est mortalis*, *quidam homo aut talis homo est mortalis*) idem est subjectum, idem est attributum: ut clariore subjecti & attributi notione & explicatione patebit.

I. Utrique huic propositioni est *idem Subjectum*: quia utriusque subjectum est omnis illa *proprietatum collectio*, quam comprehendit & exhibet idea hominis, secundùm suam comprehensionem accepta & spectata (196).

In pluribus objectis exhibetur omnis illa *proprietatum collectio*, per priorem propositionem, quam per posteriorem: at posterior hæc propositio, unicum exhibendo objectum indeterminatum aut determinatum, unico huic objecto realiter attribuit eamdem illam omnem proprietatum collectionem.

II. Utrique huic propositioni est *idem Attributum*: quia utriusque attributum est omnis illa *proprietatum collectio*, quam comprehendit & exhibet idea rei mortalis, secundum suam comprehensionem accepta & spectata.

Omnis illa *proprietatum collectio*, quam exprimit & exhibet vox ista *Mortalis*, attribuitur omni omnino homini, sine ulla exceptione, in priori propositione: uni tantùm homini indeterminato aut determinato, attribuitur in posteriori propositione. Verùm, quidquid proprietatum attribuit subjecto suo propositio generalis; illud idem subjecto suo attribuit propositio particularis aut singularis: ergo priori & posteriori idem est realiter attributum.

III. Idem dictum intelliges de similibus quibuscumque propositionibus, quibus affixa est aliqua universalitatis aut particularitatis aut singularitatis nota; verbi gratia, de istis: (omne brutum est ratione privatum, aliquod brutum

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

aut tale brutum est ratione privatum: nulla materia est cogitandi capax, quædam materia aut talis materia non est cogitandi capax, & sic de reliquis).

PROPOSITIONES, UNIVERSALES, PARTICULARES, SINGULARES, INDEFINITÆ.

212. OBS. Dividuntur Propositiones, relatè ad subjectum suum spectatæ, in universales, in particulares, in singulares, in indefinitas.

I. *Propositio universalis* est ea cujus subjectum sumitur secundùm omnem suam extensionem. Tales sunt istæ propositiones, veræ aut falsæ: (omne brutum habet animam à materia distinctam; nulla materia cogitat; omnis homo est mortalis; & sic de aliis).

II. *Propositio particularis* est ea cujus subjectum sumitur secundum aliquam tantaxat suæ extensionis partem indeterminatam. Tales sunt istæ propositiones, veræ aut falsæ: (quædam substantia est immaterialis; quidam homo non morietur).

III. *Propositio singularis* est ea cujus subjectum est unicum determinatè individuum. Tales sunt istæ propositiones, veræ aut falsæ: (Petrus est pius; Paulus non sufficienter studet: talis equus ægrotat; hic canis est ad venationem optimus).

IV. *Propositio indefinita* est ea cujus subjectum est terminus communis & de multis prædicabilis: ita tamen ut communis ille terminus nulla universalitatis aut particularitatis aut singularitatis nota afficiatur. Tales sunt istæ propositiones: (ad arandum bos, ad venandum canis, ad cogitandum homo, natus est).

213. ADN. I. Propositiones, relatè ad subjectum suum spectatæ, possunt omnes ad duplicem speciem referri, scilicet ad *Universales & Particulares*: quia æquivalenter universales sunt, tum propositio singularis, tum propositio indefinita.

I. In *Propositione singulari*, assumitur subjectum secundum omnem ipsius extensionem possibilem. Verbi gratia, cum dico (Petrus est justus); nullam limitationem assigno, omnem extensionem possibilem attribuo, subjecto illius propositionis. Eumdem sensum habet hæc mea propositio, quem haberet ista universalis (id omne quod est Petrus, est justum): ergo in propositionem universalem recidit propositio singularis, illius secutura leges.

II. In *Propositione indefinita*, assumitur subjectum vel secundum omnem suam extensionem, vel secundum aliquam dumtaxat suæ extensionis partem: unde, vel ad universalem, vel ad particularem revocanda est illa propositio. Determinatur propositionis universalis *Quantitas*, per ipsius attributum, quo vel restringitur vel non restringitur ipsius subjectum. Verbi gratia:

Universalis est simpliciter propositio indefinita, in *materia necessaria*; ubi attributum exprimit rei essentiam aut naturam: ut in istis propositionibus (homo est animal rationale: Creatura pendet à Deo).

Universalis est moraliter propositio indefinita, in *materia contingenti*; ubi attributum ad omnem propè rei partem pertinet, ita ut non nisi levissimam limitationem & exceptionem patiatur: ut in istis propositionibus (Homo ubique inordinato sui amore regitur: Fœmina furens nescit modum habere).

Particularis est propositio indefinita, in *materia contingenti*; ubi attributum evidenter non potest pertinere nisi ad aliquam subjecti partem; ut in ista propositione (Galli sunt optimi milites): quæ propositio erit etiam universalis moraliter, si subjecto ad Gallos militares restricto conveniat quasi universaliter attributum.

Singularis erit, ac proinde universali æquivalens, propositio indefinita, in *materia Collectionem exprimente*: ut in ista propositione, in qua agitur de Republica Romana & de Republica Carthaginensi: (Romani apud Cannas victi sunt à Carthaginensibus).

Singularis etiam erit propositio indefinita, in *mate-*

ria Præcisionem exprimente: ut in ista propositione, in qua unicè agitur de hoc objecto quod per meam ideam præcisivam repræsentatur ut præcisum & abstractum: (Animal præscindit à rationali & ab irrationali).

214. ADN. II. Ut Algebræ, sic sua sunt Dialecticæ signa artificialia, quibus suas institutiones aut operationes utraque reddat sensibiles: nec inde ulla est alterutri barbaries.

I. Cum omne judicium in eo consistat ut, percepta duarum idearum objectivarum convenientia aut disconvenientia, mens unam cum alia connectat per assensum, vel ab ea separet per dissensum: sequitur *omnem Propositionem esse, vel affirmativam, vel negativam.*

II. Cum omne propositionis subjectum necessariò sumatur, vel secundùm omnem suam extensionem, vel secundùm aliquam dumtaxat suæ extensionis partem: sequitur *omnem Propositionem esse, vel universalem, vel particularem* (212 & 213).

III. Cum ad quadruplicem speciem revocentur & reducantur omnes propositiones possibiles, scilicet, ad *Universalem affirmativam*, ad *Universalem negativam*, ad *Particularem affirmativam*, ad *Particularem negativam*: sequitur *posse omnes propositionum species, quatuor Litteris designari & inter se distingui.*

Sic à dialectica designatur quadruplex illa Propositionum species: per litteram A, enunciatur Universalis affirmativa; per litteram E, Universalis negativa; per litteram I, Particularis affirmativa; per litteram O, Particularis negativa: quadruplicem hanc significationem oculis, memoriæ & menti, exhibente & sistente duplici hoc carmine:

Asserit A, negat E; verùm generaliter ambo:
Asserit I, negat O; sed particulariter ambo.

215. ADN. III. In Propositionibus observanda est, tum quantitas, tum qualitas.

I. *Quantitas propositionum*, consistit in majori minorive extensione subjecti. Hinc in quantitate differunt propositio universalis & propositio particularis; quales sunt istæ: (omnis homo est mortalis, aliquis homo est mortalis).

II. *Qualitas propositionum*, consistit in ipsarum affirmatione, aut negatione: quæcumque aliunde fuerit ipsarum quantitas. Hinc in qualitate differunt istæ propositiones: (nulla materia est spiritus: omnis materia est extensa).

Allucinantur qui existimant, in quæstionibus ad Dialecticam pertinentibus, *Qualitatem propositionum* reponi posse aut debere in ipsarum veritate & falsitate. Neque de veritate, neque de falsitate, in suis speculationibus & institutionibus, ullatenus satagit Dialectica: de sola ipsi rectitudine cura est. Eodem modo contradici aut converti propositionem determinatæ speciei jubet Dialectica; sive falsa, sive vera sit illa propositio: quod expendere, munus Dialectici est, & non Dialecticæ.

REGULÆ CIRCA ATTRIBUTUM PROPOSITIONIS.

216. REGULA I. *In Propositionibus affirmativis non distribuitur Attributum, seu non sumitur secundùm omnem suam extensionem.*

DEMONSTRATIO. Sint istæ in exemplum propositiones affirmativæ: (Marmor est materia, Homo fuit à Deo creatus, Ludovicus est rex). Atqui evidens est in istis propositionibus non sumi attributum secundùm omnem suam extensionem: alioquin significarent illæ, quod evidenter non significant, marmor esse omnem materiam, hominem esse omnia entia à Deo creata, Ludovicum esse omnes reges.

In Propositionibus affirmativis, attributum prædicatur de subjecto, secundùm *omnem comprehensionem* suam, & secundùm *solam extensionem subjecti* quocum dicitur identificari (196).

Verbi gratia, dùm dicitur Ludovicum esse regem: attributum istud *Rex*, omnem suam retinet comprehensio-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nem; sed suam deperdit universalitatem, non aliam jam habens extensionem quàm habet ipse Ludovicus de quo prædicatur. Q. E. D.

217. REG. II. *In Propositionibus negativis distribuitur Attributum, seu sumitur secundùm omnem suam extensionem.*

DEM. Sint istæ in exemplum propositiones negativæ: (nullum marmor est spiritus, Petrus non est rex). Atqui evidens est genuinum illarum propositionum sensum esse, ut negetur omnis quicumque spiritus de marmore; ut negetur omnis quicumque rex de Petro.

Ergo in istis aliisque similibus quibuscumque propositionibus negativis, de subjecto negatur Attributum, secundùm omnem suam extensionem. Q. E. D.

218. REG. III. *Quidquid affirmatur aut negatur de subjecto Propositionis universalis, illud est etiam affirmatum aut negatum de omnibus speciebus & de omnibus individuis sub illo subjecto contentis.*

DEM. Sint istæ in exemplum Propositiones universales; (omnis homo est mortalis, nulla substantia creata est infinitè perfecta). Atqui evidens est, genuinum illarum propositionum sensum esse, ut affirmetur *Attributum mortalitatis*, de Petro, de Paulo, de omnibus individuis sub hominis idea contentis; ut negetur *Attributum infinitæ perfectionis*, de substantia terræ, de substantia aquæ, de substantia animæ humanæ, de omni quacumque substantia sub idea substantiæ creatæ contenta. Q. E. D.

219. COROLLARIUM I. *Veritas Propositionis universalis, affirmativæ aut negativæ, importat veritatem omnium Propositionum particularium & singularium quæ sub ipsa continentur.*

DEM. Ratio est, quia, ut vera sit propositio universalis, requiritur ut ipsius attributum habeat eam convenien-

tiam aut disconvenientiam quæ enuntiatur, cum omni subjecto (23), nulla omninò excepta illius subjecti parte. Q. E. D.

220. COROL. II. *Falsitas Propositionis universalis, affirmativæ nut negativæ, non importat falsitatem omnium Propositionum particularium & singularium quæ sub ipsa continentur.*

DEM. Ratio est, quia, ut falsa sit propositio universalis, sufficit ut ipsius attributum careat ea convenientia aut disconvenientia quæ enunciatur, cum aliqua quacumque subjecti parte. Verbi gratia, sint istæ propositiones universales: (*nulla substantia est infinitè perfecta, omnis substantia est materialis*).

Prior falsa est: quia existit aliqua substantia, nempe Deus, de qua non potest verè negari infinita perfectio. Sub illa tamen propositione universali negativa, quæ in se falsa est, continentur veræ istæ propositiones: (aliqua substantia non est infinitè perfecta: talis substantia, nempe aqua aut terra, non est infinitè perfecta).

Posterior falsa est: quia existit aliqua substantia, nempe Deus, Angelus, Anima humana, de qua non potest verè affirmari attributum materialitatis. Sub illa tamen propositione universali affirmativa, quæ in se falsa est, continentur veræ istæ propositiones: aliqua substantia est materialis: talis substantia, nempe terra aut aër aut lignum, est materialis Q. E. D.

221. REG. IV. *In omni Propositione, affirmatur aut negatur identitas Subjectum inter & Attributum.*

DEM. Sint istæ in exemplum propositiones: (Homo est mortalis, Simius non est homo). Atqui evidens est genuinum istarum propositionum sensum esse, ut in priore affirmetur identitas, hominem inter & subjectum mortale; ut in posteriore negetur identitas, simium inter & hominem. Q. E. D.

222. ADN. Ab illa *Subjecti & Attributi identitate*, quam affirmat aut negat propositio, non sequitur omnem propositionem esse identicam.

Nam *identicæ Propositiones* vocantur & sunt illæ solæ, in quibus subjectum & attributum sunt una & eadem res, iisdem repræsentata ideis, & iisdem expressa verbis; quales forent ineptæ istæ propositiones: (Deus est Deus, Anima humana est anima humana, Materia est materia).

At istæ propositiones (Deus est creator Mundi, Anima humana est substantia spiritualis, Materia est substantia extensa), non sunt propositiones identicæ; quamvis illarum subjectum & attributum sint & affirmentur esse una & eadem res: quia una illa & eadem res exhibetur sub *diversis duabus ideis*, quarum una aliam explicat & dilucidat.

223. REG. V. *De rebus affirmantur aut negantur Concreta, non verò Abstracta.* (17 & 18)

DEM. Sint istæ in exemplum propositiones: (Paries est albus, Simius non est homo). Atqui evidens est affirmari de pariete, quòd sit subjectum habens albedinem, non verò quòd sit ipsamet albedo; negari de simio, quòd sit subjectum habens humanitatem, non verò quòd sit ipsamet humanitas. Q. E. D.

224. REG. VI. *De rebus semper possunt verè affirmari Termini superiores & magis universales, non autem Termini inferiores & minùs universales.*

DEM. Ratio est, quia in rebus semper continetur, quidquid exprimunt & continent termini superiores, non verò quidquid exprimunt & continent termini inferiores. (196)

Hinc terminis superioribus & universalioribus communiter proprium est prædicari; inferioribus & minùs universalibus, subjici. Hinc genus prædicatur de specie, species de individuis, sed non reciprocè.

Hinc rectè & verè dicitur (*substantia est ens, homines animal, Petrus est homo*): quia in istis propositionibus, subjectum non habet in se necessariò, quidquid includit attributum.

At verè & rectè dici non potest (*ens est substantia, animal est homo, homo est Petrus*): quia in istis propositionibus, subjectum non habet in se necessariò, quidquid includit attributum. Fieri enim potest ut ens non sit substantia, sed tantùm modificatio; ut animal non sit homo, sed aliquod brutum; ut homo non sit Petrus, sed aliquis alter homo. Q. E. D.

225. REG. VII. *De Toto rectè prædicantur illæ Actiones aut Passiones quæ sunt duntaxat Partis.* Atque inde illud Dialecticæ adagium: *actiones & passiones sunt Suppositorum.* (*)

DEM. Cum Totum per omnes sui partes constituatur; cum bonus malusve Totius status, pendeat ex bono malove suarum partium statu; cum actiones & passiones partium, aut imperentur à Toto, aut à Toto participentur: sequitur Totum ritè supponere posse pro omnibus suis partibus; sequitur actiones & passiones partium, ritè attribui Toti.

Hinc rectè dicitur *Petrum esse doctum*; quamvis in sola ipsius anima existat illa doctrina: *Paulum esse robustum*; quamvis in solo ipsius corpore resideat illud robur: *Sylvam loqui*; quamvis nihil in ipsa sit præter guttur & linguam, à quo verba & soni efformentur: *talem Tabulam esse confractam*; quamvis in ipsa nihil sit confractum; præter unum aliquem ipsius pedem: *Rempublicam pati*; quamvis unica quædam notabilis pars illius politici totius, malè se habeat; & sic de cæteris. Q. E. D.

(*) ETYMOLOGIA. Suppositum: à vocibus istis latinis, *positum sub.* Unde hoc termino significatur *Ens positum & latitans sub modificationibus activis & passivis* quæ observantur, & quæ non possunt existere nisi in aliquo subjecto ab illis modificato.

Illud Subjectum vocatur *Persona*, si sit substantia intelligens: vocatur *suppositum*, si sit substantia non intelligens.

*

PARAGRAPHUS SECUNDUS.

DE OPPOSITIONE PROPOSITIONUM.

226. DEFINITIO. Duarum *Oppositio Propositionum*, est ipsarum inter se pugna; ita ut ab altera refellatur & evertatur, idipsum quod ab altera enuntiatur: quod accidit, quotiescumque cum veritate unius, stare non potest veritas alterius.

I. Hinc sequitur ad *veram Oppositionem* duarum propositionum, necessariò requiri:

Vel, ut *idem utrique sit & subjectum & attributum*: si altera affirmativa sit & altera negativa. Tales sunt duæ istæ propositiones (omnis homo est doctus, nullus homo est doctus); & istæ duæ aliæ propositiones (nullus homo est doctus, aliquis homo est doctus).

Vel, ut *idem utrique sit subjectum, & attributa inter se incompatibilia*: si utraque sit affirmativa. Tales erunt duæ istæ propositiones: (Petrus est vir probus, Petrus est vir sceleratus).

II. Hinc liquet *veram Oppositionem* inesse nullam, tum duabus istis propositionibus, quæ non habent idem subjectum; (omnis homo debet amare virtutem, nullus lapis debet amare virtutem):

Tum duabus istis propositionibus, quæ non habent idem attributum; (Petrus est vir prudens, Petrus non est vir dives):

Tum duabus istis propositionibus, quibus idem subjectum & idem attributum est, sed in quibus una alteram nullo modo impugnat & refellit: (omnis homo est mortalis, aliquis homo aut talis homo est mortalis).

OPPOSITIO CONTRADICTORIA ET CONTRARIA.

227. OBS. Ex duabus Propositionibus inter se pugnantibus, veram inter se oppositionem habentibus; potest una, vel præcisè dicere quod requiritur ad alteram refellendam & falsificandam; vel plus dicere quàm requiritur ad alteram refellendam & falsificandam. In priori casu, erit *Oppositio contradictoria*: in posteriori, *Oppositio contraria*.

I. Hinc intelligetur existere posse *Oppositionem contradictoriam*, tum inter *duas Propositiones singulares*, quibus idem subjectum sit & attributum, & quarum una affirmativa sit & alia negativa; tum inter *Universalem & Particularem*, quarum altera sit afirmativa & altera negativa, & quæ idem habeant & subjectum & attributum.

II. Hinc etiam intelligetur existere posse *Oppositionem contrariam* tum inter duas *Propositiones universales*, alteram affirmativam & alteram negativam, quibus idem subjectum & idem attributum est; tum inter *Propositionem universalem & Propositionem singularem*, quibus idem est & subjectum & attributum (211), & quarum alia affirmativa est & alia negativa; tum inter duas *Propositiones singulares*, quibus idem subjectum est & attributa inter se incompatibilia.

228. ADN. Quas inter propositiones existat *Oppositio contradictoria*, aut *Oppositio merè contraria*, paucis exhibemus & docemus exemplis.

I. Contradictoriæ sunt duæ istæ propositiones (omnis homo est Americanus, aliquis homo non est Americanus): quia id precisè affirmatur in priore, quod necessarium est ut falsa sit posterior; & id præcisè negatur in posteriore, quod necessarium est ut falsa sit prior.

Nam ut falsum sit *omnem hominem esse Americanum*, requiritur præcisè ut aliquis homo indeterminatè sumptus, non sit Americanus; & hoc precisè enuntiat propositio particularis.

Et ut falsum sit *aliquem hominem non esse Americanum*, nihil minus requireretur quam ut omnes homines, nullo excepto, essent Americani: quod precisè enuntiat propositio universalis.

II. Contradictoriæ non sunt, sed tantum contrariæ duæ istæ propositiones (*omnis homo est Americanus, Rex Galliæ*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

non est Americanus): quia utraque plus affirmat aut negat, quam requiritur ut altera sit falsa.

Nam ut falsa sit propositio universalis, non requiritur ut talis homo determinatè sumptus non sit Americanus: sufficit aliquem hominem indeterminatè sumptum non esse Americanum.

Et ut falsa sit propositio singularis, non necesse est omnem hominem esse Americanum; sufficeret Americanum esse Galliæ Regem.

III. Contradictoriæ non sunt, sed tantum contrariæ, duæ istæ propositiones (*nullum Dei Præceptum est impossibile, quædam Dei Præcepta sunt impossibilia*): quia ab utraque plus negatur aut affirmatur, quàm requiritur ut falsa sit altera. Ut enim falsa foret propositio universalis, non requireretur ut quædam Dei præcepta essent impossibilia: sufficeret unicum aliquod Dei præceptum esse impossibile.

Circa quod observandum est, nullam posse Contradictoriam assignari iis *Propositionibus particularibus*, quarum subjectum restringitur aliqua particularitatis nota in plurali numero accepta: quales forent istæ (nonnulli homines existunt ab æterno; aliquot plantæ habent facultatem sentiendi; quædam Dei præcepta sunt impossibilia.

Ab illarum falsitate propositionum, non sequitur veritas propositionis quæ ipsis contrariè opponitur: quia, ut modò demonstrabitur, propositiones inter se contrariè oppositæ possunt simul esse falsæ.

PROPOSITIO FUNDAMENTALIS PRIOR.

229. *Duæ Propositiones contradictoriæ nunquam possunt, aut simul esse veræ, aut simul esse falsæ: unde, ex veritate unius, sequitur alterius falsitas; & vicissim, ex falsitate unius, sequitur alterius veritas.*

DEM. Impossibile est rem eamdem simul esse & non esse: atqui, si duæ contradictoriæ essent aut simul veræ aut simul falsæ, res eadem esset simul & non esset.

I. Si duæ contradictoriæ essent *simul veræ*; res quæ in ipsis enuntiatur, esset simul & non esset. Res illa esset, quoniam vera foret propositio affirmans illam esse. Res illa non esset: quoniam vera foret propositio negans illam esse.

II. Si duæ contradictoriæ essent *simul falsæ*; res quæ in ipsis enuntiatur; esset simul & non esset. Res illa esset: quoniam falsa foret propositio negans illam esse. Res illa non esset: quia falsa foret propositio affirmans illam esse.

Ergo, qualescumque fuerint duæ propositiones contradictoriæ (227), nunquam possunt aut simul esse veræ aut simul esse falsæ, ac proinde, veritas unius importat alterius falsitatem; & unius falsitas, veritatem alterius. Q. E. D.

230. COROLLARIA. Ab illa Propositione fundamentali, cujus veritas in celeberrimum ipsummet *Contradictionis Principium* resolvitur, & quæ inde fit ipsamet instar Principii in Dialectica utilissimi:

I. Sequitur *nullum dari duas inter Propositiones contradictorias medium*: quia, cum una præcisè neget quod affirmat altera; nullum potest esse medium inter esse & non esse id de quo agitur.

II. Sequitur *demonstrari alicujus Propositionis veritatem; ubi demonstratur ipsius contradictoriam esse falsam*: quia istius falsitas demonstrata supponit aut importat necessariò alterius veritatem indirectè demonstrandam (6).

III. Sequitur *inveniri & determinari propositionem Fidei, propositioni alicui hæreticæ oppositam; si assumatur Contradictoria propositionis ab Ecclesia Catholica damnatæ.*

Verbi gratia, si tanquam hæterica damnata fuerit ab Ecclesia Catholica propositio hæc (omnes Infidelium actiones liberæ sunt peccata): *propositio Fidei*, invenienda & determinanda, erit ista (quædam Infidelium actio libera non est peccatum)

231. ADN. Non ita semper facile est, imo & aliquando est impossibile, invenire & determinare præcisè *Contradictoriam propositionis ab Ecclesia damnatæ*; nam,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

I. Sunt quædam propositiones ab Ecclesia damnatæ, quibus nulla assignari precisè contradictoria, potest. Talis est famosa hæc propositio: *quædam Dei præcepta sunt impossibilia* (228).

II. Sunt etiam quædam propositiones, quas indeterminatè & *in globo* damnat Ecclesia, ut impias, ut hæreticas, ut blasphematorias, ut malè sonantes, ut temerarias, sua cuique propositioni non assignata qualificatione propriâ: in quo casu, legitimus Fidelium assensus in eo totus consistet, ut firma fide credant, inter propositiones sic in globo damnatas, nullam esse, quæ aliquam ex indeterminatis illis qualificationibus non mereatur.

PROPOSITIO FUNDAMENTALIS POSTERIOR.

232. *Duæ propositiones contrariæ possunt esse simul falsæ, sed non possunt esse simul veræ: unde, ex falsitate unius, non sequitur veritas alterius, sed ex unius veritate, sequitur alterius falsitas.*

DEM. Sint in exemplum duæ istæ propositiones contrariæ: (*omnis homo est justus, nullus homo est justus*).

I. Duæ istæ propositiones contrariæ possunt esse *simul falsæ* Nam in tota hominum collectione, potest esse aliquis justus, & aliquis injustus: atqui tunc falsum erit omnem hominem esse justum, & nullum hominem esse justum: ergo simul falsæ erunt duæ illæ propositiones contrariæ.

II. Duæ illæ propositiones contrariæ non possunt tamen esse *simul veræ*: quod sic demonstratur. Non possunt esse simul veræ duæ contradictoriæ (229): ergo neque duæ contrariæ Demonstratur consequentia.

Si simul veræ supponantur duæ Contrariæ universales in exemplum allatæ; veræ quoque erunt necessario duæ istæ Particulares sub illis universalibus contentæ; *aliquis homo est justus, aliquis homo non est justus* (219). Atqui si verum sit omnem hominem esse justum, & aliquem hominem non esse justum; simul veræ erunt duæ contradictoriæ.

Ergo si duæ Contradictoriæ non possunt esse simul veræ, neque simul veræ possunt esse duæ Contrariæ. Ergo, cum nunquam simul veræ possint esse duæ contradictoriæ; nunquam simul veræ possunt esse duæ contrariæ. Q. E. D.

PROPOSITIONES SUBCONTRARIÆ ET SUBALTERNÆ.

233. DEF. *Propositiones subcontrariæ* sunt duæ propositiones particulares, quibus idem subjectum & idem est attributum; & quarum alia est affirmativa, & alia negativa: quales sunt istæ propositiones (aliquis homo est justus, aliquis homo non est justus). Hujus denominationis ratio est, quia respectivè continentur sub duabus Contrariis universalibus.

I. Propositiones subcontrariæ *possunt esse simul veræ*; quia contradictoriè opponuntur duabus Universalibus quæ possunt esse simul falsæ.

II. Propositiones subcontrariæ *non possunt esse simul falsæ*: quia contradictoriè opponuntur duabus Universalibus quæ nunquam possunt esse simul veræ (229 & 232).

234. DEF. II. *Propositiones subalternæ* sunt duæ propositiones idem subjectum & idem attributum habentes, quarum altera est universalis & altera particularis; & quæ sunt aut utraque affirmativa aut utraque negativa.

Tales sunt istæ propositiones; (omnis homo est justus, aliquis homo est justus); aut istæ aliæ propositiones: nulla materia est spiritus, aliqua materia non est spiritus. (219 & 220).

PROPOSITIONUM CONVERSIO.

235. OBS. *Conversio Propositionum* est quædam ipsarum transformatio, vi cujus ab una ad aliam interdum possit concludi. Fit autem transformatio illa per convenientem mutationem subjecti in attributum & attributi in subjectum: ita ut propositio convertenda fiat interdum, ex universali particularis, vel ex particulari universalis; nulla

facta mutatione in ipsius qualitate, id est, in ipsius affirmatione aut negatione. Duplex est Conversionis species, scitu necessaria; scilicet, Conversio simplex & Conversio per accidens.

I. *Conversio simplex* est ea in qua subjectum attributo & attributum subjecto simpliciter substituitur, nulla facta in alterutro quantitatis mutatione.

In Conversione simplici, propositio convertenda & propositio conversa sunt, vel utraque universalis, vel utraque particularis. Talis est hæc conversio (nullus homo est leo; *ergo nullus leo est homo*): talis est & ista (aliquis canis est animal quadrupes; *ergo aliquod animal quadrupes est canis*); & sic de aliis.

II. *Conversio per accidens*, est ea in qua subjectum attributo & attributum subjecto substituitur, mutata propositionis quantitate: ita ut propositio convertenda fiat, vel ex universali particularis, vel ex particulari universalis.

Talis est hæc conversio, in qua valet consequentia à propositione convertenda ad propositionem conversam: (omnis homo est substantia mortalis, *ergo aliqua substantia mortalis est homo*).

Talis est & hæc conversio, in qua non valet consequentia à propositione convertenda ad propositionem conversam: (omnis homo est substantia mortalis: ergo *omnis substantia mortalis est homo*) Verum, cum aliunde demonstratum erit quod vera sit ultima hæc propositio; ab illa rectè & legitimè inferetur, & quod aliqua substantia mortalis sit homo, & quod aliquis homo sit substantia mortalis (219 & 236): quod magni est usus in Reductione syllogismorum, licet nullius sit utilitatis illa reductio.

236. REG. I. *Locum habere potest Conversio simplex, tum in Universali negativa, tum in Particulari affirmativa.*

DEM. Ratio est, quia in ista substitutione attributi in subjectum attributum eamdem præcisè retinet extensionem

idem præcisè remanet. Ergo eodem modo negari aut affirmari poterit attributum de subjecto, tum in propositione convertenda, tum in propositione conversa.

Verbi gratia, si verum sit nullum hominem esse leonem: verum erit necessario nullum leonem esse hominem. Si verum sit aliquem hominem esse mortalem: verum erit necessario aliquod mortale esse hominem. Q. E. D.

237. REG. II. *Locum habere potest Conversio per accidens, tum in Universali negativa, tum in Universali affirmativa.*

DEM. Ratio est, quia in ista transmutatione, non majorem acquirit extensionem attributum.

Verbi gratia, in ista conversione (nullus leo est columba, ergo aliqua columba non est leo): attributum istud *columba* nihil exprimit ut subjectum, quod non exprimeret ut attributum. Si verum erat nullum leonem esse columbam, verum erit necessario aliquam columbam non esse leonem. (219).

Similiter, in ista conversione, (omnis homo est mortalis, ergo aliquod mortale est homo): attributum istud *mortalis* idem remanet in utraque propositione: particulariter enim sumebatur in propositione convertenda (216); & particulariter sumitur in conversa. Q. E. D.

238. ADN I. Ex dictis sufficienter intelligetur, in quibus propositionibus locum non possit habere conversio simplex aut conversio per accidens.

I. Verbi gratia, non valet *Conversio simplex*, in Universali affirmativa, qualis ista foret (omnis homo est mortalis, ergo omne mortale est homo): quia attributum propositionis convertendæ majorem extensionem acquirit, dum fit subjectum propositionis conversæ (216).

II. Similiter, non valet *Conversio simplex*, in Particulari negativa, qualis foret ista (aliquod mortale non est homo, ergo aliquis homo non est mortalis): quia terminus

ille *homo* sumitur universaliter in propositione convertenda, & particulariter in propositione conversa.

III. Summa interdum attentione opus est, ne malè accipiatur attributum propositionis convertendæ: unde vitiosa & falsa foret propositionis conversio. Verbi gratia, si ita converteretur, juxta priorem regulam, Universalis hæc negativa (*nullus Senex potest fieri juvenis*, ergo nullus Juvenis potest fieri senex); vitiosa & falsa foret conversio: quia attributum propositionis convertendæ est terminus iste *potens fieri juvenis*; ac proinde in hunc modum fieri debuit conversio illa simplex (ergo nullus potens fieri juvenis, est senex): & sic de aliis.

Duplicem hanc Conversionis regulam, technico hoc carmine oculis & menti exhibet sistitque Dialectica;

E, I, simpliciter convertitur: E, A, per accid.

239. ADN. II. Apud Dialecticos, *eamdem Æquivalentiam* habere dicuntur diversæ propositiones duæ: cum eamdem penitus significationem & extensionem ita habet utraque, ut una possit pro altera assumi & alteri substitui.

Qua arte ad eamdem æquivalentiam aut æquipollentiam reducantur, tum *duæ Contradictoriæ*, tum *duæ Contrariæ*, multis docere solet Dialectica; nos paucis indicabimus.

I. *Ad eamdem æquivalentiam reducentur duæ contradictoriæ: si subjecto alterutrius indiferenter præponatur negativa particula, nullam mutationem subeunte altera.*

Verbi gratia, sint in exemplum duæ istæ contradictoriæ propositiones: (omnis homo est mortalis, aliquis homo non est mortalis). Propositio universalis reducetur ad significationem propositionis particularis: si subjecto propositionis illius universalis præponatur particula negativa in hunc modum: *non omnis homo est mortalis*.

Similiter, propositio particularis adducetur ad significationem propositionis universalis: si subjecto propositionis illius universalis, præponatur particula negativa in hunc modum: *non aliquis homo non est mortalis*.

Eamdem æquivalentiam habent duæ istæ propositiones: (omnis homo est mortalis, non aliquis homo non est mortalis). Eamdem etiam æquivalentiam habent aliæ istæ propositiones duæ: (aliquis homo non est mortalis, non omnis homo est mortalis).

II. *Ad eamdem æquivalentiam reducentur duæ Contrariæ: si subjecto alterutrius indiferenter postponatur negativa particula, nullam altera subeunte mutationem.*

Verbi gratia, sint in exemplum duæ istæ contrariæ propositiones: (omnis homo est mortalis, nullus homo est mortalis). Propositio affirmativa adducetur ad significationem propositionis negativæ: si post subjectum propositionis illius affirmativæ ponatur particula negativa in hunc modum: *omnis homo non est mortalis*.

Similiter, propositio negativa adducetur ad significationem propositionis affirmativæ: si post subjectum propositionis illius negativæ ponatur particula negativa in hunc modum: *nullus homo non est mortalis*.

Idem sensus, eadem est æquivalentia duabus istis propositionibus: (omnis homo est mortalis, nullus homo non est mortalis). Idem etiam sensus & eadem est æquivalentia aliis istis duabus propositionibus: (nullus homo est mortalis, omnis homo non est mortalis).

PARAGRAPHUS TERTIUS.

DE DIVISIONE PROPOSITIONUM.

240. OBS. Multiplici patent divisioni Propositiones: prout sub vario spectantur respectu.

I. Dividuntur Propositiones in affirmativas & negativas: dum spectantur relativè ad *suam Qualitatem*. In omnes propositiones possibiles cadit prima hæc divisio. (210 & 215)

II. Dividuntur Propositiones, in universales, in particulares, in singulares, in indefinitas: dum spectantur relativè ad *suam Quantitatem*. In omnes etiam propositiones possibiles cadit secunda hæc divisio. (212 & 213)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ille *homo* sumitur universaliter in propositione convertenda, & particulariter in propositione conversa.

III. Summa interdum attentione opus est, ne malè accipiatur attributum propositionis convertendæ: unde vitiosa & falsa foret propositionis conversio. Verbi gratia, si ita converteretur, juxta priorem regulam, Universalis hæc negativa (*nullus Senex potest fieri juvenis*, ergo nullus Juvenis potest fieri senex); vitiosa & falsa foret conversio: quia attributum propositionis convertendæ est terminus iste *potens fieri juvenis*; ac proinde in hunc modum fieri debuit conversio illa simplex (ergo nullus potens fieri juvenis, est senex): & sic de aliis.

Duplicem hanc Conversionis regulam, technico hoc carmine oculis & menti exhibet sistitque Dialectica;

E, I, simpliciter convertitur: E, A, per accid.

239. ADN. II. Apud Dialecticos, *eamdem Æquivalentiam* habere dicuntur diversæ propositiones duæ: cum eamdem penitus significationem & extensionem ita habet utraque, ut una possit pro altera assumi & alteri substitui.

Qua arte ad eamdem æquivalentiam aut æquipollentiam reducantur, tum *duæ Contradictoriæ*, tum *duæ Contrariæ*, multis docere solet Dialectica; nos paucis indicabimus.

I. *Ad eamdem æquivalentiam reducentur duæ contradictoriæ: si subjecto alterutrius indiferenter præponatur negativa particula, nullam mutationem subeunte altera.*

Verbi gratia, sint in exemplum duæ istæ contradictoriæ propositiones: (omnis homo est mortalis, aliquis homo non est mortalis). Propositio universalis reducetur ad significationem propositionis particularis: si subjecto propositionis illius universalis præponatur particula negativa in hunc modum: *non omnis homo est mortalis*.

Similiter, propositio particularis adducetur ad significationem propositionis universalis: si subjecto propositionis illius universalis, præponatur particula negativa in hunc modum: *non aliquis homo non est mortalis*.

Eamdem æquivalentiam habent duæ istæ propositiones: (omnis homo est mortalis, non aliquis homo non est mortalis). Eamdem etiam æquivalentiam habent aliæ istæ propositiones duæ: (aliquis homo non est mortalis, non omnis homo est mortalis).

II. *Ad eamdem æquivalentiam reducentur duæ Contrariæ: si subjecto alterutrius indiferenter postponatur negativa particula, nullam altera subeunte mutationem.*

Verbi gratia, sint in exemplum duæ istæ contrariæ propositiones: (omnis homo est mortalis, nullus homo est mortalis). Propositio affirmativa adducetur ad significationem propositionis negativæ: si post subjectum propositionis illius affirmativæ ponatur particula negativa in hunc modum: *omnis homo non est mortalis*.

Similiter, propositio negativa adducetur ad significationem propositionis affirmativæ: si post subjectum propositionis illius negativæ ponatur particula negativa in hunc modum: *nullus homo non est mortalis*.

Idem sensus, eadem est æquivalentia duabus istis propositionibus: (omnis homo est mortalis, nullus homo non est mortalis). Idem etiam sensus & eadem est æquivalentia aliis istis duabus propositionibus: (nullus homo est mortalis, omnis homo non est mortalis).

PARAGRAPHUS TERTIUS.

DE DIVISIONE PROPOSITIONUM.

240. OBS. Multiplici patent divisioni Propositiones: prout sub vario spectantur respectu.

I. Dividuntur Propositiones in affirmativas & negativas: dum spectantur relativè ad *suam Qualitatem*. In omnes propositiones possibiles cadit prima hæc divisio. (210 & 215)

II. Dividuntur Propositiones, in universales, in particulares, in singulares, in indefinitas: dum spectantur relativè ad *suam Quantitatem*. In omnes etiam propositiones possibiles cadit secunda hæc divisio. (212 & 213)

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

III. Dividuntur Propositiones in veras & in falsas: dum spectantur relativè ad *suum Objectum*, quocum habent aut non habent enuntiationis conformitatem. Omnes etiam propositiones possibiles complectitur tertia hæc divisio: cum evidenter necessarium sit, data quavis propositione, ipsius objectum esse aut non esse id quod enuntiat propositio.

IV. Variis aliis divisionibus subjacent Propositiones: dum spectantur relativè ad *quasdam affectiones & modificationes*, quibus aliæ ab aliis distinguuntur, & in diversas quasi classes separantur. Varias illas propositionum divisiones, à variis ipsarum affectionibus & modificationibus petitas, hic exhibere & explicare aggredimur.

PROPOSITIO SIMPLEX, COMPOSITA, COMPLEXA.

241. DEF. I. *Propositio simplex* est ea quæ constat unico subjecto & unico attributo. Tales sunt istæ propositiones (omnes homines sunt mortales: quædam bruta sunt carnivora: Petrus non est prudens).

242. DEF. II. *Propositio composita* est ea quæ constat, vel multiplici subjecto, vel multiplici attributo, vel utroque multiplici. Tales sunt istæ propositiones (Petrus & Paulus sunt probi: Joannes non est doctus & pius: Petrus & Paulus sunt docti & pii.

Propositio composita potest esse, vel totaliter vera, vel totaliter falsa, vel partim vera & partim falsa. Æquivalet enim ultima hæc propositio (*Petrus & Paulus sunt docti & pii*), quatuor istis propositionibus simplicibus: Petrus est doctus, Petrus est pius, Paulus est doctus, Paulus est pius.

Ut habeatur contradictoria propositionis compositæ, resolvenda est hæc propositio in omnes propositiones simplices quibus æquivalet: tum sua cuique parti facilè assignabitur contradictoria.

Habebitur etiam illius contradictoria, si præcisè &

simpliciter negetur conjunctio. Sic compositæ hujus propositionis (Cicero fuit insignis Orator & Medicus) contradictoria erit ista: Cicero non fuit insignis orator & medicus. Similiter, compositæ istius propositionis (nec divitiæ, nec honores, nec virtutes, sunt ad salutem necessariæ), contradictoria erit ista: falsum est quòd nec divitiæ, nec honores, nec virtutes sint ad salutem necessariæ.

243. DEF. III. *Propositio complexa* est ea quæ constat unico subjecto & unico termino, sed vel alterutro vel utroque modificato. Tales sunt istæ propositiones (Cæsar, qui vicit Gallos, fuit tyrannus: Deus creavit mundum, qui non durabit in æternum). In Propositione complexa, duplex distingui potest & debet propositio; alia principalis, alia incidens.

I. *Propositio principalis* est ea quæ subjectum cum attributo connectit affirmativè aut negativè. In allatis duobus ultimis exemplis, propositiones principales sunt istæ: Cæsar fuit tyrannus; Deus creavit mundum.

II. *Propositio incidens* est ea cujus subjectum est terminus aliquis, ad principale subjectum aut ad principale attributum relativus. Tales sunt in iisdem allatis exemplis istæ propositiones: (qui vicit Gallos, qui non durabit in æternum).

In propositione complexa, veritas aut falsitas propositionis principalis, est independens à veritate aut falsitate propositionis incidentis. Verbi gratia, verum est quod Cæsar vicerit Gallos; falsum est quod Cæsar fuerit tyrannus.

III. In propositione complexa, pronomina relativa (*qui, quæ, quod*), vel sunt explicativa, vel sunt restrictiva. (210).

Illa pronomina sunt *explicativa*: quando explicant ideam subjecti aut attributi, subjectum aut attributum nullatenus restringendo.

Illa pronomina sunt *restrictiva*: quando ideam subjecti aut attributi restringunt ad aliquam sui partem: ut

in ista propositione (homines, quos regit Religio, sunt misericordes). In ista propositione; sublata propositione incidente, falsa fit propositio principalis.

PROPOSITIO DISJUNCTIVA ET CONJUNCTIVA.

244. DEF. I. *Propositio disjunctiva* est ea cujus attributum duo aut plura inter se incompatibilia complectitur membra, quorum aliquod indeterminatè attribuitur subjecto. Tales sunt istæ propositiones (sol, vel quiescit, vel movetur: Amicitia pares, vel invenit, vel facit: aut omnis homo est justus, aut aliquis non est justus: Civis Romanus erat, vel ex ordine senatorio, vel ex ordine equestri, vel ex ordine plebeio).

Ut vera sit Propositio disjunctiva: requiritur ut nihil mediet inter membra quæ prædicantur; & ut aliquod ex illis membris, subjecto conveniat.

245. DEF. II. *Propositio conjunctiva* est ea cujus attributum duo inter se incompatibilia complectitur; & quæ negat duo illa incompatibilia subjecto simul convenire. Tales sunt istæ propositiones (eadem Figura non est simul rotunda & quadrata: Christianus Deo simul & Mundo non potest servire).

Propositiones istæ (Petrus & Paulus sunt docti: nec divitiæ, nec honores, sunt res ad salutem necessariæ) sunt propositiones duntaxat compositæ (241): non sunt autem propositiones conjunctivæ, in eo sensu, quod specialem aliquam Dialecticæ attentionem mereantur, & quod particularem aliquam syllogismi speciem constituant: quod illis solis convenit propositionibus disjunctivis, quas hîc definimus.

PROPOSITIO CAUSALIS ET CONDITIONALIS.

246. DEF. I. *Propositio causalis* est ea quæ exprimit causalitatem aliquam unius respectu alterius. Duplici membro constat hæc propositio, altero causam & altero effectum

enuntiante. Talis est hæc propositio, in qua prius membrum exprimit effectum, & posterius exprimit illius effectus causam: (mendaces sæpe sunt Pueri & Mulieres, quia non satis est ipsis potentiæ & audaciæ ut sint veraces).

Vera erit propositio causalis, si unum ab altero realiter pendeat: falsa erit, si realis non sit unius ab altero dependentia.

247. DEF. II. *Propositio conditionalis* est ea quæ enuntiat aliquam conditionem, qua posita, res nullatenus potest non esse. Duplici etiam membro constat hæc propositio: prius, quod vocatur *Antecedens*, est aliqua suppositio facta: posterius, quod appellatur *Consequens*, est inductio quæ ab illa suppositione indefectibiliter fluit. Talis est hæc propositio: si omnes homines in gratia Dei morerentur, omnes salvi fierent.

Ut vera sit propositio conditionalis, quæ etiam dicitur *Propositio hypothetica*: requiritur & sufficit ut sit vera & indefectibilis connexio inter antecedens & consequens: ita ut priore posito, posterius nunquam possit non esse.

PROPOSITIO EXCLUSIVA, REDUPLICATIVA, COMPARATIVA, MODALIS.

248. DEF. I. *Propositio exclusiva* est ea in qua affirmatur attributum convenire subjecto & soli subjecto. Tales sunt istæ propositiones (solus Deus est omnipotens: solus Sapiens est beatus: nobilitas sola est atque unica Virtus).

249. DEF. II. *Propositio reduplicativa* est ea in qua attributum affirmatur aut negatur de subjecto ad particularem aliquem respectum restricto. Tales sunt istæ propositiones (præcellentes ingenii dotes, quatenus ad superbiam proclives, sunt & Homini & Christiano periculosæ: præcellentes ingenii dotes, quatenus veram menti lucem affundentes, nemini unquam sunt noxiæ).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

250. DEF. III. *Propositio comparativa* est ea quæ enuntiat, non precisè attributum convenire subjecto; sed magis aut minus convenire subjecto quam alteri. Tales sunt istæ propositiones, (Totum est majus sua parte: Petrus est multo doctior: amicum perdere, est damnorum maximum).

Vera erit propositio comparativa, si attributum subjecto, conveniat in eo comparationis gradu qui enuntiatur. Neque sua deerit interdum propositioni comparativæ veritas, si attributum in *positivo gradu* sumptum non conveniat subjecto. Invaluit enim usus ut verè & rectè dicatur (melius est mori quam infamari): quamvis bo- absolutè & positivè non sit, mori aut infamari.

251. DEF. IV. *Propositio modalis* est ea quæ exprimit modum quo attributum subjecto convenit aut disconvenit: in quo differt à propositione absoluta; quæ precisè affirmat aut negat attributum de subjecto, nihil exprimens circa modum quo inter se conveniunt aut disconveniunt subjectum & attributum.

Quadruplex est propositionum modus, nempe, *impossibile*, *possibile*, *contingens*, *necessarium*: quia totidem modis potest attributum de subjecto affirmari aut negari. Verbi gratia, impossibile est existere Mundum infinitum: possibile est existere alteram Lunam: contingens est quod Petrus sit improbus: necessarium est quod Deus sit sapiens. In istis similibus propositionibus, modus afficit, non subjectum, non attributum, sed verbum ipsum quo de se invicem affirmantur aut negantur subjectum & attributum.

PROPOSITIO PRACTICA ET PROMISSORIA.

252. DEF. I. *Propositio practica* est ea quæ objecti sui veritatem ipsamet operatur. Tales sunt istæ propositiones quibus panem & vinum in suam carnem & in suum sanguinem transubstantiavit, & in perpetuum transubstantiari voluit Homo-Deus: (hoc est corpus meum, hic est sanguis meus).

Propositionibus illis practicis iste est sensus: hæc materia quæ nunc est panis, transubstantiabitur in meum corpus: hæc materia quæ nunc est vinum, transubstantiabitur in meum sanguinem.

DEF. II. *Propositio promissoria* est ea quæ duas actiones inter se incompatibiles enuntiat, aliam præsentem & aliam futuram; & quæ vera esse non potest, nisi spectetur relativè ad actionem futuram quæ verum ipsius est objectum. Verbi gratia, jussus tacere Petrus respondet, *taceo*: ecce tibi propositionis promissoriæ exemplum.

Falsum est tacere Petrum, dum respondet, *taceo*: vera tamen erit ejus propositio promissoria; si subinde taceat.

ORDO RERUM PHYSICUS ET METAPHYSICUS.

253. OBS. Referri potest propositio, vel ad metaphysicum, vel ad physicum sui objecti statum: prout, vel solam rerum inter se convenientiam aut disconvenientiam enuntiat, vel ipsam rerum existentiam affirmat aut negat.

I. Nihil enuntiat propositio ad *metaphysicum sui objecti statum* pertinens, nisi convenientiam aut disconvenientiam subjecti inter se & attributi.

Sint in exemplum duæ istæ propositiones (Triangulus est figura tribus constans & angulis & lateribus: Rex justus & beneficus ingens est suæ Nationi bonum). Veræ sunt duæ illæ propositiones, sive existat aut non existat Triangulus; sive existat aut non existat Rex beneficus.

II. Propositio ad *physicum sui objecti statum* pertinens, enuntiat ipsammet attributi in subjecto existentiam aut non-existentiam: prout affirmativa est, vel negativa.

Tales sunt istæ propositiones (Cœlum est serenum: Petrus non est doctus: Homines multis subjacent in hac vita miseriis: plus socialis amœnitatis est Gallis, quam Anglis). In istis propositionibus, non de sola rerum convenientia, sed de ipsamet rerum existentia, evidenter agitur.

*

QUÆSTIO TERTIA.

DE SYLLOGISMIS.

De Syllogismo simplici, de Syllogismo complicato, de vitiis Syllogismi, triplici articulo disseret tertia hæc quæstio.

ARTICULUS PRIMUS.

DE SYLLOGISMO SIMPLICI.

254. OBS. Potest mens humana duarum inter se rerum convenientiam aut disconvenientiam percipere, vel per solam rerum illarum ideam, & tunc habebit *Cognitionem intuitivam*; vel per interventum tertiæ alicujus ideæ quacum successivè comparetur utraque rerum illarum idea, & sine qua non perciperetur duarum rerum illarum convenientia aut disconvenientia, & tunc habebit *Cognitionem discursivam* (*). In priori casu, judicabit humana mens: in posteriori, ratiocinabitur. Prior cognitio erit merum judicium: posterior cognitio erit judicium discursivum.

I. *Cognitionis intuitivæ* triplex exhibebimus exemplum, unde cætera sufficienter intelligentur.

Comparando *ideam Totius* cum *idea Partis*, concipio Totum esse majus sua parte; nec tertia aliqua idea indigeo, ut excessum Totius supra suam partem concipiam. Unde, hujusce rei habeo cognitionem intuitivam: hîc judico, non ratiocinor.

(*) ETYMOLOGIA. Ut habeatur *discursiva Cognitio*; requiritur ut mens quodammodo discurrat à prima idea in tertiam; à secunda idea in tertiam: atque inde, à prima idea in secundam. Hinc, ab illa mentis discursatione, istius cognitionis denominatio.

Similiter, comparando *ideam Dei*, qualem hanc in me deprehendo & sentio, cum idea *Spiritus increati & creatoris*; concipio utriusque illius ideæ objectum esse unam & eamdem rem: nec tertia aliqua idea indigeo, ut prioris & posterioris objecti identitatem percipiam. Unde, hujusce rei habeo cognitionem intuitivam: hîc judico, non ratiocinor.

Similiter iterum, comparando *ideam Dei* cum *idea Cæli materialis*, concipio duplicis illius ideæ objectum non esse unam & eamdem rem; nec tertia aliqua mihi opus est idea, ut prioris & posterioris objecti alteritatem deprehendam. Unde, hîc etiam cognitionem habeo intuitivam: hîc judico, non ratiocinor.

II. *Cognitionis discursivæ* triplex etiam afferemus exemplum, unde innumera alia poterunt intelligi.

Londini, invisibile cultus sui objectum proni adorant Anglus & Judæus: invisibili huic objecto nomen est *God*, apud Anglum; nomen est *Yehôàh*, apud Judæum. Ut cognoscam idemne sit an diversum duplicis illius cultus objectum; necessaria est mihi tertia aliqua idea, quacum God & Yehoah comparentur.

Interrogatus ergo uterque an objectum sui cultus sit *Spiritus increatus & creator*, respondet uterque affirmativè: atque inde per interventum tertiæ istius ideæ, percipio identitatem objecti ab utroque adorati. Hîc habeo cognitionem discursivam: hic non merè judico, sed ratiocinor.

Similiter, Pekini ignotum mihi cultus sui objectum proni adorant Sinenses duo Mandarini: objectum cultus sui vocat *Cœlum* prior, vocat etiam *Cœlum* posterior. Ut sciam idemne sit an diversum duplicis illius cultus objectum; tertia aliqua mihi opus est idea, quacum successivè conferatur utraque hæc Cœli idea.

Interrogatus ergo uterque an objectum cultus sui sit *Spiritus increatus & creator*, alter affirmativè respondet, alter negativè: atque inde, per interventum tertiæ istius ideæ, deprehendo alteritatem objecti ab utroque adorati; altero Cœlum materiale, altero cœli materialis increatum

Auctorem adorante. Hic iterum habeo cognitionem discursivam: hic non merè judico, sed ratiocinor.

Similiter iterum, ut sciam eademne sit an diversa longitudo, *tuo* & *meo* cubiculo, verbi gratia: necessaria mihi est communis aliqua mensura, quacum utraque illa longitudo comparetur. Si utraque hæc longitudo sit æqualis *communi Mensuræ* quatuor exapedarum: deprehendetur longitudinis identitas, meum inter & tuum cubiculum. Si una longitudo sit æqualis mensuræ huic communi, & altera mediæ tantum parti mensuræ hujus communis: deprehendetur longitudinis alteritas simul & differentia, inter utrumque illud cubiculum.

Idem dictum esto de omni alio *comparationis Termino*; verbi gratia, de die naturali, respectu temporis; de pondere unius libræ, respectu corporum gravium: de quadam proprietatum collectione determinata, respectu Historiæ naturalis; de qualibet magnitudine cognita, respectu objectorum geometricorum; & sic de aliis.

255. ADN. Inde intelligitur quæ sit natura & quis sit usus *Idearum intermediarum*, de quibus tam frequens, est mentio in Dialectica; & ex quibus tota pendet Matheis, tota Metaphysica, omnesque propè Scientiæ.

I. Idea intermedia est quidam *comparationis Terminus*, cujus ope cognoscitur identitas aut alteritas duarum rerum, quæ in se ipsis & per se ipsas cognosci non possent ut distinctæ aut ut identicæ.

Triplex distingui solet identitatis, ac proinde alteritatis, species: scilicet, identitas naturæ, identitas magnitudinis, identitas proprietatum. Ad omnem identitatis speciem percipiendam utiles sunt ideæ intermediæ: ut ex præcedenti observatione patet.

De *identitate Naturæ*, agitur communiter in Dialectica & in Metaphysica; de *identitate Magnitudinis*, in Mathesi; de *identitate Proprietatum*, in Physica & in Historia naturali.

II. In omni Ratiocinio, à cognito progredimur ad incognitum; à judicio intuitivo, ad judicium discursivum. Per judicium intuitivum, videmus identitatem aut alteritatem *ideæ intermediæ*, cum utroque termino qui ipsi comparatur: per judicium discursivum, deprehendimus identitatem aut alteritatem *utriusque termini* inter se comparandi: ut modo observatum & explicatum est.

Perfectior foret Intelligentia, quæ *Ideis intermediis* non indigeret, quæ omnia per cognitionem intuitivam perciperet; ut Intelligentia divina. Sed Intelligentia finita, qualis est humana Mens, perficitur ope idearum intermediarum: quia inde ad sublimes innumeras assurgit cognitiones, quæ facultati ipsius merè intuitivæ forent inaccessæ. Ideæ intermediæ sunt humanæ intelligentiæ, quod humanæ activitati sunt variæ machinæ à Mechanica inventæ: utrinque extenditur & augetur naturalis Potentia.

SILLOGISMI NATURA.

256. DEF. Syllogismus est ratiocinium, seu judicium discursivum, quo mens detegit vel ostendit convenientiam aut disconvenientiam duarum idearum objectivarum, per successivam utriusque comparationem cum aliqua tertia idea objectiva, ut rem modò explicuimus (253).

I. *Syllogismus simplex*, est ille qui tribus constat propositionibus simplicibus (240), ita inter se ordinatis & connexis; ut ex duabus primis, necessario & evidenter resultet tertia: ut in duplici hoc Syllogismo, quorum prior est affirmativus, posterior negativus.

Omnis *homo* est mortalis:
Atqui Petrus est *homo*:
Ergo *Petrus est* mortalis.

Ignis est *materia*:
Atqui nulla *materia* est spiritus:
Ergo ignis non est spiritus.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Syllogismus compositus vocari posset, ille qui propositionem aliquam compositam aut complexam contineret (241 & 242). Verùm, cum Syllogismi compositi artificium & regulæ nullatenus differant ab artificio & regulis Syllogismi simplicis: de isto agendo, de illo etiam & simul agit Dialectica.

II. *Syllogismus complicatus* vocabitur à nobis, ille cujus Attributum ita est aut conditionale aut conjunctivum aut disjunctivum aut alternativum, ut de subjecto non prædicetur nisi sub quadam *idearum & objectorum complicatione*, quæ speciale aliquod artificium specialesque aliquas exigit regulas; ut inde legitima enascatur Conclusio.

De solo Syllogismo simplici agitur in hoc articulo: de Syllogismo complicato agemus in articulo sequenti. Generalibus Syllogismi simplicis principiis & legibus subjacet omnis syllogismus, etiam complicatus; licet proprias sibi leges aut regulas iste deposcat.

257. OBS. Syllogismus simplex tribus constat propositionibus simplicibus, quarum quælibet duos terminos complectitur, subjectum scilicet & attributum: ita tamen ut tria illa subjecta & tria illa attributa non constituant nisi *tres Terminos diversos*; ut videre est in duobus exemplis superiùs allatis. Nam subjectum & attributum ultimæ propositionis, jam reperiuntur in duabus præcedentibus propositionibus, quæ aliunde communem unum habent terminum. (255)

I. In omni syllogismo, duæ primæ propositiones vocantur *Præmissæ*: tertia vocatur *Conclusio*, seu Consequentia.

II. In omni syllogismo, duo illi termini qui comparantur cum tertio termino, vocantur *Extrema*: ipse comparationis terminus, quocum successivè confertur utrumque Extremum, vocatur *medius Terminus*. (253 & 254)

Ex duobus illis Extremis, aliud vocatur *majus Extremum*, illud scilicet quod fit attributum conclusionis; aliud dicitur *minus Extremum*, illud scilicet quod fit subjectum conclusionis.

III. Ex duabus cujuscumque syllogismi Præmissis, alia vocatur *Major*, ea scilicet in qua majus extremum comparatur cum medio termino: alia dicitur *Minor*, ea scilicet in qua minus extremum comparatur cum medio termino.

Invaluit tamen jam ubique usus, quem nullatenus improbat Dialectica & quem nos sequemur, ut prior præmissa vocetur Major; & posterior præmissa vocetur Minor: nulla habita majoris aut minoris *Extremi* distinctione.

IV. Tertia cujuslibet syllogismi propositio considerari potest, vel ut Consequens, vel ut Consequentia. *Consequens* est propositio aliqua in se spectata, independenter à Præmissis quibus adjungitur: *Consequentia* est eadem propositio spectata in ordine ad præmissas ex quibus fluere dicitur, & independenter à sua ipsius natura. Unica & eadem Propositio, dum spectatur ut consequens, consideratur in seipsa, ut vera aut falsa: dum spectatur ut consequentia, consideratur in ordine ad præmissas, ut legitima aut illegitima. Recta & legitima esse potest consequentia, licet consequens sit falsum: prava & illegitima esse potest consequentia, licet consequens sit verum.

In præcedentibus syllogismi exemplis, si falsum foret quòd Petrus sit mortalis, quòd ignis non sit spiritus: falsum esset consequens; recta & legitima foret consequentia. Contrà, in vitioso isto syllogismo (Terra non est Sol, Luna non est Sol, *ergo Terra non est Luna*); verum est consequens, prava & illegitima est consequentia.

V. In omni syllogismo legitimo, *medius Terminus in utraque semper præmissa reperitur, nunquam in conclusione*: quia tota medii Termini destinatio est, ut in ipso & per ipsum percipiatur in præmissis, identitas aut alteritas Extremorum. Nihil ergo in conclusione agendum habet medius Terminus.

VI. In omni syllogismo legitimo, *utrumque Extremum semper reperitur in conclusione*: quia destinatio syllogismi est, ut percepta duorum Extremorum identitate aut alteritate cum medio Termino; affirmetur aut negetur utriusque Extremi identitas in conclusione.

258. ADN. *Entymema* est syllogismus truncatus, seu syllogismus in quo omittitur & subintelligitur una Præmissarum; quæ, licet omissa influit in conclusionem. In Entymemate, prior propositio vocatur *Antecedens*; posterior vocatur *Consequens*.

Entymematis exemplum habebis in isto ratiocinio (Petrus est homo, ergo Petrus est mortalis): in quo ratiocinio subintelligitur generalis hæc propositio, *omnis homo est mortalis*. Ubi vides quomodò in Syllogismum, ac proinde in syllogismi leges & regulas, recidat Entymema. (253)

SYLLOGISMI PRINCIPIA.

259. OBS. Syllogismus est alius *affirmativus*, alius *negativus*: prout affirmatur aut negatur in conclusione, utriusque Extremi cum medio Termino comparati identitas.

I. Vis & robur Syllogismi omnis affirmativi, stat hoc Principio in se & per se evidentissimo: *quæ sunt eadem cum uno tertio, sunt eadem inter se.* (5 & 254)

In syllogismo affirmativo, duæ ideæ objectivæ affirmantur una de alia: quia utraque videtur identificata cum tertia aliqua idea objectiva quæ est *medius Terminus*, seu cui duæ aliæ comparantur. Per *Ideam objectivam*, hîc intelligimus objectum ab idea aut imagine mentali repræsentatum.

Si A est M:
Si B est M (quod est A):
Ergo A est B; aut B est A.

II. Vis & robur Syllogismi omnis negativi, stat hoc Principio in se & per se evidentissimo: *si ex duobus unum sit idem & alterum non sit idem cum uno tertio; duo illa non sunt unum & idem inter se.*

In syllogismo negativo, duæ ideæ objectivæ negantur una de alia: quia ex illis una videtur identificata & altera non identificata cum tertia aliqua idea objectiva, quæ est *medius Terminus*, seu terminus comparationis.

Si A est M:
Si B non est M (quod est A):
Ergo A non est B; aut B non est A.

III. Sæpe accidit ut objectum aliquod A non possit immediatè comparari cum altero objecto B; & tunc assumitur tertium aliquod objectum M, quocum A & B comparentur: ut ab illa comparatione, discursivè inferri possit utriusque identitas aut alteritas. (253 & 254)

GENERALES SYLLOGISMI REGULÆ.

260. OBS. Cum nihil aliud sit Dialectica, nisi *Ars scientifica inferendi unum ex alio*: in eo tota esse debet, ut generales quasdam tradat & demonstret regulas, quæ in omni materia possibili, rectam & legitimam pariant conclusionem. Illud autem præstat Dialectica, in sequentibus syllogismi regulis, quarum certitudo nobis hîc exhibenda incumbit & demonstranda.

I. Tales sunt & tales esse demonstrabuntur sequentes *Syllogismi Regulæ*, ut nullum unquam possit existere Ratiocinium præscripto ab ipsis artificio conforme; in quo recta & legitima non sit conclusio: licet aliquando possit per accidens, in quadam materia particulari, recta aliqua existere conclusio, quæ ab aliqua regula generali deficeret.

Tunc autem dicitur valere illa conclusio, *vi materiæ*, non *vi formæ*: quod significat tale esse artificium ratiocinii præsentis, in quo accidentaliter recta & legitima est illatio; ut eidem huic artificio possit substitui alia materia in qua illatio foret prava & illegitima.

II. Ex sequentibus octo syllogismi Regulis, quædam nihil habent utilitatis in communi ratiocinandi & argumentandi usu: quales sunt quarta & sexta. Cui enim unquam sani ingenii Dialectico veniet in mentem; ut ex duabus præmissis affirmativis deducat conclusionem negativam; aut ut medium terminum transferat ex præmissis in conclusionem?

Si quid utilitatis habet sexta sequens regula: in eo

tota est ipsius utilitas, ut sit instar Lemmatis quo indicetur & demonstretur excludendas esse à Syllogismo quasdam ex sexaginta & quatuor illis combinationibus, quas suscipere possunt inter se quatuor propositionum species superiùs exhibitæ (214), dum ternæ simul assumuntur.

III. Sequentes illas *Syllogismi Regulas* exprimere solent quidam Dialectici, istis octo versiculis, quos sua barbaries suaque obscuritas & inutilitas jubet nostris temporibus ab omni exulare Philosophia

Terminus esto triplex, medius, majorque minorque:
Aut semel aut iterum medius generaliter esto:
Latiùs hunc quam præmissæ, conclusio non vult:
Nequaquam medium capiat conclusio oportet:
Utraque si præmissa neget, nihil inde sequetur:
Ambæ affirmantes nequeunt generare negantem:
Pejorem sequitur semper conclusio partem:
Nil sequitur geminis ex particularibus unquam.

261. REG. I. *Debet Syllogismus omnis tres complecti terminos, nec pauciores, nec plures.*

DEM. Cum Syllogismus sit semper judicium aliquod discursivum (253 & 254):

I. Requirit necessariò syllogismus tres terminos, quorum duo comparentur cum tertio, ut inde inferatur duorum terminorum cum tertio comparatorum identitas aut alteritas.

Termini qui comparantur cum uno tertio, sunt *duo Extrema*: terminus quocum fit illa comparatio, est *medius Terminus*, quem unicum esse oportet.

II. Excludit necessariò Syllogismus quartum alium quemcumque terminum: quia ex solâ comparatione duorum Extremorum cum eodem medio termino, potest inferri duorum Extremorum identitas aut alteritas quæ per judicium discursivum quæritur.

Nam ex eo quòd ex duobus unum identificetur cum uno tertio, & alterum cum uno quarto; non sequitur duo

illa identificari inter se: ex eo quòd ex duobus, unum identificetur cum uno tertio, & alterum non identificetur cum uno quarto, non sequitur duo illa esse inter se distincta.

Verbi gratiâ, ex eo quòd Triangulus identificetur cum figurâ trium angulorum & laterum, & Quadrilaterum cum figurâ quatuor angulorum & laterum; non sequitur Triangulum & Quadrilaterum inter se identificari.

Ex eo quod Ludovicus decimus sextus sit idem ac rex optimus, & quod Galliæ Rex actualis non sit idem ac Victor pharsalicus; non sequitur Ludovicum decimum sextum non esse actualem Galliæ regem.

III. Ergo, in omni recto syllogismo, tres debent esse termini, nec plures, nec pauciores. Si pauciores forent, jam non esset syllogismus: si plures, jam vitiosus esset. Q. E. D.

262. REG. II. *Debet medius Terminus distribui, seu secundum omnem suam extensionem assumi, in una saltem præmissarum.*

DEM. Ratio est, quia si medius Terminus accipitur particulariter in utraque præmissa; poterit æquivalere *duplici Termino*; pro una sui parte acceptus in majori & pro altera sui parte acceptus in minori: unde vitiosus erit, juxta præcedentem regulam.

Hinc vitiosus & nullus est iste syllogismus: (omne lumen est substantia: omne marmor est substantia: ergo omne lumen est marmor).

Hinc etiam vitiosus & nullus est iste syllogismus, (in sancta Trinitate, pater est Deus: Filius est Deus: ergo Pater est Filius).

Vitium utriusque hujus syllogismi oritur ex eo quod medius Terminus (*substantia*, *Deus*) in neutra præmissarum affirmativarum distribuatur: id est, quod in neutra præmissa assumatur secundum id omne quod significat. Lumen aut marmor non est id omne quod est substantia: Pater aut Filius non est id omne quod est Deus (88).

Unde uterque medius ille Terminus, pro diversa

sui parte acceptus in utraque præmissa, duplicem comparationis terminum ponit in syllogismo, syllogismumque proinde reddit nullum. Q. E. D.

263. REG. III. *Debet utrumque Extremum non majorem habere extensionem in conclusione, quam in præmissis.*

DEM. Ratio est, quia duo Extrema, scilicet subjectum & attributum conclusionis, non debent conjungi aut disjungi in conclusione, nisi eo modo quo deprehensa sunt inter se convenire aut disconvenire in præmissis: cum non aliunde nota supponatur ipsorum inter se convenientia aut disconvenientia, nisi ex sua cum *medio Termino* comparatione.

Porrò, ex eo quòd duæ res inter se conveniant aut disconveniant, ubi cum tali determinata limitatione accipiuntur: non sequitur quod duæ illæ res eamdem sint habituræ inter se convenientiam aut disconvenientiam, ubi una ex illis majorem accipiet extensionem.

Hinc vitiosa est hæc argumentatio: (omnis leo est aliqua substantia: sed nulla columba est leo: ergo nulla columba est aliqua substantia).

Vitium hujus argumenti inde oritur, quod attributum *aliqua substantia*, distribuatur & accipiatur universaliter in Conclusione negativa (216 & 217); licet non fuerit distributum in majore affirmativa. Q. E. D.

264. REG. IV. *Debet medius Terminus nunquam reperiri in Conclusione.*

DEM. Ratio est, ut rem jam explicuimus & demonstravimus superius (256); quia destinatio medii Termini, ipsum affigit totum præmissis, ipsum excludit totum à conclusione. Q. E. D.

265. REG. V. *Ex duabus Præmissis negativis, legitima nulla potest deduci Conclusio.*

DEM. Conclusio omnis, vel negativa est, vel affirmativa: nullum enim datur inter utramque medium.

I. Ex eo quod duæ res non conveniant cum una tertia; non sequitur illas res duas non convenire inter se: verbi gratia, ex eo quod Ludovicus decimus sextus non sit Imperator Sinensium; ex eo quod actualis Galliæ Rex non sit Imperator Sinensium, non sequitur Ludovicum decimum sextum non esse actualem Galliæ Regem. Ergo ex duabus præmissis negativis rectè erui non potest conclusio negativa.

II. Ex eo quod duæ res non conveniant cum una tertia, non sequitur duas illas res convenire inter se: verbi gratia, ex eo quod musca non sit taurus, ex eo quod culumba non sit taurus; non sequitur muscam esse columbam. Ergo ex duabus præmissis negativis rectè erui non potest conclusio affirmativa.

III. Ex duabus præmissis negativis, neque conclusio affirmativa, neque conclusio negativa deduci potest, quæ sit recta & legitima: ergo ex talibus præmissis negativis nihil rectè concludi potest. Q. E. D.

266. REG. VI. *Ex duabus Præmissis affirmativis, non potest erui Conclusio negativa.*

DEM. Ex eo quod duæ res deprehendantur identificari cum una tertia, non sequitur illas res duas debere aut posse de se invicem negari: imo, & sequitur contrarium. Q. E. D.

267. REG. VII. *Si una Præmissarum sit negativa, Conclusio debet esse negativa: si una præmissarum sit hypothetica; Conclusio hypothetica erit non verò absoluta: si una præmissarum, sit particularis, Conclusio debet esse particularis.*

Atque hoc ipsum est quod volunt exprimere Dialectici; cum dicunt conclusionem semper sequi conditionem partis aut præmissæ pejoris & debilioris.

DEM. I. Quando una præmisarum est *negativa*, alteram

esse affirmativam oportet: quoniam ex duabus negativis nulla deduci potest conclusio (264).

Unde, cum unum extremum convenire & alterum extremum disconvenire cum medio termino deprehendatur in præmissis: unum extremum de altero extremo negari evidenter oportebit in conclusione, quæ proinde erit necessario negativa.

Similiter, quando una præmissarum est *hypothetica*; duo extrema non junguntur cum medio termino in præmissis, nisi hypothetice: unde non possunt inter se jungi in conclusione, nisi eodem modo, scilicet modo hypothetico.

Verbi gratia, sit iste syllogismus: (si Petrus est furti reus, Petrus est pœna dignus: atqui Petrus est furti reus: ergo Petrus est pœna dignus). In isto syllogismo, conclusio non est absoluta, sed tantum hypothetica: quia ibi non affirmatur absolutè Petrum esse pœna dignum, sed tantum ex hypotesi quod Petrus sit furti reus. Q. E. D.

268 DEM. II. Si una præmissarum sit particularis, conclusio debet esse particularis, non vero universalis: repugnat enim illam esse, aut universalem affirmativam, aut universalem negativam.

I. Conclusio illa non potest esse *Universalis affirmativa*. Nam, cum conclusio affirmativa sequi non possit nisi ex duabus affirmativis, in quibus attributum non distribuitur (217 & 266), ut existat conclusio universalis affirmativa; oportet ut subjectum ipsius sit subjectum unius præmissæ quæ sit universalis: oportet pariter ut medius terminus sit subjectum alterius præmissæ quæ sit etiam universalis (261): oportet ergo ut utraque præmissa sit universalis.

Unde, si una præmissarum sit universalis & altera particularis: ab illis fluere non poterit conclusio universalis negativa.

II. Conclusio illa non potest esse *Universalis negativa*. Nam ut existat conclusio universalis negativa, oportet ipsius tum subjectum, tum attributum sumi universaliter in

præmissis: oportet medium quoque terminum in præmissis universaliter sumi. Sed tres illi termini non possunt universaliter sumi in duabus præmissis, quarum una est necessariò affirmativa, nisi utraque præmissa sit universalis: ergo, si conclusio sit universalis negativa, utraque præmissa erit necessariò universalis.

Unde, si una præmissarum sit universalis & altera particularis; ab illis fluere non poterit conclusio universalis negativa. Q. E. D.

269. REG. VIII. *Ex duabus Præmissis particularibus, legitima nulla erui potest Conclusio.*

DEM. Duæ illæ præmissæ sunt, vel ambæ affirmativæ, vel ambæ negativæ, vel affirmativa una & alia negativa.

I. Si ambæ sint affirmativæ, medius terminus in ipsis non sumetur universaliter: quod est contra secundam regulam.

II. Si ambæ sint negativæ, ex illis nihil concludetur: juxta quintam regulam.

III. Si una sit affirmativa & altera negativa, conclusio erit negativa; & attributum hujus conclusionis sumetur universaliter, licet sumptum fuerit particulariter in præmissis: quod est contra tertiam regulam.

Hujus vitii exemplum erit hæc argumentatio: (aliquis homo est *Parisinus*: atqui aliquis Italus non est *Parisinus*: ergo aliquis Italus non est homo).

Unde, ex duabus præmissis particularibus, quæcumque sit ipsarum natura, nihil unquam potest concludi Q. E. D.

LEGUM ILLARUM AD UNICAM REGULAM REDUCTIO.

270. REGULA UNICA. *Una Præmissarum Conclusionem implicitè contineat, & altera ostendat contineri.*

DEM. I. In præmissis debet contineri recta omnis con-

clusio: educi enim non posset ex præmissis, id quod nullatenus in ipsis contineretur. Quòd autem contineatur & contineri debeat in præmissis recta omnis conclusio, satis patet ex iis quæ superiùs observata & explicata & demonstrata sunt à nobis. Quæ enim in conclusione, vel junguntur per affirmationem, vel disjunguntur per negationem, ideo junguntur vel disjunguntur in conclusione, quia jam vel juncta, vel disjuncta sunt in medio præmissarum termino.

II. In simplici quocumque syllogismo, debet conclusio in præmissis implicitè tantum contineri: quia, quæ explicitè junguntur aut disjunguntur in conclusione, jam fuere juncta aut disjuncta in medio termino, non immediatè & explicitè, sed implicitè & æquivalenter.

Subjectum & attributum junguntur aut disjunguntur immediatè & explicitè in conclusione; mediatè autem & implicitè in præmissis: quia conclusio est judicium discursivum, non verò judicium intuitivum. (263)

III. Cum unum non possit inferri & educi ex alio, nisi in eo contineatur & contineri cognoscatur; necessarium est, & conclusionem contineri in præmissis, & in ipsis contentam cognosci: necessarium ergo est ut una præmissarum conclusionem implicitè contineat, & altera contineri ostendat. Q. E. D.

271. ADN. Ad *fundamentalem hanc Dialecticæ Regulam*, revocari & reduci possunt omnes Syllogismi regulæ superiùs positæ & demonstratæ. Si conclusio contineatur in præmissis, rectum erit ratiocinium: si conclusio in præmissis non contineatur, ratiocinium erit pravum & vitiosum. Verbi gratia:

I. Sit istud ratiocinium: (Lex divina præcipit obsequium Potestati sæculari: sed Potestas ecclesiastica non est potestas sæcularis: ergo Lex divina non præcipit obsequium Potestati ecclesiasticæ).

Vitiosa est hæc argumentatio, quia conclusio nullatenus continetur in præmissis: negat enim conclusio Legem divinam præcipere obsequium Potestati ecclesiasticæ; quod neutra negat præmissa.

II. Sit alterum istud ratiocinium: (quicumque servit tyrannicæ alicui Cupiditati, est miser: atqui Avarus servit tyrannicæ alicui cupiditati: ergo Avarus est miser).

Rectum & legitimum est istud ratiocinium: quia conclusio continetur implicitè in majori; & quia ipsam in majori contineri ostendit minor.

III. Juxta fundamentalem hanc Regulam, ubi probanda tibi erit aliqua propositio perperam negata: quære duas aliquas propositiones evidentiores, quarum una propositionem probandam implicitè contineat; altera verò ostendat propositionem hanc probandam in propositione generali & evidenti contineri.

Sic si velis probare Avarum esse miserum: id præstabis enuntiando omnem speciem tyrannicæ alicui cupiditati servientem esse miseram; & ostendendo Avarum esse hujus speciei partem.

Circa quod observabis quòd *negata & probanda propositio* fieri debeat *conclusio argumentationis ipsam probantis*: ut videre est in præcedenti ratiocinio.

SYLLOGISMORUM FIGURÆ ET MODI.

272. OBS. I. Figuræ syllogisticæ sunt certæ quædam dispositiones medii Termini cum utroque Extremo. Inde, *triplex Figura syllogistica*: inde *duplex primæ Figuræ Modus*, alius directus, alius indirectus.

I. Triplex est Figura syllogistica: quia triplicem dispositionem diversam potest cum extremis habere medius terminus. Fieri enim potest,

Vel ut sit subjectum unius & attributum alterius præmissæ; & huic dispositioni & ordinationi medii termini, nomen est *prima Figura*:

Vel ut sit attributum utriusque præmissæ; & huic dispositioni & ordinationi medii termini, nomen est *secunda Figura*:

*

Vel ut sit subjectum utriusque præmissæ; & huic dispositioni & ordinationi medii termini, nomen est *tertia Figura*:

II. Duplex est primæ Figuræ modus: quorum alter directus dicitur, alter verò indirectus.

Modus directus est ille in quo attributum majoris fit attributum conclusionis: ut in exemplis modo afferendis videre erit.

Modus indirectus est ille in quo attributum majoris fit subjectum conclusionis, ope convenientis alicujus limitationis quam aliquando exigit illud majoris attributum.

273. OBS. II. Quatuor propositionum species quæ ingredi possunt in syllogismum, & quæ designantur per quatuor vocales *a e i o* (214); si ternæ assumantur, *sexaginta & quatuor*, nec plures, nec pauciores, suscipiunt combinationes, quas sequens exhibet Schemma.

AAA, aae, AAI, aao:	eaa, EAE, eai, EAO:
aea, AEE, aei, AEO:	eea, eee, eei, eeo:
aia, aie, AII, aio:	eia, eie, eii, EIO:
aoa, aoe, aoi, AOO:	eoa, eoe, eoi, eoo:
iaa, iae, IAI, iao:	oaa, oae, oai, OAO:
iea, iee, iei, IEO:	oea, oee, oei, oeo:
iia, iie, iii, iio:	oia, oie, oii, oio:
ioa, ioe, ioi, ioo:	ooa, ooe, ooi, ooo:

I. Ex sexaginta & quatuor illis propositionum inter se combinationibus, *Quinquaginta & duo* sunt, quæ vitiosam semper darent conclusionem: illæ scilicet omnes quæ litteris exprimuntur minusculis.

A variis Dialecticæ regulis superiùs demonstratis, excluduntur & proscribuntur vitiosæ illæ omnes combinationes. Verbi gratia, per regulam quæ docet nihil concludi posse ex duabus negativis, excludi deprehendes viginti & duas: per regulam quæ docet nihil posse concludi ex duabus particularibus, excludi sexdecim: per octo regulas simul sumptas, excludi quinquaginta & duas; eamdem combinationem multiplici interdum proscribente regula.

II. Supererunt igitur *duodecim combinationes*, quæ possunt rectam & legitimam parere conclusionem: illæ scilicet omnes & solæ, quæ majusculis designantur litteris.

Erravit recentior ille Dialecticus, qui asseruit ex ultimo hoc numero ab Aristotele admisso, universaliter excludendam esse combinationem IEO & combinationem AEO: priorem, inquit, quia vitiosa inde flueret conclusio, attributo universalius in ipsa quam in præmissis sumpto: posteriorem, quia combinatio AEO ita continetur in combinatione AEE; ut nunquam in illa possit ritè concludi, quin & in ista rectè concludatur.

Retinendam esse utramque hanc combinationem IEO & AEO, demonstrabunt Modi *Fimseso* & *Fapesmo*, inferius exhibendi. In priore rectè concluditur: in posteriore, conclusio particularis recta est, prava foret universalis.

III. Ex *duodecim illis combinationibus*; unde recta & legitima fluit Conclusio, quædam sunt quæ diversimodè concludunt. Verbi gratia; combinatio AII ter concludi; bis in prima figura, & semel in tertia. Combinatio AAI bis concludit; semel in prima & semel in tertia figura. Combinatio EAE ter concludit; bis in prima & semel in tertia figura, & sic de aliis.

Inde exurgunt *novemdecim Modi syllogistici*, quorum exempla modò subjiciemus oculis. Si forte plures quam novemdecim dentur modi syllogistici: hos rejicit Dialectica, aut tanquam inutiles, aut tanquam recidentes in aliquem illorum quia ab ipsa adoptantur & in exemplum recti syllogismi exhibentur (*). Totidem vocabulis artificialibus ex-

(*) NOTA Recti forent, in prima Figura duo isti modi AAI & EAO. Sed illos ex Modis directis expulit Aristoteles,

primitur, in sequentibus quatuor technicis Carminibus, proprium cujusque Modi syllogistici artificium.

Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baraliptum:
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Fimsesonurum:
Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti:
Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

IV. Ex novemdecim illis Modi syllogisticis, prima figura sibi vindicat novem primos, quorum quatuor sunt directi & quinque indirecti: quatuor sequentes ad secundam figuram, sex ultimi ad tertiam pertinent.

In quolibet artificiali vocabulo, ad tres primas vocales attende: reliquas, si quæ sint, sola metri necessitatè superadditas, neglige. Verbi gratia, vocabulum istud *Fimsesonurum*, per suas vocales IEO, indicat syllogismum hunc ad modos primæ figuræ indirectos pertinentem, debere constare præmissa una particulari affirmativa, præmissa altera universali negativa, & conclusione particulari negativa.

In quolibet etiam artificiali vocabulo attendi potest ad consonantes SPMC, si quæ ex iliis intra ipsum insertæ deprehendantur: ut modo explicabitur, ubi de Reductione syllogismorum agemus.

---

tanquam respectivè inclusos in *Barbara* & in *Celarent*: quia in modis directis hujus figuræ, nunquam haberi potest conclusio particularis in AAI & in EAO, quin habeatur & conclusio universalis.

Rectus etiam foret in secunda figura Modus EAO: sed inutilis est, quia includitur in *Cesare*. Nam in hac figura, ubicumque haberetur conclusio particularis in EAO, habebitur & conclusio universalis.

Recti etiam forent *Bamalip*, *Camentes*, *Dimatis*, *Fesapmo*, *Fresiso*, quibus constituitur Figura Galenica: sed illos simplicius & felicius reduxit Aristoteles, ad indirectos quinquæ primæ figuræ modos.

PRIMA FIGURA SYLLOGISTICA: *Sub*, *Præ*.

MODI DIRECTI.

REGULA. Sit Minor affirmans, Major verò generalis (274).

Bar	A	Omne *animal* est mortale:
ba	A	Sed omnis homo est *animal*:
ra	A	Ergo omnis homo est mortalis.
Ce	E	Nullum *animal* est planta;
la	A	Sed omnis homo est *animal*:
rent.	E	Ergo nullus homo est planta.
Da	A	Omne *animal* est mortale:
ri	I	Sed aliquod Vivens est *animal*:
i.	I	Ergo aliquod Vivens est mortale.
Fe	E	Nullum *animal* est planta:
ri	I	Sed aliquod Vivens est *animal*:
o.	O	Ergo aliquod Vivens non est planta.

MODI INDIRECTI,

In quibus concluditur, quasi transpositæ essent *Modorum directorum* Præmissæ in *Præ*, *Sub*. (271 & 273).

Ba	A	Omne *animal* est mortale:
ra	E	Sed omnis homo est *animal*:
lip.	I	Ergo *aliquod Mortale* est homo.
Ce	E	Nullum *animal* est planta:
lan	A	Sed omnis homo est *animal*:
tes.	E	Ergo *nulla planta* est homo.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Da	A	Omne *animal* est mortale:
bi	I	Sed aliquod Vivens est *animal*:
tis.	I	Ergo *aliquod Mortale* est vivens.
Fap	A	Omne *animal* est vivens:
esm	E	Sed nulla planta est *animal*:
o.	O	Ergo *aliquod Vivens* non est planta.
Fims	I	Aliquod *animal* est vivens:
es	E	Sed nulla planta est *animal*:
o.	O	Ergo *Aliquod Vivens* non est planta.

SECUNDA FIGURA SILLOGISTICA: *Præ, Præ.*

REGULA. Una Negans præeat, sed Major sit generalis (264).

Ces	E	Nulla planta est *animal*:
a	A	Sed omnis homo est *animal*:
re.	E	Ergo nullus homo est planta.
Cam	A	Omnis homo est *animal*:
es	E	Sed nulla planta est *animal*:
tres.	E	Ergo nulla planta est homo.
Fes	E	Nulla planta est *animal*:
ti	I	Sed aliquod Vivens est animal:
no.	O	Ergo aliquod Vivens non est planta.
Ba	A	Omnis virtus est *prudens*;
ro	O	Sed aliquis zelus non est *prudens*:
co.	O	Ergo aliquis zelus non est virtus.

TERTIA FIGURA SYLLOGISTICA: *Sub, Sub.*

REGULA. Sit minor affirmans; Conclusio particularis.

Da	A	Omne *animal* est mortale:
rap	A	Sed omne *animal* est vivens:
ti.	I	Ergo aliquod Vivens est mortale.
Fe	E	Nullum *animal* est planta:
lap	A	Sed omne *animal* est vivens:
ton.	O	Ergo aliquod Vivens non est planta.
Dis	I	Aliquod *animal* est vivens:
am	A	Sed omne *animal* est mortale:
is.	I	Ergo aliquod Mortale est vivens.
Da	A	Omne *animal* est mortale:
tis	I	Sed aliquod *animal* est vivens:
i.	I	Ergo aliquod Vivens est mortale.
Bo	O	Aliquis *zelus* non est virtus:
car	A	Sed omnis *zelus* est effervescentia Religionis:
do.	O	Ergo aliqua effervescentia Religionis non est virtus
Fe	E	Nullum *animal* est planta:
ris	I	Sed aliquod *animal* est vivens:
on.	O	Ergo aliquod Vivens non est planta.

274 OBS. III. Tres duntaxat syllogismorum figuras admisserat Aristoteles, vir ingenii amplitudine & sagacitate & rectitudine paucos habiturus pares; & cujus *Dialectica* semper merebitur haberi ut ingens Artis miraculum.

Quartam figuram syllogisticam excogitavit subinde Galenus, observando posse *medium Terminum* esse, vel subjectum majoris & attributum minoris, quam dispositionem vocat primam Figuram; vel attributum majoris & subjec-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tum minoris, quam dispositionem vocat *quartam Figuram.* Verùm, quartam hanc Galeni Figuram syllogisticam, cum plerisque Dialecticis rejicimus ut inutilem Dialecticæ; cui nihil novi luminis affundit, dum nova ipsam theoriarum & regularum complicatione onerat.

I. Inutilis est quarta hæc Galeni Figura: quia nihil continet nisi indirectos quinque primæ Figuræ modos, qui simplicius & felicius educi possunt ex quatuor directis ejusdem Figuræ modis, per solam præmissarum transpositionem.

Verbi gratia, si velim probare in forma syllogistica, talem Virum, quem omnes habent ut regem optimum, esse ingens donum Cœli: illud probare potero *unico hoc ratiocinio*, cujus medius terminus erit subjectum majoris & attributum minoris; & ex quo, si transponantur præmissæ, eadem semper fluet conclusio; prout prædicabitur, vel attributum universaliter sumptum, vel attributum sumptum particulariter.

Omnis *Rex optimus* est ingens Cœli donum:
Atqui talis Vir est *rex optimus*:
Ergo talis Vir est ingens Cœli donum:
Vel, *Ergo aliquod ingens cœli donum est talis Vir.*

Talis Vir est *rex optimus*:
Atqui omnis *Rex optimus* est ingens Cœli donum:
Ergo aliquod ingens Cœli donum est talis Vir:
Vel, *Ergo talis Vir est ingens Cœli donum.*

II. Utrumque præmissarum extremum posse rectè subjici & prædicari in conclusione, per se est evidens: modo sua servetur utrique conveniens extensio. Docuit autem Aristoteles, per suos quatuor modos directos, quomodo rectè prædicetur *extremum Majoris*, in prima Figura; & per suos quinque indirectos modos, quomodo rectè prædicetur *extremum Minoris* in eadem Figura. Atque ita, per solam

Præmissarum transpositionem, Modi directi mutantur in modos indirectos; verbi gratia, Barbara in *Baralip*; Celarent in *Celantes*; Darii in *Dabitis*; Ferio in *Fimseso* & in *Fapesmo*: ut videre est in præcedentibus Figurarum exemplis.

Possibilitatem ergo & inutilitatem *Figuræ Galenicæ* præviderat Aristoteles, qui in sua Dialectica videtur Posteritati nihil ultra videndum reliquisse. Simplicitati & concisioni allaboravit Aristoteles, prolixitati & complicationi Galenus. Vasti & potentis ingenii prius est, augusti & impotentis ingenii posterius.

Si fortè quæras cur Aristoteles, primam & quartam Figuram reducendo ad unicam, eam alteri combinationem prætulerit, in qua *medius Terminus* est subjectum Majoris & attributum Minoris: ratio est quia in hac medii termini dispositione, magis naturalis est connexio Conclusionis cum præmissis; fatentibus ipsis Galeni Sectatoribus, qui docent artem & modum reducendi syllogismos in quarta sua figura constructos, ad directos primæ figuræ modos.

REGULÆ FIGURARUM SYLLOGISTICARUM.

275 OBS. Ex tribus syllogismorum figuris, quælibet propriam habet sibi regulam, unico versu expræssam, ut facilius retineatur.

I. In quatuor directis primæ figuræ Modis, in quibus medius Terminus est subjectum Majoris & attributum Minoris: *sit Minor affirmans, Major verò generalis.*

Minor debet esse affirmativa: alioquin conclusio negativa foret; & tunc majus extremum, non adistributum in majore affirmativa, distribueretur in conclusione (262).

Major debet esse universalis, alioquin medius terminus, qui est subjectum Majoris & attributum Minoris, in neutra præmissa distribueretur (216 & 261).

II. In secunda figura, ubi medius terminus est utriusque præmissæ attributum: *Una negans præeat, sed Major sit generalis.*

*

Una præmissarum debet esse negativa: alioquin medius terminus, qui in utra est prædicatum, in neutra distribueretur.

Major debet esse universalis: alioquin, cum conclusio sit negativa, majus Extremum in conclusione distributum, non distribueretur in præmissis (217 & 262).

III. In tertia figura, ubi medius terminus est subjectum utriusque præmissæ: *sit Minor affirmans, Conclusio particularis.*

Minor debet esse affirmans: alioquin conclusio esset negativa; & tunc distribueretur conclusionis attributum, quod non esset distributum in majore affirmativa.

Conclusio debet esse particularis: si enim foret universalis, ipsius subjectum sumeretur universaliter; licet sumptum sit particulariter in Minore affirmativa cujus est attributum. Q. E. D.

276. ADN. Per triplicem istam regulam, facile determinabis quot sint possibiles in qualibet figura, modi syllogismorum. Duodecim sunt duntaxat propositionum combinationes, quæ rectam possint parere conclusionem, quæ rectum possint constituere syllogismi modum: illæ scilicet quæ hic subjiciuntur oculis (272). Porro, ex duodecim illis combinationibus, multæ per quamlibet regulam præcedentem excluduntur (274). Solæ igitur illæ supererunt cuilibet figuræ, quas nulla pars hujus regulæ proscribet. Verbi gratia,

A A A, A A I, A E E,
A E O, A I I, A O O,
I A I, I E O, E A E,
E A O, E I O, O A O.

I. In *prima Figura*, Modi directi possibiles limitantur ad quatuor istos: Barbara, Celarent, Darii, Ferio. Nam,

Pars prior Regulæ, quæ jubet Minorem esse afirmativam excludit Modos, AEE, AEO, AOO, IEO.

Pars posterior ejusdem regulæ, quæ jubet Majorem esse universalem, excludit Modos, IAI, IEO, OAO.

Prætereà, Modus AAI excluditur ab hac Figura, quatenus inclusus in modo *Barbara*; & modus EAO quatenus inclusus in modo *Celarent* (272). Unde, si ex duodecim demas octo, supersunt quatuor; nec plures, nec pauciores.

II. In *secunda Figura*, Modi possibiles limitantur etiam ad quatuor istos: Cesare, Camestres, Festino, Baroco. Nam,

Pars prior Regulæ, quæ jubet unam præmissarum esse negativam, excludit Modos, AAA, AAI, AII, IAI.

Pars posterior ejusdem regulæ, quæ jubet Majorem esse universalem, excludit Modos, IAI, IEO, OAO.

Prætereà, Modus EAO excluditur ab hac Figura quia recidit in *Cesare*, & modus AEO quia recidit in *Camestres*: nam quoties minor est universalis in hac Figura, toties conclusio potest esse universalis. Unde, ex duodecim si demas octo, supersunt quatuor, nec plures, nec pauciores.

III. In *tertia Figura*, Modi possibiles limitantur ad Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison. Nam,

Pars prior Regulæ, quæ jubet Minorem esse affirmativam, excludit Modos AEE, AEO, AOO, IEO.

Pars posterior ejusdem regulæ, quæ jubet conclusionem esse particularem, excludit Modos AAA & EAE. Unde, ex duodecim si demas sex, supersunt sex, nec plures, nec pauciores.

Unde, in tribus Figuris, Modi directi possibiles extenduntur & limitantur ad quatuordecim: quibus si addas indirectos quinque primæ Figuræ modos, habebis *novemdecim Syllogismorum Modos*; quibus nulli possunt adjici, qui non sint aut pravi aut inutiles.

REDUCTIO SYLLOGISMORUM.

277. OBS. *Reductio Syllogismorum*, est ars scientifica reducendi omnes syllogismorum modos ad *quatuor Modos directos primæ figuræ*; in quibus facillimè deprehenditur connexio conclusionis cum præmissis, propter terminorum dispositionem magis naturalem.

Quanquam nihil utilitatis habet in communi philosophandi usu hæc syllogismorum reductio; illam tamen exhibendam esse censuimus: ne inde manca & mutila videretur scholastica hæc Philosophia quibusdam ingeniis, quibus res magni momenti videri possent ingeniosæ illæ subtilitates. Multum difficultatis & obscuritatis habere solet ubique hæc syllogismorum reductio: sed illam ita planam reddidimus per præcedentes syllogismorum figuras, ut nihil jam exigat nisi levem mentis attentionem; qua *Figuris illis* oculo subjectis applicentur, quæ nobis hic breviter observanda & præcipienda sunt.

I. Syllogismorum *quatuor Modi directi* primæ figuræ, incipiunt à quatuor primis consonantibus BCDF: per easdem Consonantes incipiunt omnes *alii quindecim Modi*, qui reducendi sunt quisque ad eum primæ figuræ modum quem indicat initialis sua Consonans.

Verbi gratia, *Baralip* reducetur ad Barbara, *Camestres* ad Celarent, *Darapti* ad Darii, *Fimseso* ad Ferio; & sic de aliis.

II. In quolibet *artificiali vocabulo*, aliquem syllogismi modum exprimente, notandæ sunt quædam consonantes intra ipsum insertæ. Ex illis consonantibus SPMC, quælibet indicat quid mutationis fieri debeat in vocali ipsam præcedente, aut potius in propositione per hanc vocalem præcedentem designata. Verbi gratia,

Littera S significat propositionem debere converti simpliciter (235): littera P significat propositionem debere converti per accidens; id est, fieri ex particulari universalem aut ex universali particularem: littera M significat propositionem debere transponi; id est, ex majore fieri minorem aut ex minore majorem: littera C significat non posse simpliciter & directè reduci Modum in quo reperitur; sed eum modum posse reduci *per impossibile*; scilicet reducendo Adversarium ad concedendum duas contradictorias esse simul veras: quod est impossibile. Quatuor illæ significationes menti & oculo sistuntur duplici hoc Versu thecnico:

S vult simpliciter verti: P verò per accid:
M vult transponi: C per impossibile duci.

278. PROBLEMA I. *Reducere quinque Modos indirectos primæ figuræ, ad quatuor directos ejusdem figuræ Modos.*

SOLUTIO. Si, concessis duabus Præmissis unius syllogismi in Modo aliquo indirecto constructi, negetur tibi conclusio: syllogismum hunc reduces ad Modum directum ipsi correspondentem, faciendo in qualibet ipsius propositione eam mutationem quæ per consonantes modò indicatas præscribitur. Verbi gratia,

I. Modus indirectus *Baralip*, quem prima ipsius littera monet esse convertendam in Modum directum *Barbara*, unicam exigit in sua tertia propositione mutationem, per consonantem P indicatam.

Convertatur ergo per accidens tertia hæc propositio, ita ut ex particulari fiat universalis: atque ita habebitur directus in Barbara syllogismus; cujus conclusio universalis evidenter vera importabit veritatem suæ Particularis, à qua importabitur veritas conclusionis tibi negatæ (219 & 237).

II. Modi indirecti *Celantes* & *Dabitis*, quos prima sua littera monet esse convertendos, alium in *Celarent* & alium in *Darii*, unicam etiam exigunt in sua tertia propositione mutationem, per litteram S indicatam.

Convertatur ergo simpliciter utraque hæc tertia propositio; & directus utrinque habebitur syllogismus, alius in *Celarent* & alius in *Darii*. Utriusque hujus syllogismi directi evidenter vera conclusio importabit veritatem conclusionis tibi negatæ: quia in conversione simplici, eadem est propositioni convertendæ & propositioni conversæ veritas (236).

III. Modus indirectus *Fapesmo*, in *Ferio* reducendus, triplicem exigit mutationem, per consonantes PSM indicatam. 1. Exigit ut major transeat in locum minoris & minor in locum majoris, quod præscribit littera M. 2. Exigit

ut major convertatur per accidens, quod præscribit littera P. 3. Exigit ut minor convertatur simpliciter, quod præscribit littera S.

Quæ tria si fiant, habebitur directus iste in Ferio syllogismus, cujus conclusio jam per se evidens, est illa ipsamet conclusio quæ tibi fuerat negata: (nullum *animal* est planta: sed aliquod Vivens est *animal*: ergo aliquod vivens non est planta).

IV. Modus indirectus *Fimseso*, in *Ferio* reducendus, exigit triplicem similiter mutationem, per consonantes SMS indicatam. 1. Exigit ut major transeat in locum minoris & minor in locum majoris, quod præscribit littera M: 2. Exigit ut duæ præmissæ convertantur quælibet simpliciter, quod præscribunt duæ litteræ S quæ sequuntur vocales I & E.

Quæ tria si fiant, habebitur directus iste in Ferio syllogismus, cujus conclusio jam per se evidenter vera erit illa ipsamet conclusio quæ tibi fuerat negata: (nullum *animal* est planta: sed aliquod Vivens est *animal*: ergo aliquod vivens non est planta).

279. PROBLEMA II. *Reducere Modos secundæ & tertiæ figuræ, exceptis Baroco & Bocardo, ad quatuor directos primæ figuræ Modos.*

SOLUTIO. Fiet omnis illa reductio facillimè; si fiat in quolibet modo ea mutatio quæ præscribitur per consonantes SPM: ut in præcedenti problemate explicuimus. Verbi gratia,

In secunda figura, modus *Cesare*, ad modum *Celarent* reducendus, exigit suam majorem simpliciter converti: modus *Camestres* ad eumdem primæ figuræ modum reducendus, exigit suam majorem transponi in locum minoris, & suam minorem suamque consequentiam simpliciter converti.

In tertia figura, modus *Darapti*, in modum *Darii* convertendus, exigit suam minorem converti per accidens:

modus *Ferison*, in modum *Ferio* convertendus, exigit suam minorem converti simpliciter; & sic de aliis.

In his omnibus reductionibus, evidenter vera fiet conclusio quæ negata fuisset ut falsa: quod fortè nunquam accidet.

280. PROBLEMA. III. *Modos Baroco & Bocardo reducere indirectè in modum Barbara, per Reductionem ad impossibile.*

SOLUTIO. Si concessis præmissis syllogismi in Baroco aut in Bocardo constructi, negetur conclusio: assumatur contradictoria conclusionis negatæ, quæ fiet minor in Baroco, & major in Bocardo. Atque ita directus utrinque habebitur in Barbara syllogismus, cujus conclusio erit evidens; & cujus duæ præmissæ nullatenus poterunt ab Adversario contradici. Nam una ex præmissis jam concessa est ab Adversario; & altera est conclusionis ab ipso negatæ contradictoria, quæ vera est necessario, si negata conclusio sit falsa (229). Verbi gratia,

I. Si quis, concessis præmissis Syllogismi præcedentis in Baroco constructi (*), neget mihi hanc conclusionem (ergo aliquis zelus non est virtus): assumam hujus conclusionis negatæ contradictoriam, quæ erit hæc propositio *omnis zelus est virtus*; & substituam illam minori ejusdem syllogismi in hunc modum:

Omnis *virtus* est prudens:
Sed omnis zelus est *virtus*:
Ergo omnis zelus est prudens.

Quo peracto, habeo constructum in Barbara Syllogismum, cujus conclusio evidenter fluit ex duabus præmissis quibus contradicere non potest Adversarius. Stante autem conclusione illa, ad *alterutrum istud incommodum* reducitur Adversarius: vel ut acquiescat conclusioni ab ipso

(*) NOTA. Vide, in Pagina 240, syllogismum in *Baroco* constructum; & subinde, syllogismum constructum in *Bocardo*: utrumque per impossibile reducendum.

negatæ; vel ut fateatur veras esse simul duas contradictorias quibus asseritur omnem zelum esse prudentem & aliquem zelum non esse prudentem.

II. Si quis, concessis præmissis syllogismi præcedentis in Bocardo constructi, neget mihi hanc conclusionem (ergo aliqua effervescentia Religionis non est virtus): assumam similiter hujus conclusionis contradictoriam, quæ majori ejusdem syllogismi à me substituetur in hunc modum:

Omnis *effervescentia Riligionis*, est virtus:
Sed omnis zelus est *effervescentia Religionis*:
Ergo omnis zelus est virtus.

Quo peracto, habeo syllogismum in Barbara constructum, cujus conclusio evidenter fluit ex duabus præmissis quibus refragari nullo modo potest Adversarius. Stante autem conclusione illa, cogitur Adversarius, vel acquiescere conclusioni ab ipso negatæ; vel fateri simul verum esse, quod omnis zelus sit virtus & quod aliquis zelus non sit virtus: quod est reduci ad impossibile.

VIS ET NATURA CONCLUSIONIS.

281. ASSERTIO. I. *In omni recto & legitimo Syllogismo, ex duabus præmissis veris non potest fluere Conclusio quæ sit propositio in se falsa.*

DEM. Syllogismus omnis rectus & legitimus, vel est affirmativus, vel est negativus.

I. In omni syllogismo affirmativo, cujus præmissæ sunt veræ; duæ ideæ objectivæ conveniunt cum una tertia idea objectiva; atqui quando duæ ideæ objectivæ conveniunt cum tertia eadem idea objectiva, tunc necesse est illas convenire inter se; ac proinde veram esse conclusionem quæ hanc enuntiat convenientiam (258).

II. In omni syllogismo negativo, cujus præmissæ sunt veræ, ex duabus ideis objectivis una convenit & altera non convenit cum una tertia idea objectiva: atqui, quando ex

duabus ideis objectivis una convenit & altera non convenit cum tertia eadem idea objectiva, tunc necesse est illas non convenire inter se; ac proinde veram esse conclusionem quæ hanc negat convenientiam.

Ergo in omni recto & legitimo syllogismo, ex præmissis in se veris nunquam potest fluere conclusio quæ sit propositio in se falsa. Q. E. D.

282. ASSERTIO. II. *In recto & legitimo Syllogismo, ex præmissis quarum alterutra aut utroque est falsa, potest aliquando fluere Conclusio quæ sit propositio in se vera: nec inde tamen sequitur ex Falso fluere Verum.*

DEM. Rectus & legitimus ille syllogismus potest esse, vel affirmativus, vel negativus: in priore affirmatur & in posteriore negatur extremorum, cum medio termino comparatorum, convenientia.

I. Fieri potest ut convenientia duarum idearum objectivarum, quæ inter se sunt comparandæ, sit independens ab ipsarum convenientia cum *tali tertia idea objectiva* quam utraque successive comparatur in præmissis. Nam, quæ sunt eadem inter se, non idcirco sunt eadem cum tali tertio: verbi gratia, ex eo quod homo & animal rationale sint quid idem inter se, non sequitur quod sint quid idem cum formica.

Ergo ex eo quod falsum sit *Extrema* habere eam convenientiam quam dicuntur habere cum *medio Termino*; non sequitur falsum esse quod illa extrema conveniant inter se. Ergo in recto & legitimo syllogismo affirmativo, qualis est sequens iste in *Barbara* syllogismus, ex præmissis quarum alterutra vel utraque est falsa, sequi aliquando potest conclusio quæ sit propositio in se vera.

Omnis *formica* est animal rationale:
Sed omnis homo est *formica*:
Ergo omnis homo est animal rationale.

II. Fieri potest ut disconvenientia duarum idearum objectivarum, sit independens à convenientia unius & discon-

venientia alterius cum *tali tertio idea objectiva*. Verbi gratia, Canis & Equus possunt disconvenire inter se; licet falsum sit quod unus conveniat, dum alter disconvenit cum homine.

Ergo ex eo quod falsum sit unum ex Extremis carere ea convenientia aut disconvenientia quæ ipsi attribuitur in præmissis; non sequitur falsum esse quod extrema illa disconveniant inter se. Ergo in recto & legitimo syllogismo negativo, qualis est sequens iste in *Celarent* syllogismus, ex præmisssis quarum alterutra aut utraque sit falsa, sequi aliquando potest conclusio quæ sit propositio in se vera.

Nullus *homo* est equus:
Sed omnis canis est *homo*:
Ergo nullus canis est equus.

II. Non inde tamen sequitur *ex Falso fluere Verum*: quia veritas conclusionum ex præmissis falsis rectò fluentium, nec continetur in præmissis, nec infunditur per præmissas, nec detegitur ope præmissarum.

In syllogismo recto & legitimo, cujus præmissæ sunt in se veræ & per se evidentes, supponitur existere in præmissis, & in præmissis per cognitionem intuitivam videri, ea extremorum cum medio termino convenientia aut disconvenientia, quæ inde in ipsamet inter se extrema refunditur per cognitionem discursivam. Atque ita, fluere intelligitur veritas conclusionis, ex præmissis in quibus implicitè saltem existebat, & in quibus fuit immediatè cognita, in ipsam conclusionem: in qua ignota erat hæc veritas ante comparationem utriusque extremi cum medio termino; & in qua, post illam comparationem, jam demonstrativè videtur (253).

Contra verò, in syllogismo recto & legitimo, cujus præmissæ sunt falsæ, supponitur non existere in præmissis, ac proinde non cognosci in præmissis, illa extremorum inter se convenientia aut disconvenientia, quæ enuntiatur in conclusione. Quomodo ergo, aut deprehendetur in præmissis, per cognitionem intuitiyam; aut ex præmissis in conclusionem refundetur, per cognitionem discursivam, illa extremorum inter se convenientia aut disconvenientia?

Si ergo fluat aliquando ex præmissis falsis conclusio in se vera: ex talibus præmissis fluit, quatenus propositio talem habens cum illis connexionem, non quatenus propositio ullam ab illis veritatem aut veritatis notam hauriens.

In syllogismo recto & legitimo, ex præmissis veris fluit *Conclusio absolutè vera*: ex præmissis falsis non fluit nisi *Conclusio hypotheticè vera*; seu conclusio quæ erit necessario vera, si utraquæ præmissa supponatur in se vera; sed quæ in se poterit esse vera aut falsa, si aliqua præmissisa sit in se falsa. Unde in tali syllogismo, veritas præmissarum importat necessario veritatem conclusionis: sed veritas conclusionis non importat necessario veritatem præmissarum. Q. E. D.

283. ASSERTIO. III. *Dato Præmissis syllogismi legitimi assensu, & illo assensu perseverante: ad Conclusionem legitimam necessitatur Intellectus, tum necessitate contrarietatis, tum necessitate contradictionis.*

DEM. Intellectus non potest simul assentiri & dissentiri eidem, dum videt & judicat idem. Dum autem assentitur præmissis Intellectus, assentitur simul & ipsi conclusioni, quæ saltem implicitè continetur in præmissis: non potest ergo conclusioni assensum denegare, ubi dat assensum præmissis.

Necessitatur igitur ad conclusionem Intellectus, tum *necessitate contrarietatis*, in eo sensu quod non possit elicere judicium conclusioni ex præmissis fluenti contrarium; tum *necessitate contradictionis*, in eo sensu quod non possit conclusioni non assentire, seu quod non possit suum conclusioni assensum impedire & inhibere. Q. E. D.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE SYLLOGISMO COMPLICATO.

Syllogismi complicati nomine intelligimus, syllogismum conditionalem syllogismum disjunctivum, syllogismum conjunctivum, syllogismum dilemmaticum. Soritem seu Gradationem, & Inductionem (255).

SYLLOGISMUS CONDITIONALIS.

284. DEF. *Syllogismus conditionalis* est ille cujus major est propositio conditionalis (245). Duplici modo confici potest syllogismus conditionalis: scilicet,

Vel affirmando Antecedens in minori, & Consequens in conclusione, in hunc modum; (*si peccatores sua pœna manet, peccatum est vitandum: atqui peccatores sua pœna manent: ergo peccatum est vitandum*).

Vel negando Consequens in minori; & Antecedens in conclusione, in hunc modum: (*si quis Electorum perit, fallitur Deus: atqui non fallitur Deus: ergo nullus Electorum perit*).

In hujusce modi argumentationibus, Major vocari solet *Sequela majoris*; & quoties negatur Consequens in minore, sic exprimi solet minor: falsum consequens, ergo & antecedens.

285. REGULA UNICA. Ut rectus & legitimus sit Syllogismus conditionalis:

I. *Quando affirmabitur Antecedens in minore, affirmetur Consequens in conclusione.*

II. *Quando negabitur Consequens in minore, negetur Antecedens in conclusione.*

DEM. In Propositione conditionali, existere supponitur indefectibilis connexio inter Antecedens & Consequens: ita

ut posito antecedente, semper ponatur indefectibiliter consequens. Unde,

I. Ubi affirmabitur Antecedens in minore ut verum; affirmari ut verum debebit Consequens in conclusione. Ratio est, quia veritas prioris importat indefectibiliter veritatem posterioris.

II. Ubi negabitur Consequens in minore, ut falsum; negari ut falsum debebit Antecedens in conclusione. Ratio est quia, deficiente Consequente, deficit & Antecedens cum ipso indefectibiliter connexum; juxta suppositionem. Q. E. D.

286. ADN. Duplici modo vitiosus esse potest Syllogismus conditionalis.

I. Vitiosus erit; *si ex afirmatione Consequentis, inferatur affirmatio Antedentis*, ut in hoc syllogismo: (si cani meo amputatum est caput, vivere desiit canis meus: atqui vivere desiit canis meus: ergo amputatum est illi caput).

Vitium inde est, quod possit esse Consequens sine Antecedente; licet non possit esse antecedens sine consequente: non reciproca est inter utrumque connexio. Cani meo non potuit amputari caput, quin vivere desierit: sed fieri potuit ut vivere desierit, sine tali capitis amputatione.

II. Vitiosus etiam erit; *si ex negatione Antecedentis, inferatur negatio Consequentis*; in hunc modum: (si Petrus est furti reus, dignus est pœna infamante: atqui Petrus non est furti reus, ergo non dignus est pœna infamante).

Vitium inde est, quod sublato Antecedente, non semper tollatur Consequens, cui alia potest esse causa. Sic Petro furti non reo alia potest esse pœnæ infamantis causa, nempè homicidium.

SYLLOGISMUS DISJUNCTIVUS.

287. DEF. *Syllogismus disjunctivus* est ille cujus major est propositio disjunctiva. Hujus autem propositionis ea est na-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tura, ut pro attributo habeat multa membra in eodem subjecto incompatibilia: ita ut uno membro existente in aliquo subjecto, alia membra ab ipso excludi necesse sit (242).

288. REG. UNICA. Ut rectus & legitimus sit syllogismus disjunctivus, necessario requiritur:

I. *Ut nullum omnino detur medium, inter varia disjunctionis membra:*

II. *Ut aliquod ex illis membris conveniat subjecto propositionis disjunctivæ:*

III. *Ut conclusio sit affirmativa, si minor est negativa; & ut negativa sit conclusio, si affirmativa est minor.*

DEM. I. Necesse est ut nullum detur medium inter varia disjunctionis membra: alioquin fieri poterit ut subjectum sit idipsum quod mediat inter varia disjunctionis membra. Sic vitiosus erit iste syllogismus conjunctivus: (Cicero erat vel ex ordine senatorio, vel ex ordine plebeio: atqui non erat ex ordine plebeio: ergo erat ex ordine senatorio). Inter utrumque disjunctionis membrum mediabat ordo equestris, ex qua erat Cicero.

II. Necesse est ut aliquod ex variis disjunctionis membris conveniat subjecto. Alioquin medium aliquod dabitur inter membra disjunctionis: subjectum enim habet necessario aliquem existendi modum sibi proprium. Sic vitiosus est iste syllogismus disjunctivus: (Deus est vel corpus finitum, vel corpus infinitum: atqui Deus non est corpus finitum: ergo Deus est corpus infinitum).

III. Necesse est ut, si una pars disjunctionis negetur in minore, altera affirmetur in conclusione, & vice versa.

Ratio est, quia ex incompatibilibus disjunctionis membris, ubi unum est in subjecto, alterum ab ipso necessario excluditur; & ubi unum abest à subjecto, alterum ipsi necessario inest: alioquin daretur aliquod inter membra disjunctiva medium; quod est contra suppositionem. Q. E. D.

SYLLOGISMUS CONJUNCTIVUS.

289. DEF. *Syllogismus conjunctivus* est ille cujus major est propositio conjunctiva & negativa. Hujus autem propositionis ea est natura, ut in attributo suo conjungat duo incompatibilia, & neget duo illa existere simul posse in eodem subjecto: ita ut uno conjunctionis membro existente in subjecto, alterum ab ipso excludi necesse sit (243).

290. REG. UNICA. Ut rectus & legitimus sit syllogismus conjunctivus: *requiritur unum indiferenter conjunctionis membrum affirmari in minore, & alterum negari in conclusione.*

DEM. I. In syllogismo conjunctivo, minor debet esse affirmativa: alioquin, cum major sit negativa, duabus negativis constaret ille syllogismus; & nihil inde posset concludi (264). Hinc vitiosum est istud ratiocinium: (homo non potest servire Deo & Mammonæ: sed Prodigus non servit Mammonæ: ergo Prodigus servit Deo).

Duo contraria possunt simul abesse ab eodem subjecto: ergo ex eo quod unum absit ab ipso, non sequitur alterum illi inesse.

II. In syllogismo conjunctivo, conclusio debet esse negativa: quia, cum duo incompatibilia non possint simul existere in eodem subjecto, ubi unum ex illis in eo existit, uti affirmatur in minore; alterum ab ipso necesse est abesse, quod exprimere debet conclusio negativa. Q. E. D.

SYLLOGISMUS DILEMMATICUS.

291. DEF. *Dilemma* est ratiocinium duobus plerumque constans membris, quibus utrinque ita premitur Adversarius; ut quidquid concedat aut neget, in ipsius cedat detrimentum: inde *Argumentum cornutum* vulgo nuncupatur. Ratiocinio dilemmatico sic probabis dari omnibus hominibus Media ad salutem obtinendam necessaria.

Si Deus non daret omnibus hominibus media ad salutem obtinendam necessaria; vel quia non vellet, vel quia non posset:

Atqui neutrum dici potest: non prius, si quidem est optimus; non posterius, si quidem est omnipotens:

Ergo Deus dat omnibus hominibus Media ad salutum obtinendam necessaria.

In hoc syllogismi dilemmatici exemplo, observabis majorem esse propositionem conditionalem, cujus Consequens est propositio disjunctiva.

292 REG. UNICA. Ut rectus & legitimus sit Syllogismus dilemmaticus, requiritur.

I. *Ut nullum omnino medium detur inter diversa Consequentis disjunctivi membra:*

II. *Ut Antecedens habeat certam & indubitabilem Connexionem cum suo Consequente.*

DEM. I. Patet pars regulæ prior: si enim detur aliquod medium inter diversa argumenti cornuti membra, premendo Adversario datur inde effugium (287).

II. Patet etiam pars regulæ posterior: si enim ex posito Antecedente non sequatur indefectibiliter Consequens; negata inductione, invictus stat Adversarius. Q. E. D.

SORITES, INDUCTIO, CONCLUSIONES ASSYLLOGISTICÆ.

293. DEF. I. *Sorites*, qui etiam vocatur *Gradatio*, est raciocinium ex multis constans propositionibus ita inter se per quandam gradationem connexis, ut attributum propositionis præcedentis fiat subjectum propositionis sequentis; donec attributum ultimæ, possit evidenter attribui subjecto primæ. Verbi gratia, hoc Sorite demonstrabis nullam includi repugnantiam in Ente infinite sapiente & potente.

Ens aliquod infinitè sapiens & potens, Orbem regit & movet:
Quod Orbem regit & movet, agit:
Quod agit, existit:
Quod existit, est possibile:
Quod est possibile, non repugnat.
Ergo, à primo ad ultimum, Ens aliquod infinite sapiens & potens non repugnat.

Syllogismi gradativi *Regula unica* hæc erit: scilicet ut *Ideæ intermediæ*, quibus prima propositio ultimæ ligatur, ita inter se connectantur; ut ex præcedente semper fluat evidenter ea quæ sequitur.

294. DEF. II. *Inductio* est ratiocinium in quo, ex enumeratione singulorum, concluditur ad universalitatem. Tale est istud ratiocinium: ab occidente ad orientem, circa Solem moventur Mercurius, Venus, Terra, Mars, Jupiter, Saturnus: ergo ab occidente ad orientem moventur circa Solem, omnes nostri Planetæ principales.

In iis quæ sunt accidentalia rebus, rarissimè possibilis est; in iis quæ rebus sunt essentialia, semper inutilis est Inductio: unde, nullius propè est usus in Dialectica, istud ratiocinii genus.

295. DEF. III. *Conclusiones assyllogisticæ* sunt quædam conclusiones in se rectæ & legitimæ, quæ videntur ab omnibus syllogismi regulis independentes.

Talis est ista, quæ ducitur *à recto ad obliquum*: (Christus est filius Dei: ergo mater Christi est mater Dei).

Talis est & ista, quæ ducitur ab *inversione Relationis*: (si David est pater Salomonis, ergo Salomon est filius Davidis).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

PARAGRAPHUS TERTIUS.

DE VITIIS SYLLOGISMI.

296. OBS. Vitiosus est ille omnis syllogismus, cujus conclusio non fluit ex præmissis: sive bona, sive mala fide, fiat talis syllogismus; qui inde erit vel Paralogismus, vel Sophisma: ut superius observatum est (22).

Paralogismo & Sophismati causa esse solent plurimæ *Illusionis species*: quarum præcipuas observabimus & detegemus, ut inde præcaveri & vitari discantur omnes.

(297). EXEMPLUM I. *Illusio Æquivocationis.*

EXPL. Æquivocatio est: quando vox unica quæ multiplicem habet significationem, modo in uno, modo in altero accipitur sensu. In syllogismo ubi ponitur *Vox æquivoca*; quatuor ipsi dat terminos, ipsumque reddit vitiosum, in hunc modum: (omnis Taurus est animal quadrupes: sed aliqua Constellatio cœlestis est Taurus: ergo aliqua constellatio cœlestis est animal quadrupes).

In rebus materialibus rarus est, in rebus moralibus frequentissimus est Æquivocationi locus.

298. EXEMPLUM II. *Illusio Compositionis & Divisionis.*

EXPL. Locum habet hæc illusio: quando conjunctim accipiuntur, quæ debent accipi divisim, ut vera sint; & vice versa, quando divisim assumuntur, quæ, ut vera sint, debent conjunctim assumi.

I. Sic vitiosus est iste syllogismus: (duo & tria sunt numerus par & impar: sed quinque sunt duo & tria: ergo quinque sunt numerus par & impar).

In hoc syllogismo vitioso, medium terminum (*duo & tria*) accipit in sensu diviso major, in sensu composito minor.

II. Sic etiam vitiosus est iste syllogismus: (juxta Evangelium, Cæci sunt videntes: sed cæci sunt incapaces vivendi: ergo incapaces videndi, sunt videntes).

In vitioso hoc syllogismo, medium terminum (*Cæci*) in sensu diviso accipit major, in sensu diviso minor. Juxta Evangelium, cæci qui per miraculum à sua cæcitate sunt sanati & facultate visiva donati, sunt videntes: ecce tibi sensum majoris. Juxta Rationem, cæci quibus sua semper remanet cæcitas, sunt incapaces videndi: ecce tibi sensum minoris.

III. Sic denique vitiosus est iste syllogismus: (Apostoli Christi fuere duodecim Hebrei: sed divus Petrus & divus Paulus fuere Apostoli Christi: ergo divus Petrus & divus Paulus fuere duodecim Hebræi):

Vitium hujus argumenti in eo est positum, quod medium terminum (*Apostoli Christi*) in sensu collectivo sumat major, in sensu distributivo minor.

299. EXEMPLUM III. *Transitus ab uno ad alium ejusdem Rei statum.*

EXPL. Locum habet hæc illusio: quando res de qua agitur, spectatur, modo in uno, modo in alio statu, ubi diversa est.

Tale est istius ratiocinii vitium: (manducasti hodie, quod heri venando occidisti: atqui heri venando occidisti perdicem incoctam: ergo hodie perdicem incoctam manducasti).

Tale est & istius vitium ratiocinii: (Homo, in statu abstractionis spectatus, nullius est determinatæ figuræ, nullius determinati coloris, nullius determinatæ indolis, utpote ab omnibus suis proprietatibus individualibus per ideam præcisivam abstractus: ergo homo in statu reali spectatus, ubi suis proprietatibus individualibus induitur, nullius similiter erit determinatæ figuræ, nullius determinati coloris, nullius determinatæ indolis).

Ultimo hoc vitio totum ineptè & absurdè constat

Spinosæ Systema: in quo, ab ideali Substantiæ abstractæ statu, ad realem substantiæ non abstractæ statum concluditur; ut subinde explicabitur & demonstrabitur.

300. EXEMPLUM IV. *Acceptio non Causæ, pro Causa.*

EXPL. Locum habet hæc illusio: quando affertur tam quam causa alicujus rei, aliquid quod illius nullatenus est causa. Tale est vitium istorum ratiociniorum. (Bella nunc geruntur, quia nuper apparuit talis Cometa: ultima Veneris die, multam ludendo pecuniam amisi; quia mihi funesta est illa Veneris dies: ab occidente ad orientem moventur Planetæ, quia existit vis in Orbe magnetica).

Pro causa belli existentis, pecuniæ amissæ, motus planetarum, accipiuntur res concomitantes, quæ nullo modo sunt causæ illorum effectuum. Inde istud Dialecticæ Adagium: *hoc & hoc; sed non hoc propter hoc.*

301. EXEMPLUM. V. *Mutatio Theseos; seu ignoratio Elenchi.*

EXPL. Locum habet hæc illusio: quando ex ignorantia rei probandæ aut impugnandæ, probatur id quod non incumbit probandum; vel impugnatur id quod non occurrit impugnandum: ut quando, negata majore, probatur minor; vel quando impugnantur tanquam ab Adversario admissa, quædam principia aut quædam facta quæ ab ipso non admittuntur; & vice versa, quando probantur contra Adversarium, quædam principia aut facta quæ supponuntur ab ipso negari, dum ab ipso revera non negantur.

302. EXEMPLUM VI. *Petitio Principii.*

EXPL. Locum habet hæc illusio: quando assumitur pro *Medio probationis*, id ipsum quod est probandum; vel quando datur pro *Definitione rei*, id ipsum quod est in re definiendum.

I. Priore hujus illusionis vitio laborat istud ignaræ Plebis ratiocinium: *Sol realiter locum mutat, ergo movetur.* Hic ineptè supponitur, id ipsum quod foret probandum: scilicet, locum realiter, non vero duntaxat apparenter, mutari à Sole.

Simili vitio laborant plurima Lucretii ratiocinia: verbi gratia, cum probat à Terra olim juniore potuisse grandia parturiri animalia; quia parvuli adhuc vermes à Terra hodie senescente gignuntur.

Supponit in hoc ratiocinio Lucretius, id ipsum quod foret ipsi probandum: scilicet, statum Terræ hodiernum esse statum senectutis; & parvulos hodie ab ipsa gigni vermes, quos non magis per seipsam gignit quam gignit alia omnia animalia ab ovis nascentia.

II. Posteriore hujus illusionis vitio laboraret hæc Aquæ definitio aut descriptio: *Aqua est aggregatum ex elementis aqueis.* Quodlibet enim aquæ elementum suam jam habet naturam aqueam, quæ hic definienda incumbebat.

303. EXEMPLUM VII. *Circuli vitiosi.*

EXPL. Circulus vitiosus est Rationum aut Probationum in seipsas recurrentium, vitiosus circuitus. Locum habet hæc illusio: quando ex duabus rebus in dubium vocatis, prior non probatur nisi per posteriorem; & posterior, per priorem. Hujus modi vitium alibi exhibuimus (71).

At nullum simile vitium est in ratiocinio: quando ex duabus rebus in dubium vocatis à diverso Personarum genere, una probatur per alteram apud diversum illud Personarum genus. Verbi gratia, in dubium vocatur *Existentia Dei*, ab Athæis: in dubium vocatur *Existentia Corporum*, à quibusdam Berkleii & Malebranchii Sectatoribus (119).

Prioribus existentiam Dei, ipsis dubiam, ritè probabis, per *Existentiam Corporum ipsis certam*: posterioribus ritè probabis existentiam corporum, ipsis dubiam, per *existentiam Dei ipsis certam.*

CONCLUSIO GENERALIS.

304. *DIALECTICA, Seu Logica, est scientia propriè & stricte dicta.*

DEM. Dialectica est aggregatum conclusionum scientificarum, ad naturam Perceptionis, Propositionis, Syllogismi, pertinentium; ut patet ex iis omnibus quæ in triplici quæstione præcedente exposita & demonstrata sunt: sed aggregatum conclusionum scientificarum, est scientia proprie & stricte dicta; ut patet ex ipsamet Scientiæ proprie & stricte dictæ idea & definitione (57): ergo Dialectica, seu Logica, est scientia proprie & stricte dicta. Q. E. D.

OBJECTIONES SOLVENDÆ.

Contra varias Dialecticæ sanctiones, ad Perceptionem & ad Propositionem & ad Syllogismum pertinentes, fieri possunt sophismatica quædam argumenta; quorum solutio, quæ nullius est extra Scholas philosophicas utilitatis, aliquam videtur habere in istis scholis utilitatem, ad acuenda & excercenda juniorum Philosophiæ Alumnorum ingenia. Ex sophismaticis illis argumentis præcipua resolvemus, cætera negligemus.

CONTRA REGULAS DEFINITIONIS ET DIVISIONIS.

305. OBJ. I. Idea semper vera est; ergo & semper recta est: ergo inanes sunt regulæ circa Definitionem & Divisionem traditæ.

RES. Concedo ant. & nego utramque consequentiam. Traduntur regulæ circa ideas definientes, verbi gratia, non ut ideæ illæ dirigantur ad veritatem; sed ut dirigantur ad debitam claritatem, ad convenientem extensionem aut restrictionem, ad optimum objecti repræsentandi modum: ita ut objectum definiendum, ope idearum in definitione adhibendarum, & confundatur cum aliis rebus & ab aliis rebus discriminetur, quantum necesse est.

306. INST. Per solam differentiam, exprimitur & manifestatur tota Rei definiendæ natura: ergo definitioni inutile est genus.

RESP. Nego ant. Differentia exprimit hanc rei proprietatem, per quam res discrepat ab omni alia re; non exprimit has rei proprietates, per quas cum aliis rebus confunditur.

Porro, essentia rei definiendæ constituitur, tum per id quod habet commune, tum per id quod habet proprium, res illa: ergo & genus & differentiam in definitione adhiberi necesse est, ut tota rei essentia exprimatur & manifestetur.

307. OBJ. II. Dialectica non potest id dirigere, quod est immutabiliter tale: atqui mentis operationes, sive rectæ, sive pravæ, sunt immutabiliter tales: ergo Dialectica non potest dirigere mentis operationes, sive rectas sive pravas. Patet minor: nam prava definitio aut divisio non potet in rectam immutari: prava conclusio non potest fieri recta; sicut recta non potest fieri prava.

RESP. Dist. maj. Dialectica non potest id dirigire, quod est immutabiliter tale; præcipiendo ut operatio in se prava immutetur in rectam, per mutationem formæ quæ ipsi est essentialis, concedo maj.: præcipiendo ut loco pravæ operationis, producatur operatio recta, nego maj.; & concessa minore, nego consequentiam (104).

CONTRA REGULAS SYLLOGISMI.

308. OBJ. III. In demonstranda prima Syllogismi regula, admittitur circulus vitiosus; demonstratur enim syllogismum debere tribus constare terminis, per syllogismum

tribus terminis constantem: ergo nulla est illarum regularum demonstratio (302).

RESP. Nego ant. Solo Logicæ naturalis lumine concipimus & demonstramus, rectum omnem syllogismum debere tribus constare terminis. Fieri equidem potest illa demonstratio, per syllogismum tribus constantem terminis: sed ita tamen ut vim suam non trahat illa demonstratio, à numero suorum trium terminorum, sed ab ipsomet rationis lumine, illud syllogismi artificium approbante & præscribente.

Demonstramus syllogismum debere tribus præcisè terminis constare, non ope alicujus syllogismi præexistentis, cujus præsupponatur veritas; sed ope solius Rationis naturalis, qua irradiati evidenter concipimus omnem & solam legitimam esse conclusionem quæ asserit, aut duo inter se identificari, ex eo quod identificentur cum uno tertio; aut duo inter se esse distincta, ex eo quod ex illis unum identificetur & alterum non identificetur cum uno tertio.

Hinc Logica naturalis, seu simplex Rationis lumen, est *Medium* ad Logicam artificialem: ipsa vero Logica artificialis est Medium ad alias Scientias; medium quidem valde utile, sed non absolute necessarium.

Similiter datur *definitio Definitionis*, & demonstratur qualis debeat esse recta omnis definitio; non vi præexistentis alicujus definitionis, cujus præsupponatur rectitudo; sed vi solius luminis naturalis, quo docemur talem esse debere rectæ definitionis naturam.

309. INST. Evidenter falsa est prima syllogismi regula, in hoc syllogismo tribus tantum terminis constante:

Omne *secundum* sequitur immediate primum:
Sed omne tertium sequitur immediatè *secundum*:
Ergo omne tertium sequitur immediate primum.

RESP. Nego ant. Quadruplex est in hoc ratiocinio terminus: nam *secundum* in majore, & *sequens immediatè secundum* in minore, sunt duo termini valde diversi.

310. OBJ. IV. Ex variis syllogismi regulis, secunda docet medium terminum debere distribui: octava docet ex duabus particularibus nihil posse concludi. Atqui falsa est utraque hæc regula: nam rectè concluditur in utroque syllogismo sequente, altero in prima & altero in secunda figura.

Aliquod *animal rationale* est amans virtutis:
Sed omnis homo est *animal rationale*:
Ergo aliquis homo est amans virtutis.

Aliquis Homo adorandus fuit *Messias*:
Sed aliquis Hæbreus fuit *Messias*:
Ergo aliquis Hæbreus fuit Homo adorandus.

RESP. Concessa majore, nego min. Ad probationem, dist. ant. Rectè concluditur in utroque hoc syllogismo, vi materiæ, conc. ant.; vi formæ, nego ant. & cons.

Tradit Dialectica generales ratiocinii regulas, quæ in omni materia possibili rectam & legitimam pariant conclusionem. Has si sequare regulas, rectam conclusionem tibi promittit Dialectica, in omni materia possibili: si non sequare, pravam communiter elicies conclusionem; licet aliquando possit illa esse accidentaliter recta, ratione materiæ in ratiocinio tuo adhibitæ.

Quando autem casu accidit ut in aliqua materia particulari eruatur recta conclusio, non abservata illa *Forma syllogistica* quæ præscribitur à Dialectica: tunc illa conclusio non est recta *vi syllogisticæ formæ adhibitæ*; sed vi solius materiæ, quæ minùs aut magis patet quam alia similis materia, eidem formæ syllogisticæ applicabilis (259).

Verbi gratia, in præcedentibus duobus exemplis. homo & animal rationale, homo adorandus & Messias, eamden habent extensionem; & inde fit ut conclusio sit accidentaliter recta *vi materiæ*.

*

At eidem *formæ syllogisticæ* substitue sequentem materiam; & pravas habebis conclusiones. (Aliquod animal sensitivum est amans virtutis, sed omnis lupus est animal sensitivum: ergo aliquis lupus est amans virutis. Aliquis Doctor Sorbonicus fuit mortalis: sed aliqua musca fuit mortalis: ergo aliqua musca fuit Doctor Sorbonicus).

311. OBJ. V. Falsa est quinta syllogismi regula, qua docetur ex duabus præmissis negativis, nullam posse deduci conclusionem legitimam. Evidenter enim recta est istius syllogismi conclusio: (omnis qui non studet, non erit doctus: atqui Petrus non studet: ergo Petrus non erit doctus).

RESP. Rectus est iste syllogismus: quia minor, quamvis apparenter negativa, est tamen aut realiter aut æquivalenter affirmativa. Asserit enim major omni classi non studentium, nullam futuram esse doctrinam; & minor ostendit Petrum esse unum ex individuis in illa classa contentis.

In omni syllogismo, medius terminus debet esse idem in utraque præmissa: detur ergo medius idem terminus utriquę præmissæ; & sic constitutus habebitur ille syllogismus. (Omnis *non studens* non erit doctus: sed Petrus est *non estudens*: ergo Petrus non erit doctus).

CONTRA NECESSITATEM ASSENTIENDI CONCLUSIONI (282).

312. OBJ. VI. Intellectus subjacet imperio voluntatis: ergo, voluntate jubente, potest intellectus datum præmissis assensum denegare conclusioni.

Et confirmatur: tum quia, post datum præmissis assensum potest voluntas intellectum alio avertere, & tunc non elicietur conclusio: tum quia ab illa assensus necessitate sequeretur duplex insignis falsitas: scilicet, actum fidei non esse liberum, ac proinde non esse meritorium,

quod repugnat Fidei; & intellectum posse necessitari ad assentiendum falso, nempe conclusioni in se legitimæ simul & falsæ, quod repugnat rationi.

RESP. Dist. ant. Imperio voluntatis subjacet Intellectus, in rebus dubiis, in rebus duntaxat probabilibus aut verisimilibus, in rebus certis quidem sed obscuris, conc. ant.: in rebus evidentibus, nego ant. & cons. In *rebus evidentibus*, fertur necessario intellectus in assensum, neque penes est voluntatem illius impetum aut inhibere aut aliò detorquere: in *aliis rebus*, potest voluntas inclinare intellectum in eam partem quæ ipsi magis placuerit. Unde, in priore casu intellectus est potentia necessaria; in posteriori, potentia libera. Ad confirmationem:

I. Si quando accidat ut, post datum præmissis assensum, subito & immediatè distrahatur alio intellectus, tunc non habebit assensum perseverantem.

II. Dato assensu præmissis ex quibus rectè fluit *propositio fidei*; necessitatur intellectus ad conclusionem ex illis præmissis fluentem, quatenus est conclusio, non quatenus est propositio.

Verbi gratia, sit iste *in Darapti* syllogismus (Christus est Deus: sed Christus mortuus est pro omnibus hominibus: ergo Deus mortuus est pro omnibus hominibus). Assensus huic conclusioni dandus, quatenus conclusioni, non liber est in syllogismo, post datum præmissis assensum: quia in dato illo præmissis assensu, jam continetur implicitè assensus conclusioni dandus. Liber tamen est assensus hinc conclusioni dandus, quatenus propositioni, extra syllogismum: quia potest intellectus attentionem suam avertere à variis *Credibilitatis motivis*, unde fluxit ipsius assensus præmissis, non obstante mysteriorum ab illis præmissis enuntiatorum obscuritate.

Illa conclusio non admittitur nisi ut hypotheticè vera, in syllogismo: admittitur ut absolutè vera, extra syllogismum. Assensus illi datus in syllogismo, est actus Dialectici ad connexionem conclusionis cum præmissis atten-

dentis: assensus illi datus extra syllogismum, est actus Christiani ad motiva suæ Fidei liberè attendentis. Hypotheticus & necessarius est prioris assensus: absolutus & liber est assensus posterioris, qui est propriè dictus Fidei actus.

III. Intellectus potest necessitari ad assentiendum falso: si quando accidat ut illud falsum sese illi exhibeat sub specie veri; aut ut illud falsum evidenter fluat ex præmissis quas errando judicavit veras. Tum necessitabitur ad assentiendum falso cognito ut vero, non cognito ut falso: quod rationi non repugnat.

313. INST. Voluntas non necessitatur ad bonum aliquod particulare: ergo à pari, non debet Intellectus ad verum aliquod particulare necessitari.

RESP. Concesso antecedente, nego consequentiam & paritatem. In omni bono particulari invenit voluntas aliquam *Mali rationem*, quæ ipsi motivum esse potest ut ab illo prosequendo arceatur. Contra, in quovis vero particulari nullam invenit Intellectus *falsi rationem*, quæ ipsi possit esse motivum ut avertatur ab assensu illi dando.

QUÆSTIO QUARTA.

DE METHODO SCIENTIFICA.

314. DEF. *Methodus scientifica* est ars, aut demonstrandi veritatem jam cognitam; aut detegendi veritatem nondum cognitam.

Ad utrumque hunc finem obtinendum, scilicet, ad demonstrandam veritatem cognitam & ad detegendam veritatem incognitam, duplex adhiberi solet Methodus; alia compositionis, alia resolutionis: prior vocatur *Synthesis*,

seu Methodus synthetica: posterior nuncupatur *Analysis*, seu Methodus analitica.

Unde, tum ad demonstrationem alicujus Theorematis, tum ad solutionem alicujus Problematis, apta & idonea est utraque hæc Methodus, synthetica scilicet & analytica: ut ipso demonstrandæ aut indagandæ veritatis usu quisque docebitur. Quid sit autem & Theorema & Problema paucis accipe.

Theorema est propositio aliqua, cujus simpliciter exigitur demonstratio; cujus veritas unicè incumbit demonstranda.

Problema est aliqua quæstio facta, in qua exigitur ut detur methodus ad aliquid faciendum aut ad aliquid inveniendum; & ut demonstretur certam & infallibilem esse methodum quæ dabitur.

METHODUS SYNTHETICA ET ANALYTICA.

315. EXPL. I. *Methodus synthetica*, à principiis generalissimis & evidentissimis, ad rem demonstrandam aut inveniendam, per continuam conclusionum evidentium seriem, descendendo progreditur: ut videre est in plerisque propositionibus superius demonstratis.

Tum ad demonstrandum Theorema, tum ad solvendum Problema, adhiberi potest hæc Methodus. In utroque autem hoc casu, à principiis notissimis ad demonstrationem Theorematis aut ad solutionem Problematis, quasi per quamdam propositionum evidentium catenam, æqualiter descenditur.

In Methodo synthetica, itur à noto ad ignotum; à partibus cognitis, ad totum cognoscendum. Divisim accipiuntur partes totius; & ex illis separatim cognitis, quodammodo confiatur totum quod fit inde cognitum.

316. EXPL. II. *Methodus analytica* alium eundi & progrediendi modum habet; ab ignoto assurgendo ad notum, tum in demonstrando Theoremate, tum in Problemate solvendo. Verbi gracia,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dentis: assensus illi datus extra syllogismum, est actus Christiani ad motiva suæ Fidei liberè attendentis. Hypotheticus & necessarius est prioris assensus: absolutus & liber est assensus posterioris, qui est propriè dictus Fidei actus.

III. Intellectus potest necessitari ad assentiendum falso: si quando accidat ut illud falsum sese illi exhibeat sub specie veri; aut ut illud falsum evidenter fluat ex præmissis quas errando judicavit veras. Tum necessitabitur ad assentiendum falso cognito ut vero, non cognito ut falso: quod rationi non repugnat.

313. INST. Voluntas non necessitatur ad bonum aliquod particulare: ergo à pari, non debet Intellectus ad verum aliquod particulare necessitari.

RESP. Concesso antecedente, nego consequentiam & paritatem. In omni bono particulari invenit voluntas aliquam *Mali rationem*, quæ ipsi motivum esse potest ut ab illo prosequendo arceatur. Contra, in quovis vero particulari nullam invenit Intellectus *falsi rationem*, quæ ipsi possit esse motivum ut avertatur ab assensu illi dando.

QUÆSTIO QUARTA.

DE METHODO SCIENTIFICA.

314. DEF. *Methodus scientifica* est ars, aut demonstrandi veritatem jam cognitam; aut detegendi veritatem nondum cognitam.

Ad utrumque hunc finem obtinendum, scilicet, ad demonstrandam veritatem cognitam & ad detegendam veritatem incognitam, duplex adhiberi solet Methodus; alia compositionis, alia resolutionis: prior vocatur *Synthesis*,

seu Methodus synthetica: posterior nuncupatur *Analysis*, seu Methodus analitica.

Unde, tum ad demonstrationem alicujus Theorematis, tum ad solutionem alicujus Problematis, apta & idonea est utraque hæc Methodus, synthetica scilicet & analytica: ut ipso demonstrandæ aut indagandæ veritatis usu quisque docebitur. Quid sit autem & Theorema & Problema paucis accipe.

Theorema est propositio aliqua, cujus simpliciter exigitur demonstratio; cujus veritas unicè incumbit demonstranda.

Problema est aliqua quæstio facta, in qua exigitur ut detur methodus ad aliquid faciendum aut ad aliquid inveniendum; & ut demonstretur certam & infallibilem esse methodum quæ dabitur.

METHODUS SYNTHETICA ET ANALYTICA.

315. EXPL. I. *Methodus synthetica*, à principiis generalissimis & evidentissimis, ad rem demonstrandam aut inveniendam, per continuam conclusionum evidentium seriem, descendendo progreditur: ut videre est in plerisque propositionibus superius demonstratis.

Tum ad demonstrandum Theorema, tum ad solvendum Problema, adhiberi potest hæc Methodus. In utroque autem hoc casu, à principiis notissimis ad demonstrationem Theorematis aut ad solutionem Problematis, quasi per quamdam propositionum evidentium catenam, æqualiter descenditur.

In Methodo synthetica, itur à noto ad ignotum; à partibus cognitis, ad totum cognoscendum. Divisim accipiuntur partes totius; & ex illis separatim cognitis, quodammodo confiatur totum quod fit inde cognitum.

316. EXPL. II. *Methodus analytica* alium eundi & progrediendi modum habet; ab ignoto assurgendo ad notum, tum in demonstrando Theoremate, tum in Problemate solvendo. Verbi gracia,

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

I. Si demonstrandum sit aliquod *Theorema*: veram esse supponit, eam propositionem quæ ipsi incumbit demonstranda. Tum, ab hac suppositione, per continuam conclusionum catenam, ascendendo progreditur: donec tandem preveniat ad aliquod principium in se certissimum & evidentissimum in quod resolvatur & à quo manifestam habeat dependentiam illa propositio quam veram supposuit.

Cum enim impossibile sit ut falsum connectatur cum principio vero, ut falsum in principium aliquod verum resolvatur; si propositio quam supposuit veram, cum principio aliquo vero connectatur, & in principium aliquod verum resolvatur; impossibile est ut falsa sit illa propositio; & consequenter, necessarium est ut sit vera.

II. Si solvendum sit aliquod *Problema*: convenientem aliquam quærit & assumit suppositionem, in qua solutum supponitur illud Problema. Tum, ope quarumdam Æquationum algebricarum, ab hac suppositione deducuntur variæ conclusiones: donec ad rem quæsitam sine ulla absurditate aut falsitate occurrente deveniatur.

At si facta suppositio aliquid absurdi aut falsi importet; evidens est factam suppositionem esse falsam, & aliam feliciorem esse faciendam: quia ex vero nihil falsi, nihil absurdi, fluere & resultare potest.

317. ADN. I. Multum inter se differre videntur utraque hæc Methodus, synthetica scilicet & analytica: re tamen parum differunt. A diversis proficiscuntur punctis: sed utrique idem est iter, idem utrinque terminus.

Duplicis hujus Methodi quamdam tibi imaginem exhibebit *Arbor genealogica*. Ex una parte, per generationes descenditur à stipite ad tale posterorum individuum; verbi gratia, à divo Ludovico ad Henricum quartum: ex alera parte, per filiationes ascenditur à tali posterorum individuo ad stipitem, ab Henrico quarto ad divum Ludovicum. Prior adumbrandæ genealogiæ modus est imago Methodi Syntheticæ; posterior est imago Methodi analyticæ.

318. ADN. II. Utrique huic Methodo perinde incumbit onus, aut detegendæ veritatis incognitæ: aut demonstrandæ veritatis cognitæ: utrique ergo perinde necessarium est naturale illud *Inventionis donum*, cujus ope indagantur & deteguntur, tum *Ideæ intermediæ*, in quibus deprehendatur rerum inter se comparandarum identitas aut alteritas; tum *Motiva certitudinis*, quibus innitantur judicia de rebus inter se comparatis ferenda (353 & 354).

I. Judicia de rebus ferenda pertinent, vel ad rerum essentiam, vel ad rerum extistentiam: utrisque æqualiter necessarium est aliquod certitudinis motivum, seu aliquod *demonstrationis Medium* (7 & 8).

II. Quadruplici certitudinis motivo, seu demonstrationis medio, stare certum omne Judicium, certam omnem cognitionem, abunde docuit & demonstravit primus hujus Philosophiæ tractatus (28 & 188).

Cognitionibus omnibus nostris, quibus essentiales rerum proprietates percipimus, nullum aliud certitudinis motivum esse deprehendetur, præter *testimonium Idearum*.

Cognitionibus omnibus nostris, quibus varias animæ nostræ affectiones percipimus, nullum aliud certitudinis motivum esse deprehendetur, præter *testimonium sensus intimi*.

Cognitionibus omnibus nostris, quibus actualem rerum existentiam, figuram, magnitudinem, motum aut quietem percipimus, nullum aliud certitudinis motivum esse deprehendes, præter *testimonium sentationum*, cum essentiali Dei veracitate connexum.

Cognitionibus omnibus nostris, quibus innotescunt nobis res præteritæ, nullum aliud certitudinis motivum esse deprehendes, præter *testimonium hominum*, necessariis quibusdam conditionibus vestitum.

319. ADN. III. Infinitæ utilitatis & miræ facilitatis est Methodus analytica in operationibus mathematicis: ut videre erit in Mathesi.

Suos etiam usus frequentissimos & utilissimos ha-

bet eadem Methodus, in Physica & in Historia naturali; ubi rerum observandarum & dignoscendarum *natura intrinseca* detegi non potest communiter, nisi prius aliquam analysim & resolutionem subierint res illæ in observationibus & in ideis nostris: ut ex cognitis singulis ipsarum partibus & proprietatibus sensibilibus, assurgat mens nostra, tum ad cognitionem totius sensibilis; tum ad cognitionem earum rerum & proprietatum insensibilium quæ ipsius naturam intrinsecam constituunt, & quæ non possunt deprehendi nisi per judicium discursivum.

Verbi gratia, impossibile est rectè cognosci à nobis, tum Animam humanam, tum Animam belluinam: nisi ad *quandam Analysim metaphysicam* reducatur utraque hæc substantia in suis operationibus, vi cujus analysis, ab effectibus suis cognitis manifestetur nobis insensibile illud utrumque principium.

320. ADN. IV. In iis omnibus humani ingenii operibus quorum destinatio est ut aliquam veritatum seriem explicent & demonstrent, maximi momenti est, sed maximæ difficultatis, ac proinde summæ raritatis, *recta Methodus*: sive synthetica illa sit, sive analytica.

Videtur autem in eo generatim consistere, recta illa Methodus: ut variæ materiæ ex quibus constari debet opus quodcumque scientificum, solerter inter se componantur & ordinentur, suum quæque locum convenienter sortitæ, suo quæque lumine potenter irradiatæ, nulla usquam rerum superfluarum redundantia infeliciter implexæ & obscuratæ: simplicibus ad composita, facilibus ad difficilia, præcedentibus ad sequentia, ubique quasi iter sternentibus.

Hac rectæ Methodi dote, vel nostro sæculo, carere infeliciter deprehenduntur *Opera pleraque scientifica*: quæ, dum prodeunt in lucem, utilibus & sublimibus fœcunda veritatibus, sed rudis & indigestæ molis formam habentia, ad hoc nata esse plerumque videntur, ut plus tædii & fastidii, quam veri luminis parturiant.

Rectæ hujusce Methodi utile aliquod exemplar exhibere in philosophicis istis Institutionibus, omni opum vi conati sumus: felicinè an infelici successu id præstiterimus, judicare penes erit ingenium quodcumque sagax & rectum.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

INSTITUTIONUM
PHILOSOPHICARUM
TRACTATUS TERTIUS.

DE ONTOLOGIA.

321. DEFINITIO. *Ontologia* est scientia Entis in genere spectati; seu, est scientia contemplatrix universalium & transcendentalium illarum proprietatum, quæ communes sunt variis Entibus in statu abstractionis consideratis: ut esse aliquid possibile, aliquid unum, aliquid absolutum aut relativum, aliquid permanens aut transitorium; ut esse substantia aut modificatio, causa aut effectus, genus aut species; & sic de aliis.

In exiguum contrahemus tractatum, quidquid scitu necessarium habet subtilior hæc Scientia, acuendis magis quam ditandis ingeniis idonea. Quod ut præstemus, rejectis inutilibus, sextuplici articulo Ens speculabimur, quatenus divisum, quatenus distinctum, quatenus universalitatum, quatenus causale, quatenus relativum, quatenus ubicatum seu in spatio infinito collocatum.

ARTICULUS PRIMUS.

ENS QUATENUS DIVISUM:
SEU DE VARIIS ENTIS DIVISIONIBUS.

322 DEF. *Ens* est, tum id omne quod existit, tum id omne quod potest existere: sive substantia sit, sive mera substantiæ modificatio. Unde, termino Entis, nullus potest

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

universalior excogitari terminus, qui sit quasi genus respectu Entis.

Ens dividitur in *Substantiam* & in *Modificationem*; seu in ens per se subsistens, & in ens subsistens in alio.

Cum Ens sit, & id omne quod existit, & in omne quod potest existentiam recipere: quæri potest quid sit Entis possibilitas, quid sit Entis existentia.

323. EXPL. I. *Entium possibilitas* duplex est, alia intrinseca & formalis, alia extrinseca & causalis.

I. Consistit *intrinseca Entium possibilitas*, in mera compatibilitate attributorum sub quibus concipiuntur. Verbi gratia, figura rotunda est intrinsecè & formaliter possibilis: quia attributum figuræ, & attributum rotunditatis, sese non excludunt ab eodem subjecto. Similiter, alter Sol est intrinsecè possibilis: quia attributum corporis sphærici, & attributum corporis lucidi, sub quibus concipitur ille alter Sol, sibi evidenter non opponuntur. Similiter iterum, Deus est intrinsece possibilis: quia ex variis attributis sub quibus concipitur Deus, nullum est quod sit cum altero incompossibile.

Contra, consistit *intrinseca Entium impossibilitas*, in mera incompatibilitate attributorum quæ ipsis assignantur. Verbi gratia, Circulus quadratus est intrinsecè impossibilis: quia attributum figuræ rotundæ, & attributum figuræ quadratæ, sese excludunt essentialiter ab eodem subjecto.

II. Consistit *extrinseca Entium possibilitas*, in ipsamet existentia causæ alicujus quæ enti intrinsecè possibili & nondum existenti possit dare existentiam. Verbi gratia, extrinseca & causalis possibilitas Trianguli modò delineandi, consistit in existentia & in activirate manus à qua modò delineabitur.

Contra, consistere *extrinseca Entium impossibilitas*, in defectu causæ quæ enti intrinsecè possibili posset dare existentiam. Verbi gratia, alter Sol, licet intrinsecè possibilis, foret extrinsecè impossibilis: si nulla existeret causa, quæ posset illi dare existentiam, quæ posset actuare intrinsecam illius possibilitatem.

324. EXPL. II. *Existentia Entium*, est id per quod Entia formaliter existunt: id per quod Entia formaliter constituuntur extra statum meræ possibilitatis.

In duplici statu considerari potest existentia rerum, seu Entium, scilicet, in statu meræ possibilitatis, & extra statum meræ possibilitatis. In utroque autem illo statu, existentia entium videtur non distingui realiter ab ipsa entium natura & essentia.

I. *In rebus, ab essentia possibili, non distinguitur realiter existentia possibilis.*

Nam, præcisè intellecta essentia possibili Trianguli, cæteris omnibus tum substantiis tum modificationibus per mentem sublatis, intelligitur Trianguli existentia possibilis: ergo essentia possibilis & existentia possibilis realiter non distinguuntur in Triangulo.

Idem dictum esto de *essentia possibili* & de *existentia possibili* Entis cujuslibet; verbi gratia, Petri, Bucephali, talis Lapidis, talis Vegetalis.

II. *In rebus, essentia actuata & existentia actuata non distinguuntur inter se realiter; seu res non existunt per aliquid á se realiter distinctum: ut quibusdam placuit Philosophis.*

Nam, si essentia Petri existat per aliquid à se realiter distinctum: existentia Petri existet quoque per aliquid à se realiter distinctum: atque ita dabitur antiphilosophicus in infinitum processus. Ideò enim asserunt Adversarii (scilicet, vetusti quidam Thomistæ), essentiam Petri existere per aliquid à se distinctum; quia illa Petri essentia est indifferens ad existendum vel non existendum. Atqui pariter existentia Petri est indifferens ad existendum vel non existendum: ergo existentia Petri non poterit existere nisi per aliquid à se distinctum; quod cum sit indifferens ad existendum, requirer iterum aliquid à se diitinctum, per quod fiat formaliter existens. Hoc autem quid est, nisi absurdus in infinitum processu? (81).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

IDEA ET DIVISIO SUBSTANTIÆ.

325. DEF. *Substantia* est ens in se & per se conceptibile, in se & per se subsistens: seu, est ens quod, ut concipiatur, non indiget conceptu alterius; quod, ut existat, non indiget existere in alio. Dividitur Substantia in materialem & in immaterialem.

I. *Substantia materialis* est substantia in se extensa & impenetrabilis, saltem naturaliter. Talis est quæcumque materia; verbi gratia, aqua, terra, ignis, aer, corpus vegetale, animale, minerale; & sic de reliquis.

Dividitur Substantia materialis, in simplicem & in compositam: priore constant *Elementa corporum*; posteriore conflantur *varia Mixta* ex illis elementis resultantia, qualia sunt corpora, regni animalis, regni vegetalis, regni mineralis.

II. *Substantia immaterialis* est substantia à rebus omnibus materialibus diversa; ac proinde est substantia omnem à se extensionis solidæ & figuratæ proprietatem essentialiter excludens.

Dividitur Substantia immaterialis, in quantum est nobis hactenus cognita, in Spiritum, & in Animam belluinam. Utraque enim hæc Entium species, & per se subsistit, & à materia distinguitur.

Spiritus est substantia cogitationis capax. Dividitur Substantia spiritualis, in spiritum increatum & in spiritum creatum. Spiritus increatus est unicus, scilicet, Deus, unus in natura & trinus in personis. Spiritus creatus dividitur in Angelum & in Animam humanam.

Anima belluina, ut subinde demonstrabitur, est substantia sensationis capax, in quo differt à materia; incapax cogitationis, in quo differt à spiritu: ac proinde, est substantia quæ medium aliquod tenet Spiritum inter & Materiam.

326. OBS. I. Nihil nobis notum magis est, quam nomen substantiæ; nihil fortè notum minùs, quàm illius nominis objectum.

Si enim philosophando attendamus ad *illam ideam* quam habemus, dum cogitamus aut dum loquimur de substantia qualicumque nobis notissima; verbi gratia, de substantia panis quo vescimur, de substantia aquæ qua potamur, de substantia illius corporis quod nostrum esse sentimus, de substantia illius animæ quæ est pars nostri potissima: non sine stupore aliquo deprehendemus, ad illud reduci omnem nostram ideam; ut hanc qualemcumque substantiam nobis exhibeat, tanquam aliquod *Subjectum vagum & ignotum*, cui constanter adhæret aut inhæret aliqua *Collectio characteristica proprietatum & modificationum in se sensibilium*, vi cujus hæc substantia nostros afficit sensus (*).

Unde, vel dum nostris maximè patet observationibus & speculationibus Substantia aliqua: non aliam substantiæ ipsius ideam habemus; nisi eam quæ in nobis exurgit ex perceptione immediata illarum proprietatum & modificationum characteristicarum, huic fideliter substantiæ adhærentium hanc quodammodo substantiam obvolventium.

327. OBS. II. Ut *varias substantiæ species* in Natura agnoscat & admittat Philosophus: non necesse est ipsi inesse clariorem & pleniorem illarum substantiarum ideam. Nam, cum certum & manifestum sit *characteristicas illas proprietates & modificationes*, nec posse existere sine aliquo subjecto, nec posse in eodem subjecto existere diversas: ex illarum existentia & diversitate, rectè inferetur & existentia & diversitas subjecti cui inhærent & in quo subsistunt. Unde,

(*) ETYMOLOGIA. Substantia, Suppositum, Substratum: hæc enim tria idem sonant. A vocibus istis latinis, *Stans sub*, *Positum sub*, *Stratum sub*. Substantia est *id quod stat & latitat sub variis rerum proprietatibus & modificationibus.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

I. Certum est existere quasdam proprietates & modificationes extensionis, figuræ, soliditatis, impenetrabilitatis, motus mechanici, quæ non possunt convenire nisi subjecto extenso, figurato, resistenti, mobili intelligentiæ simul & sensus incapaci: atque inde habetur idea confusa & cognitio certa *Substantiæ materialis*, in rerum Natura existentis.

II. Certum est existere quasdam proprietates & modificationes, quæ convenire non possunt nisi subjecto capaci reflexionis, abstractionis, ratiocinii, moralitatis; nisi subjecto immateriali simul & spirituali: atque inde habetur idea confusa & cognitio certa *Substantiæ spiritualis*, in homine existentis.

Quidquid obscuritatis reprehendetur in hac idea Substantiæ spiritualis; illud idem potiori jure reprehendi poterit in ipsamet Substantiæ materialis idea: nam clara magis aut obscura minus est in nobis idea substantiæ spiritualis, quam substantiæ materialis.

III. Certum est existere quasdam proprietates & modificationes cognitionis & sensationis, quæ nullatenus possunt attribui substantiæ materiali: & quæ nimis imperfectæ sunt, ut attribuantur substantiæ spirituali: atque inde habetur idea confusa & cognitio certa *Substantiæ materiam inter & spiritum intermediæ*. in brutis existentis.

IDEA ET DIVISIO MODIFICATIONIS.

328. DEF. *Modificatio* est in Ente per se subsistente, seu in Substantia, physicus & contingens aliquis existendi modus; qui nec existere nec concipi potest sine Substantia cui inhæret & quam modificat.

Verbi gratia, Globus marmoreus est ens in se & per se subsistens, in se & per se conceptibile. Figura, motus aut quies, globi hujus marmorei, sunt variæ ipsius modificationes, quarum existentia supponit & importat essentialiter existentiam globi hujus marmorei; quarum natura talis est, ut nullatenus possint existere ab illo globo marmoreo separatæ; ut ne concipi quidem possint, nisi tanquam globo huic marmoreo inhærentes.

Similiter, Anima mea est ens in se & per se subsistens, in se & per se conceptibile. Ideæ, sensationes, judicia, ratiocinia, volitiones, aliæque similes actiones aut passiones animæ meæ, sunt variæ ipsius modificationes, quæ ipsi physicè & accidentaliter inhærent; & quæ existere & concipi nequeunt, nisi in anima mea.

Substantiarum modificationes (quæ alio etiam nomine vocantur *Modi* & *Accidentia modalia*) sunt, vel materiales, vel spirituales, vel materialibus & spiritualibus intermediæ, juxta naturam substantiæ, cui inhærent & in qua recipiuntur; ut docet philosophicum istud in hac re adagium: *quidquid recipitur, se habet per modum recipientis.*

Unde, modificationes Substantiæ materialis, quales sunt figura, situs, motus, quies, sunt *materiales*: modificationes Substantiæ spiritualis, quales sunt cogitatio, judicium, ratiocinium, ideæ, sensationes reminiscentiæ, imaginationes, spes & metus, delectatio aut dolor, sunt *spirituales*: modificationes Substantiæ materiam inter & spiritum intermediæ, nempe Animæ belluinæ, quales sunt variæ ipsius quæcumque sensationes, sunt *materialibus & spiritualibus intermediæ.*

329. OBS. Dari *Modos*, seu dari *Accidentia modalia*, nemo sanus negat. Quis enim in plano circulari cupreo, neget dari rotunditatem; in Anima cogitante, dari cogitationem? Porro, rotunditas illius cupri, cogitatio illius animæ, sunt modi seu modificationes seu accidentia modalia duplicis illius substantiæ. Quid sint autem illi modi, illæ modificationes, illa accidentia modalia, acriter disputatur inter Philosophos: circa quod duplex est sententia, alia Veterum, alia Recentiorum.

I. Volunt Peripatetici Modificationes accidentales Substantiarum, esse *Entia totidem physica*, minuta quidem, sed realia & positiva, quæ à substantia modificata distinguantur realiter, & sibi propriam habeant existentiam: ita ut

corpus motum, verbi gratia, efficiatur motum, per aliquod ens minutum, seu per *aliquam Entitatulam*, qua caruit dum quisceret: ita ut Anima cogitans de aliqua re, fiat cogitans de tali re per aliquam Entitatulam qua caruit dum non cogitaret, aut dum cogitaret de alia re.

Non sunt tamen ejusdem speciei modalia Entia, ac Substantiæ ab ipsis modificatæ. Nam Substantia subsistit in se & per se, omnique alio deficiente, potest existere: Entia verò modalia subsistunt per aliud & in alio, & ne divinitus quidem possunt existere, pereunte subjecto ad quod ordinantur. Quare, sunt vera entia, sicut & substantiæ; sed imperfectioris naturæ & gradus inferioris.

Illorum Entium minutorum, modalium illarum Entitatularum, destinatio & officium est; ut Substantiam physicè & formaliter determinent ad aliquid: verbi gratia, ut tollant indifferentiam duarum partium alicujus compositi, ad unionem habendam; indifferentiam alicujus agentis, ad agendum; indifferentiam alicujus substantiæ, ad existendum in tali loco; & sic de aliis.

II. Volunt recentes permulti Philosophi, modificationes accidentales substantiarum, nihil dicere & nihil esse physicum, reale, possitivum, præter ipsam substantiam quam afficiunt: ita ut Petrum existere Parisiis, nihil positivum dicat, præter Petrum & Parisios; ita ut Anima de Sole cogitans, nihil reale importet, nisi substantiam solis & substantiam animæ; ita ut corpus motum nihil plus entis habeat, quàm si non moveretur.

Displicentes olim nobis *Peripateticorum Entitatulas*, ex Solo philosophico penitus eradicare & in perpetuum eliminare, dum tota mente ambiremus & conaremur: nihil non movimus, tum legendo, tum meditando, tum hinc & inde consulendo, ut in posteriore ista recentium Philosophorum sententia, aliquam veritatis aut verisimilitudinis speciem deprehenderemus.

Sed frustra: nihil enim unquam in favorem ipsius excogitatum est, quod, ubi philosophico subjicietur examini, non statim appareat evidenter, aut ineptum, aut absurdum. Unde, ad eam sententiam, à qua maximè abhorrebamus, invitos & reluctantes reduxit nos, vis imperiosa veritatis.

330. ASSERTIO. *Accidentales Substantiarum Modificationes sunt aliquid realiter distinctum à substantia per ipsas modificata.*

DEM. Tota pendebit hujus demonstratio propositionis, ab unico ratiocinio, ab unico dilemmate, cui nulla unquam afferri potuit solida responsio; & quod *invictum Modorum argumentum* vocari solet. Duplici modificationis speciei hic applicabitur ratiocinium illud dilemmaticum, quod eundem in modum, possibili omni modificationi poterit applicari (290).

I. Sit Globus aliquis cereus, in quo rotunditas est accidentalis ceræ modificatio: unde sic ratiocinor. Illa ceræ rotunditas, vel dicit aliquid plus, vel nihil dicit plus, quam ipsam ceræ substantiam.

Si rotunditas illa *nihil plus* dicit, quam ipsam ceræ substantiam; ergo tandiu existet illa rotunditas, quandiu existet illa cera, etiam ubi existet complanata: quod evidenter falsum est & absurdum.

Si rotunditas illa aliquid plus dicit, quam ipsam ceræ substantiam; illud *aliquid plus* non est merum nihil: est ergo aliquod ens reale, & aliquod ens ab ipsa ceræ substantia realiter distinctum: quandoquidem sine illo ente superaddito, potest existere ipsa ceræ substantia.

II. Sit actu in Anima mea formalis & explicita idea Trianguli, quæ idea est evidenter accidentalis aliqua modificatio animæ meæ: unde sic ratiocinor.

Si idea illa *nihil plus* dicit, quam ipsam animæ meæ substantiam; ergo quandiu existet substantia animæ meæ, tandiu in anima mea existet formalis & explicita hæc idea trianguli: quod est evidenter falsum (96).

Si idea illa aliquid plus dicit, quam ipsam animæ meæ substantiam; illud *aliquid plus* non est merum nihil: est ergo aliquod ens reale, & aliquod ens ab ipsa animæ

meæ substantia realiter distinctum: quandoquidem sine illo ente superaddito, potest existere ipsa animæ meæ substantia. Q. E. D.

331. OBJ. Efficaciter demonstrari videtur sententia recentium Philosophorum, per demonstrationes indirectas; scilicet per absurda quæ involvit & importat opposita sentantia. Consistunt autem illa absurda:

I. In infinita & rationi absona entitatularum illarum multiplicitate: motus enim unius atomi, verbi gratia, tot exiget singulis instantibus entitatulas modales, quot habet partes distinctas, id est, numero infinitas.

II. In inexplicabili earumdem entitatularum productione: illa enim productio infinitè excedit vires creaturæ, cui non datur ullum ens extrahere ex nihilo, nec potest attribui Creatori, quem videtur dedecere ut quolibet instanti infinitis entitatulis det & adimat existentiam.

III. In secutura inde *conjungibilitate* cujuslibet entitatulæ modalis, cum omni substantia ipsam essentialiter excludente; verbi gratia, cogitationis cum lapide, quadraturæ cum circulo. Si enim cogitatio & quadratura sint entitatulæ reales, à suo subjecto realiter distinctæ: quid obstabit quominus collocet Deus entitatulam cogitationis in lapide, entitatulam quadraturæ in circulo?

RES. Non labefactatur aliqua *veritas in se certa*, per difficultates etiam insolubiles quibus potest impugnari. Dum aliquod elicio judicium, verbi gratia: certum est mihi me *aliquid agere*, meam actionem esse aliquid reale & positivum in anima mea. Unde, etiamsi impar forem solvendis difficultatibus quibus mea hæc impugnaretur certitudo; non ideo deberem hanc meam exuere certitudinem. His ita præmissis, jam videamus utrum tres propositæ difficultates debeant haberi instar totidem demonstrationum indirectarum, contra præcedentem nostram assertionem.

I. Infinita Entitatularum modalium multiplicitas non est absona rationi, in atomo mota: si atomus illa partibus

constet numero infinitis. Cur enim repugnaret totidem esse modificationes motus huic atomo, quot sunt in ipsa partes motæ?

Unde pertinet tota hæc difficultas ad *infinitam materiæ divisibilitatem*, quam admittunt omnes propè Physici & Mathematici; & de qua subinde agemus (666 & 670).

II. Entitatularum modalium productio non est inexplicabilis in nostra sententia. Nam,

Si Deus est unicum Naturæ Agens, ut quibusdam placet Philosophis: non dedecet ipsas à Deo produci.

Si Creaturæ supponuntur aliquando activæ: cur ex nihilo existentiæ non poterunt illæ extrahere *Entia hæc minuta*, quæ sola ipsarum activitati patent, & quæ in ipsis virtualiter continentur? (350 & 536).

III. Ex nostra sententia non sequitur *conjungibilitas cujuslibet Entitutalæ modalis*, cum omni substantia ipsam essentialiter excludente: imò & sequitur contrarium.

Nam, cum nulla Entitatula modalis, juxta philosophicam quamlibet in hac re sententiam, possit existere sine tali subjecto ab ipsa modificato: inde sequitur *quadraturam*, cujus idea essentialiter includit & importat subjectum quadratum, non posse transferri in circulum, qui est subjectum rotundum: *Cogitationem*, cujus idea essentialiter includit & importat subjectum intellectivum, non posse transferri in lapidem, qui est subjectum non intellectivum.

Tertia hæc difficultas tota redit ad ineptam hanc quæstionem: scilicet, utrum subjectum actu quadratum possit simul esse subjectum aliud rotundum; utrum subjectum actù intelligens possit simul esse subjectum aliud intelligendi incapax.

ARTICULUS SECUNDUS.

ENS QUATENUS DISTINCTUM: *SEU, DE DISTINCTIONIBUS PHILOSOPHICIS.*

332. DEF. *Distinctio Entium* est, vel duarum rerum ve-

meæ substantia realiter distinctum: quandoquidem sine illo ente superaddito, potest existere ipsa animæ meæ substantia. Q. E. D.

331. OBJ. Efficaciter demonstrari videtur sententia recentium Philosophorum, per demonstrationes indirectas; scilicet per absurda quæ involvit & importat opposita sentantia. Consistunt autem illa absurda:

I. In infinita & rationi absona entitatularum illarum multiplicitate: motus enim unius atomi, verbi gratia, tot exiget singulis instantibus entitatulas modales, quot habet partes distinctas, id est, numero infinitas.

II. In inexplicabili earumdem entitatularum productione: illa enim productio infinitè excedit vires creaturæ, cui non datur ullum ens extrahere ex nihilo, nec potest attribui Creatori, quem videtur dedecere ut quolibet instanti infinitis entitatulis det & adimat existentiam.

III. In secutura inde *conjungibilitate* cujuslibet entitatulæ modalis, cum omni substantia ipsam essentialiter excludente; verbi gratia, cogitationis cum lapide, quadraturæ cum circulo. Si enim cogitatio & quadratura sint entitatulæ reales, à suo subjecto realiter distinctæ: quid obstabit quominus collocet Deus entitatulam cogitationis in lapide, entitatulam quadraturæ in circulo?

RES. Non labefactatur aliqua *veritas in se certa*, per difficultates etiam insolubiles quibus potest impugnari. Dum aliquod elicio judicium, verbi gratia: certum est mihi me *aliquid agere*, meam actionem esse aliquid reale & positivum in anima mea. Unde, etiamsi impar forem solvendis difficultatibus quibus mea hæc impugnaretur certitudo; non ideo deberem hanc meam exuere certitudinem. His ita præmissis, jam videamus utrum tres propositæ difficultates debeant haberi instar totidem demonstrationum indirectarum, contra præcedentem nostram assertionem.

I. Infinita Entitatularum modalium multiplicitas non est absona rationi, in atomo mota: si atomus illa partibus

constet numero infinitis. Cur enim repugnaret totidem esse modificationes motus huic atomo, quot sunt in ipsa partes motæ?

Unde pertinet tota hæc difficultas ad *infinitam materiæ divisibilitatem*, quam admittunt omnes propè Physici & Mathematici; & de qua subinde agemus (666 & 670).

II. Entitatularum modalium productio non est inexplicabilis in nostra sententia. Nam,

Si Deus est unicum Naturæ Agens, ut quibusdam placet Philosophis: non dedecet ipsas à Deo produci.

Si Creaturæ supponuntur aliquando activæ: cur ex nihilo existentiæ non poterunt illæ extrahere *Entia hæc minuta*, quæ sola ipsarum activitati patent, & quæ in ipsis virtualiter continentur? (350 & 536).

III. Ex nostra sententia non sequitur *conjungibilitas cujuslibet Entitutalæ modalis*, cum omni substantia ipsam essentialiter excludente: imò & sequitur contrarium.

Nam, cum nulla Entitatula modalis, juxta philosophicam quamlibet in hac re sententiam, possit existere sine tali subjecto ab ipsa modificato: inde sequitur *quadraturam*, cujus idea essentialiter includit & importat subjectum quadratum, non posse transferri in circulum, qui est subjectum rotundum: *Cogitationem*, cujus idea essentialiter includit & importat subjectum intellectivum, non posse transferri in lapidem, qui est subjectum non intellectivum.

Tertia hæc difficultas tota redit ad ineptam hanc quæstionem: scilicet, utrum subjectum actu quadratum possit simul esse subjectum aliud rotundum; utrum subjectum actù intelligens possit simul esse subjectum aliud intelligendi incapax.

ARTICULUS SECUNDUS.

ENS QUATENUS DISTINCTUM: *SEU, DE DISTINCTIONIBUS PHILOSOPHICIS.*

332. DEF. *Distinctio Entium* est, vel duarum rerum ve-

ra alteritas, mutua negabilitas; vel unius & ejusdem rei diversa conceptibilitas. In priore casu, datur distinctio realis; in posteriori, datur distinctio rationis.

I. *Distinctio realis* est vera duarum rerum alteritas, mutua unius de altera negabilitas. Existit realis illa distinctio,

Tum inter *duas substantias*; verbi gratia, inter Petrum & Paulum, inter hominem & leonem, inter duas aeris moleculas: quia ex illis substantiis, una non est altera, una negari potest de altera:

Tum inter *duas modificationes*; verbi gratia, inter figuram & motum glandis ejusdem plumbeæ, inter ideam unam & unum judicium animæ meæ, inter mentalem Solis imaginem quæ mihi & tibi inest: quia ex illis substantiæ modificationibus, una non est altera, una negari potes de altera:

Tum inter *substantiam & illius substantiæ modificationem*; verbi gratia, inter animam meam & animæ meæ cogitationem, inter substantiam talis corporis & istius corporis figuram aut motum: quia substantia non est sua modificatio, sine qua potest existere, & à qua potest separari; & quia proinde, una non est altera, una potest negari de altera (326 & 328).

II. *Distinctio rationis* est in una eademque re, conceptibilitas diversa. Existit illa rationis distinctio, inter essentialia unius & ejusdem rei attributa; verbi gratia, inter animal & rationale, quæ sunt essentialia duo hominis attributa; inter infinitam potentiam & infinitam intelligentiam Dei, quæ sunt duo ex attributis Dei essentialibus.

In Homine, Principium sentiendi, seu *animal*, nihil aliud est nisi homo ipse, nisi ipsa hominis substantia, quatenus spectatur relativè ad suas sensationes: Principium ratiocinandi, seu *Rationale*, nihil aliud est nisi homo ipse, nisi ipsa hominis substantia, quatenus spectatur relative ad sua ratiocinia. Ergo Animal & Rationale, quæ realiter identificantur utrumque cum ipso homine, cum ipsa hominis substantia, realiter identificantur inter se.

Diversa tamen est conceptibilitas unicæ huic hominis substantiæ: quia indicatur & connotatur unica hæc hominis substantia, per *duplicem proprietatum & modificationum collectionem*; quæ duplici conceptibilitati dant locum (324 & 325).

Similiter in Deo, *subjectum infinitæ Potentiæ*, nihil aliud est nisi Deus ipse, nisi ipsa Dei substantia: *subjectum infinitæ intelligentiæ*, nihil aliud est nisi Deus ipse, nisi ipsa Dei substantia. Ergo subjectum infinitæ Potentiæ & subjectum infinitæ Intelligentiæ, quæ realiter identificantur utrumque cum ipso Deo; cum ipsa Dei substantia, realiter identificantur inter se.

Diversa tamen est conceptibilitas unicæ huic Dei substantiæ: quia indicatur & connotatur unica hæc Dei substantia, per *duplicem proprietatum collectionem*, nempe per operationes potentiæ & per operationes intelligentiæ, quæ duplici dant locum conceptibilitati.

Ubi *diversa hæc unius ejusdemque rei conceptibilitas* spectabitur in hunc modum, juxta quem evidenter debet & unicè potest spectari: evanescent clamosæ illæ Scholarum oppositarum concertationes, quibus illa malè intellecta dedit occasionem; evanescent opacæ illæ tenebræ; quibus malè explicata totam involvit Philosophiam.

333. ADN. Nulla est in Scholis philosophicis opinionum diversitas, circa *distinctionem realem*: agnoscunt & fatentur illæ omnes unanimiter, hanc distinctionem consistere in vera duarum rerum alteritate, in mutua negabilitate unius rei de altera.

At non eadem est in iisdem Scholis opinionum unanimitas, circa *alteram hanc distinctionem*, quæ concipitur inter essentialia unius & ejusdem rei attributa; verbi gratia, inter Animal & Rationale in Natura humana, inter infinitam Potentiam & infinitam Intelligentiam in Natura divina. In hâc re, aliud Scotistæ, aliud Thomistæ, aliud cæteri sentiunt Philosophi: quorum sententias oppositas ut faciliùs & feliciùs explicemus, accuratè & simpliciter nobis

priùs exhibendus & determinandus est *ipsemet quæstionis status*.

Potest simplex ille præsentis quæstionis status, ad metaphysicum istud problema accuratè reduci: *Quodnam est determinatum mearum idearum objectum, quando diversas unius ejusdemquæ rei proprietates essentiales concipio?* verbi gratia, quando hominem concipio, modò ut animal, modò ut rationale; quando Deum concipio, modò ut infinitè intelligentem, modò ut infinitè potentem, modò ut infinitè justum, modò ut infinitè veracem; & sic de cæteris.

Quod problema ut soluant, suam *distinctionem formalem* Scotistæ, *suam distinctionem virtualem* Thomistæ, *simplicem rationis distinctionem* cæteri adhibent Philosophi.

DISTINCTIO FORMALIS SCOTISTICA.

334. EXPL. Volunt Scotistæ essentialia rei unius cujuscumque attributa esse *distinctas totidem Formalitates*; quarum quælibet non sit alia, & quarum collectio *unicum aliquod Subjectum* constituat.

I. In duplici exemplo, quod instar omnium erit, *Scotisticum illud Systema* exhibemus; scilicet, in Natura humana & in Natura divina.

Juxta Scotistas, Homo nihil aliud est quàm aggregatum quoddam variarum Formalitatum, inter se distinctarum: quas inter reperitur *entitas*, per quam fit ens; *substantialitas*, per quam fit substantia; *vitalitas*, per quam fit vivens; *animalitas*, per quam fit animal; *rationalitas*, per quam fit rationalis; *petreitas*, per quam fit Petrus potiùs quàm Paulus. Summa illarum Formalitatum, quarum nulla est alia, est id totum quod est Petrus.

Idem dicendum est de Deo: qui, juxta Scotistas, fit æternus, per formalitatem *æternitatis*; immensus, per formalitatem *immensitatis*; intelligens, per formalitatem *intellectivitatis*; omnipotens, per formalitatem *activitatis*; sanctus, per formalitatem *sanctitatis*; spiritus, per formalitatem *spiritualitatis*; substantia, per formalitatem *substantialitatis*; ens, per

formalitatem *entitatis*; unus, per formalitatem *unitatis*; Deus, per formalitatem *deitatis*; & sic de cæteris Dei attributis essentialibus. Summa seu collectio illarum formalitatum, quarum quælibet est de alia qualibet negabilis, est id totum quod est Deus.

II. In hoc systemate, facile est determinare & explicare quodnam sit objectum determinatum diversarum idearum quibus repræsentantur essentialia rei unius & ejusdem attributa.

Verbi gratia, ex tribus ideis quibus mihi repræsento Petrum ut animal, ut rationale, ut substantiam: primæ, unicum objectum est formalitas animalitatis; secundæ, unicum objectum est formalitas rationalitatis; tertiæ unicum objectum est formalitas substantialitatis.

Similiter, ex quatuor ideis quibus mihi repræsento Deum ut æternum, ut intelligentem, ut veracem, ut sanctum: primæ, unicum objectum est formalitas æternitatis; secundæ, unicum objectum est formalitas intellectivitatis; tertiæ, unicum objectum est formalitas veracitatis; quartæ, unicum objectum est formalitas sanctitatis.

III. Verùm, vix seriam ullam meretur nostro sæculo confutationem scotisticum illud Systema: quod simul & Fidei parum consonum, & rationi valde absonum esse, facillimè deprehendetur.

DISTINCTIO VIRTUALIS THOMISTICA.

335. EXPL. Volunt Thomistæ rem quamlibet individuam, verbi gratia, Naturam divinam, aut talem Naturam humanam, esse intrinsecè quasi multiplicem, & quasi divisam in partes virtualiter distinctas: ex eo quòd res illa individualis & unica intrinsecè æquivaleat multis rebus quæ forent inter se realiter distinctæ.

Verbi gratia, ex eo quòd talis homo sit simul & principium sentiendi & principium ratiocinandi: volunt ipsum intrinsecè æquivalere per suum sentiendi principium, uni subjecto quod foret capax solarum sensationum; per

suum ratiocinandi principium, alteri subjecto quod foret capax solorum ratiociniorum: & ratione *duplicis illius æquivalentiæ*, posse cognosci principium sensationum, quale est in tali homine, quin cognoscatur principium ratiociniorum, quale est in tali homine: licet utrumque illud principium cum tali illo homine realiter identificetur.

Verùm, cui philosophico unquam Ingenio sapere & arridere poterit imaginaria hæc & nullo nixa fundamine explicatio: quam in rebus divinis nusquam exigit Fides; & quam à rebus cæteris indignando semper propulsabit amans luminis & veritatis Philosophia?

DITTINCTIO RATIONIS.

336. EXPL. *Distinctionem rationis* explicant & rebus applicant alii alio modo Philosophi: quorum ideas & exponere & confutare, longus & inutilis foret labor.

Juxta nostram in hac re sententiam, quæ sola nobis videtur & rerum & idearum naturali theoriæ consona: varia unius & ejusdem rei *attributa essentialia* sunt quasi *vaga totidem subjecta*, quæ indicantur & connotantur per diversas *collectiones proprietatum & modificationum*; & quæ tandem, per cognitionem reflexivam, deprehenduntur & demonstrantur esse unum & idem realiter subjectum (324 & 330).

Rem in duplici explicabimus exemplo: inde omnibus objectis possibilibus eamdem explicationem applicare, cuique erit facillimum.

337. EXEMPLUM I. Undenam scio meam Naturam humanam essentialiter constitui, per *aliquod principium sensitivum* & per aliquod *principium reflexivum*; & quodnam est determinatum mearum idearum objectum, quando utrumque illud essentiale Principium separatim concipio?

I. Experientia & observatione mihi constat, me varias experiri sensationes. Cum autem concipiam evidenter, non posse in me existere illas sensationes, sine aliquo principio

à quo producantur, aut sine aliquo subjecto in quo recipiantur & sustententur: inde concludo existere & latitare in me aliquod principium aut subjectum quod à me vocatur *ens mei sensitivum*; quia in me est aut principium aut sujectum mearum sensationum.

Illud mearum sensationum principium aut subjectum, quod in semetipso nequit immediatè attingi & percipi, non cognoscitur à me hactenus nisi tanquam *ens aliquod vagum & indeterminatum*, cujus natura sit producere aut sustentare varias sensationes.

Objectum meæ ideæ ens illud attingentis & repræsentantis, nondum est ens sensitivum quale in me existit; sed *ens sensitivum in genere*, & quale potest existere indifferenter aut in me aut in leone.

II. Experientia & observatione mihi constat, varias ni me reflexiones, varia judicia, varia ratiocinia existere. Cum autem intelligam evidenter, non posse in me existere illas reflexiones, illa judicia, illa ratiocinia, sine aliquo principio à quo producantur, aut sine aliquo subjecto in quo sustententur: inde concludo existere & latitare in me aliquod principium aut subjectum, quod à me vocatur *ens mei reflexivum*; quia in me est principium & subjectum mearum cognitionum reflexarum.

Illud mearum cognitionum reflexarum principium aut subjectum, quod in semetipso nequit immediatè attingi & percipi, non cognoscitur à me hactenus, nisi tanquam *ens aliquod vagum & indeterminatum*, cujus natura sit producere aut sustentare cognitiones reflexas.

Objectum meæ ideæ ens illud attingentis & repræsentantis, nondum est ens reflexivum quale in me existit; sed *ens reflexivum in genere*, & quale posset existere in aliquo subjecto omnis sensationis incapaci.

III. Ex duplici illa observatione, in tertiam hanc erumpo observationem. Observo scilicet non impossibile esse ut utrumque illud mei constitutivum, scilicet ens sensitivum & ens reflexivum, sit *unicum & idem principium*, & sublata illa constitutivorum meorum essentialium identita-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

te, stare non posse naturalem hanc totius harmoniam, quam in me deprehendo.

Inde concludo ens mei sensitivum & ens mei reflexivum esse unicam & eamdem rem, *unicum & idem principium*; cujus sint indivisibiliter & sensationes & cognitiones reflexæ; & cui commune nomen erit *animal rationale*.

338. EXEMPLUM II. Undenam scio existere in hoc Orbe visibili, Naturam aliquam infinite intelligentem & infinite activam; & quodnam est determinatum mearum idearum objectum, quando infinitam hanc intelligentiam & infinitam hanc Potentiam separatim percipio.

I. Mirabili & constanti harmonia Mundi hujus aspectabilis, admoneor regi ipsum ab aliquo *principio cui insit infinita intellectivitas*: quidquid aliunde fuerit illud principium, quod in semetipso nequit immediatè attingi & percipi; & quod hactenus mihi non indicatur nisi per eam *collectionem proprietatum & modificationum*, quarum existentia exigit & supponit aliquod principium aut subjectum infinite intellectivum (314).

Objectum meæ hujus ideæ nihil est hactenus, nisi *principium aliquod vagum & indeterminatum*; à quo emanent & cui possint attribui permanentes illi intelligentiæ effectus, quos in Natura universa observo.

II. Motu immenso & permanente Mundi ejusdem aspectabilis, admoneor existere in ipso aliquod *principium cui insit infinita activitas*: quidquid aliunde fuerit illud Principium, quod mihi hactenus non indicatur nisi per eam *Collectionem proprietatum & modificationum*, quarum existentia exigit & supponit aliquod principium aut subjectum infinite activum.

Objectum meæ hujus ideæ nihil est hactenus, nisi *Principium aliquod vagum & indeterminatum*, à quo emanent & cui possint attribui permanentes illi activitatis effectus, quos mihi universa exhibet Natura.

III. Ad occasionem effectuum infinitam Intelligentiam supponentium, enata est mihi idea *Principii infinitè intelligentis*: ad occasionem effectuum infinitam activitatem supponentium, enata est mihi idea *Principii infinite activi*.

Idemne an diversum sit utrumque illud principium, nondum scio vi ideæ utriusque directæ: sciam autem vi ideæ reflexæ, alterum cum altero comparantis. Facile enim erit mihi intelligere & sentire, quod stare non possit mirabilis hæc harmonia Naturæ visibilis: nisi principium infinite intelligens & principium infinite activum sint *unicum & idem principium*.

Si cæcum foret principium infiinite activum: Naturam movendo, omnia pessumdaret in rerum natura. Si iners foret principium infinite intelligens: vana & inanis foret illius intelligentia. Utriusque igitur illius principii identitatem demonstrabit mihi constans Naturæ universæ harmonia, in qua concors est ubique cum intelligentia activitas.

339. ADN. Cadit eadem explicatio in cætera Dei Attributa absoluta, quæ repræsentantur quasi inter se distincta, per ideam directam; & ut inter se identificata, per ideam reflexam. Verbi gratia,

I. Idea repræsentans Deum ut *infinite sanctum*, habet pro objecto subjectum aut principium aliquod vagum & indeterminatum, cui inhæreat infinita sanctitas; & cui possint attribui permanentes illi sanctitatis effectus, qui ipsi inesse aut ab illo dimanare intelliguntur.

II. Similiter, idea repræsentans Deum ut *infinite justum*, habet pro objecto subjectum aut principium aliquod vagum & indeterminatum, in quo existat infinita justitia; & cui possint attribui varii illi justitiæ effectus, qui ab ipso emanasse referuntur, aut olim emanaturi concipiuntur.

III. Quod autem subjectum infinitæ sanctitatis & subjectum infinitæ justitiæ & subjectum infinitæ intelligentiæ & subjectum infinitæ potentiæ, sint *unicum & idem subjectum*, demonstrabit idea reflexa; ostendendo nulli ex illis repugnare identitatem cum altero; cuilibet ex illis repugnare alteritatem.

IDEÆ PRÆCISIVÆ.

340. DEF. *Idea præcisiva*; est idea quæ repræsentat aliquam rei unius proprietatem, non repræsentatis aliis ejusdem rei proprietatibus: verbi gratia, est idea quæ repræsentat in Petro animal, non representato rationali; quæ repræsentat in Deo intelligentiam, non repræsentatis aliis Dei attributis, ut modò explicuimus.

Tot *Ideis præcisivis* patet unica & eadem res; quot habet *proprietates aut modificationes diversas*. quæ exigunt sustentari aliquo subjecto, sive eodem, sive diverso. Verbi gratia,

I. Homo in genere, aut talis homo in particulari, potest esse objectum multarum idearum præcisivarum, quæ ipsum repræsentent modò ut hominem, modò ut animal, modò ut rationale, modò ut vivens, modò ut substantiam, modò ut ens: quia in ipso est proprietas humanitatis, quæ exigit sustentari aliquo indeterminato subjecto humano; proprietas sentiendi, quæ exigit sustentari aliquo indeterminato subjecto sensitivo; proprietas ratiocinandi, quæ exigit sustentari aliquo indeterminato subjecto reflexivo; proprietas vivendi, quæ exigit sustentari aliquo indeterminato subjecto vitali; proprietas subsistendi in se & per se, quæ exigit sustentari aliquo indeterminate subjecto per se subsistente; proprietas existendi, quæ exigit inhærere alicui subjecto qualicumque (324 & 335).

II. Similiter, Aurum in genere aut tale aurum in particulari, potest esse objectum multarum idearum præcisivarum; que ipsum repræsentent, modò ut ductile, modò ut flavum, modò ut gravitans, & sic de aliis: quia in ipso est proprietas ductilitatis, quæ nihil exigit & connotat nisi subjectum aliquod indeterminatum quod sit in se ductile; proprietas reflectendi talem luminis speciem, quæ nihil exigit nisi subjectum aliquod indeterminatum quod sit tali luminis speciei reflectendæ idoneum; proprietas gravitandi, quæ nihil exigit & connotat, nisi subjectum aliquod indeterminatum, cui insit aliqua versus Terræ centrum tendentia; & sic de reliquis.

ARTICULUS TERTIUS.

ENS QUATENUS UNIVERSALISATUM:
SEU DE GENERALISATIONE ENTIUM.

341. DEF. Triplex à Philosophis admittitur Universalium species; scilicet, Universale in causando, Uuiversale in repræsentando, Universale in essendo.

I. *Universale in causando*, est causa unica, multos producens effectus. Talis est Deus, cui & suam existentiam & suam actionem debent omnia entia. Talis est Anima humana quæ producit quasdam ex suis ideis, omnia sua judicia, omnes suas determinationes liberas.

II. *Universale in repræsentando*, est imago unica aut unicum aliquod signum, quibus repræsentantur aut multæ rerum species diversæ, aut multa alicujus speciei individua. Talis foret tabella Mauri in genere, quæ omnes indeterminatè Mauros nobis exhibet. Talis est vox ista *animal*, quæ omnes animalium species indeterminatè exprimit.

III. *Universale in essendo*, est unica quædam natura quæ communis est, aut multis speciebus diversis, aut multis alicujus speciei individuis, per identitatem: seu, ut definiri solet in Scholis philosophicis; *Universale in essendo est unum aptum inesse multis, & identificari cum multis, & prædicari de multis.*

Nulla inter Philosophos controversia est, circa duas primas Universalium species: dari à parte rei & independenter ab intellectu, tum Universale in causando, tum Universale in repræsentando, fatentur omnes. Unde tota lis est inter ipsos, circa Universale in essendo, quod est *Universale scientificum.*

IDEÆ PRÆCISIVÆ.

340. DEF. *Idea præcisiva*; est idea quæ repræsentat aliquam rei unius proprietatem, non repræsentatis aliis ejusdem rei proprietatibus: verbi gratia, est idea quæ repræsentat in Petro animal, non representato rationali; quæ repræsentat in Deo intelligentiam, non repræsentatis aliis Dei attributis, ut modò explicuimus.

Tot *Ideis præcisivis* patet unica & eadem res; quot habet *proprietates aut modificationes diversas*. quæ exigunt sustentari aliquo subjecto, sive eodem, sive diverso. Verbi gratia,

I. Homo in genere, aut talis homo in particulari, potest esse objectum multarum idearum præcisivarum, quæ ipsum repræsentent modò ut hominem, modò ut animal, modò ut rationale, modò ut vivens, modò ut substantiam, modò ut ens: quia in ipso est proprietas humanitatis, quæ exigit sustentari aliquo indeterminato subjecto humano; proprietas sentiendi, quæ exigit sustentari aliquo indeterminato subjecto sensitivo; proprietas ratiocinandi, quæ exigit sustentari aliquo indeterminato subjecto reflexivo; proprietas vivendi, quæ exigit sustentari aliquo indeterminato subjecto vitali; proprietas subsistendi in se & per se, quæ exigit sustentari aliquo indeterminate subjecto per se subsistente; proprietas existendi, quæ exigit inhærere alicui subjecto qualicumque (324 & 335).

II. Similiter, Aurum in genere aut tale aurum in particulari, potest esse objectum multarum idearum præcisivarum; que ipsum repræsentent, modò ut ductile, modò ut flavum, modò ut gravitans, & sic de aliis: quia in ipso est proprietas ductilitatis, quæ nihil exigit & connotat nisi subjectum aliquod indeterminatum quod sit in se ductile; proprietas reflectendi talem luminis speciem, quæ nihil exigit nisi subjectum aliquod indeterminatum quod sit tali luminis speciei reflectendæ idoneum; proprietas gravitandi, quæ nihil exigit & connotat, nisi subjectum aliquod indeterminatum, cui insit aliqua versus Terræ centrum tendentia; & sic de reliquis.

ARTICULUS TERTIUS.

ENS QUATENUS UNIVERSALISATUM:
SEU DE GENERALISATIONE ENTIUM.

341. DEF. Triplex à Philosophis admittitur Universalium species; scilicet, Universale in causando, Uuiversale in repræsentando, Universale in essendo.

I. *Universale in causando*, est causa unica, multos producens effectus. Talis est Deus, cui & suam existentiam & suam actionem debent omnia entia. Talis est Anima humana quæ producit quasdam ex suis ideis, omnia sua judicia, omnes suas determinationes liberas.

II. *Universale in repræsentando*, est imago unica aut unicum aliquod signum, quibus repræsentantur aut multæ rerum species diversæ, aut multa alicujus speciei individua. Talis foret tabella Mauri in genere, quæ omnes indeterminatè Mauros nobis exhibet. Talis est vox ista *animal*, quæ omnes animalium species indeterminatè exprimit.

III. *Universale in essendo*, est unica quædam natura quæ communis est, aut multis speciebus diversis, aut multis alicujus speciei individuis, per identitatem: seu, ut definiri solet in Scholis philosophicis; *Universale in essendo est unum aptum inesse multis, & identificari cum multis, & prædicari de multis.*

Nulla inter Philosophos controversia est, circa duas primas Universalium species: dari à parte rei & independenter ab intellectu, tum Universale in causando, tum Universale in repræsentando, fatentur omnes. Unde tota lis est inter ipsos, circa Universale in essendo, quod est *Universale scientificum.*

NATURÆ UNIVERSALES.

342. OBS. Familiare nobis est concipere varia in essendo Universalia; seu concipere varias *Naturas in se unicas*, quæ identificentur aut cum multis speciebus diversis, aut cum multis alicujus speciei individuis. Verbi gratia, concipimus aliquam *naturam-substantiam*, quæ generalisata potest affirmari de omnibus distributive substantiis; de Deo, de Homine, de bruto, de lapide, de planta, de metallo. Concipimus aliquam *naturam-hominem*, quæ generalisata potest affirmari de quolibet homine separatim sumpto; & sic de aliis.

Circa illa in essendo Universalia, circa unicas & communes illas Naturas, duplex est sententia; alia veterum Scotistarum, alia recentium Philosophorum.

I. Volunt Scotistæ dari Universalia à parte rei; seu existere independenter à nostris ideis, quasdam *Naturas unicas simul & universales*: verbi gratia, existere aliquam naturam unicam & universalem, quæ sit *natura humana*; & quæ ita participetur à quolibet homine separatim sumpto, ut cum illo identificetur: existere aliquam naturam unicam & universalem quæ sit *natura leonina*; & quæ ita participetur à quolibet leone separatim sumpto, ut cum illo identificetur. Idem dictum esto de natura Quercus, de natura Frumenti, de natura Auri, de alia quacumque natura.

Scotisticam hanc opinionem adoptavit, universaliorem reddidit, omni impietatis labe inquinavit, ultimo sæculo, Judeus Spinosa, in suo irreligioso simul & absurdo systemate de *unicitate Substantiæ* (390).

II. Volunt recentiores Philosophi *Naturas illas universales* quæ sunt objecta Scientiarum, nihil aliud esse, nisi abstracta idearum præcisivarum objecta: ita ut nulla existant Universalia in essendo, nisi ope Intellectus præscindentis (338).

Verbi gratia, quando habeo ideam Hominis in genere, ita ut hæc idea ad unum potius quam ad aliud individuum non referatur: objectum istius ideæ, est verum Universale scientificum. Nam objectum istud *Homo* est aliquid in mea idea unicum, est natura hominis & non alterius rei; & objectum illud unicum potest affirmari de quolibet humanæ speciei individuo.

Similiter, quando habeo ideam Quercus in genere, ita ut hæc idea ad nullam determinatè quercum referatur: objectum istius ideæ est etiam verum Universale scientificum. Nam objectum istud *Quercus* est aliquid in mea idea unicum, est natura quercus & non alterius substantiæ; & illa natura unica, secundum id omne quod habet & comprehendit in mea idea, potest inesse multis, prædicari de multis, identificari cum multis.

343. ASSERTIO. I. *Repugnat existere à parte rei & independenter ab intellectu, aliquam Naturam, quæ sit in se unica, & quæ identificetur cum multis individuis.*

DEM. Talis natura foret in se una & non una: atqui repugnat existere aliquam naturam, quæ sit in se una & non una: ergo repugnat existere talem naturam. Demonstratur major. Talis natura, verbi gratia, *natura humana*, foret una, ex suppositione: non foret una, quia identificaretur cum Petro, cum Paulo, cum Jacobo, qui non sunt aliquid unum. Q. E. D.

344. ASSERTIO. II. *Datur per intellectum Universale scientificum: seu in quolibet rerum genere: concipi potest Natura aliqua abstracta; quæ possit prædicari per identitatem de Multis à parte rei distinctis.*

DEM. In exemplum generale sit, idea repræsentans hominem in genere; seu idea repræsentans compositum ex corpore aliquo humano & ex anima aliqua humana. quod ad nullum determinate hominem referatur.

I. Objectum per hanc ideam repræsentatum, est *unica-*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quædam natura; scilicet, natura hominis in genere, natura humana in genere: atqui natura illa unica potest prædicari per identitatem de quolibet humano individuo à parte rei; verbi gratia, de Petro, de Paulo. Potest enim dici: Petrus, seu natura humana Petri, est id omne quod repræsentatur per ideam meam: Paulus: seu natura humana Pauli, est id omne quod repræsentatur per meam ideam.

Idem intelligendum & dicendum erit de objecto ideæ præcisivæ quæ repræsentabit *genericam Trianguli naturam*; de objecto ideæ præcisivæ quæ repræsentabit *genericam Animalis naturam*; de objecto ideæ præcisivæ quæ repræsentabit *genericam Vegetalis naturam*; & sic de cæteris.

Quodlibet à parte rei Triangulum est id omne quod per primam ideam repræsentatur. Quodlibet à parte rei Animal, rationale aut irrationale, est id omne quod per secundam ideam repræsentatur. Quodlibet à parte rei Vegetale, verbi gratia, talis quercus, talis herba, est id omne quod per tertiam repræsentatur ideam.

II. Ubi habebitur perfecta & scientifica cognitio de *Natura illa unica*, quæ per ideam quamlibet præcisivam repræsentatur, habebitur perfecta & scientifica cognitio de rebus omnibus quibus ipsa convenit extra intellectum, de rebus omnibus quibuscum ipsa identificatur à parte rei: quandoquidem essentiales illius naturæ abstractæ proprietates, nihil aliud sunt quam generales & essentiales proprietates variarum rerum de quibus potest affirmari abstracta hæc natura.

Verbi gratia, data generali & præcisiva Hominis aut Trianguli idea; considerabis quid essentialiter includatur in illa idea, ac proinde in objecto illius ideæ, seu in *natura illa abstracta* quæ per hanc ideam repræsentatur; & quidquid in natura illa abstracta & generalisata deprehendes essentialiter includi, illud scientificè affirmabis de quolibet homine aut triangulo extra intellectum tuum existente (58 & 69).

Ergo *Natura quælibet unica*, quæ per ideam quamlibet præcisivam repræsentatur, est ipsummet *Universale scientificum*: ergo Universale scientificum datur per intellectum. Q. E. D.

345. ADN. I. Naturæ illæ unicæ, quæ sunt objectum cujuslibet ideæ præcisivæ, possunt convenire, vel multis rebus in se dissimilibus, & tunc sunt *Genus*; vel multis rebus in se similibus, & tunc sunt *Species*.

Verbi gratia, natura hæc unica *Animal*, est genus: quia convenit simul homini, equo, formicæ; quæ sunt res in se diversæ & dissimiles.

Contra, natura hæc unica *Homo*, est species: quia non convenit nisi solis hominibus, quorum natura fundamentalis non est dissimilis & diversa.

346. ADN. II. Genus & species non existunt realiter extra intellectum & à parte rei: quia à parte rei nihil existit quod possit affirmari, aut de multis in se dissimilibus, aut de multis in se similibus. A parte rei, tam verum est quod Petrus non sit Paulus, quam verum est quod Petrus non sit equus aut formica.

Genus & Species existunt tamen *fundamentaliter* à parte rei: quia, independenter ab intellectu existit in rebus *quædam similitudo*, aut *quædam dissimilitudo*, quæ est intellectui occasio & fundamentum ut judicet quædam suarum idearum objecta esse ejusdem naturæ speciei; quædam alia esse naturæ & speciei diversæ. Verbi gratia,

Similitudo naturæ Petrum inter & Paulum, facit ut unico & communi mentis intuitu possit apprehendi totalis ipsorum natura. Hinc Petrus & paulus sunt unica *Species* in intellectu.

Dissimilitudo naturæ Petrum inter & Formicam, facit ut unico & communi mentis intuitu, non possit apprehendi totalis natura Petri & Formicæ; sed tantum illa utriusque naturæ pars, quæ Petro & Formicæ est communis, scilicet proprietas sensitiva, seu *Animal*. Communis illa pars erit *Genus* in intellectu.

GENUS, DIFFERENTIA, SPECIES, PROPRIUM.

347. OBS. Tot sunt *Universalia inter se diversa*; quot modis una res potest de multis diversè prædicari. Potest autem una res de multis prædicari, vel tanquam genus, vel tanquam differentia, vel tanquam species, vel tanquam aliquid essentialiter aut accidentaliter proprium.

I. *Genus* definitur: unum aptum inesse multis & prædicari de multis, tanquam pars essentiæ indeterminata, & per aliam essentiæ partem determinanda.

Unitas in Universalibus se tenet ex parte intellectus; multiplicitas, est à parte rerum. Genus aliud est supremum, aliud medium, aliud infimum seu proximum.

II. *Differentia* deffinitur: unum aptum inesse multis & prædicari de multis, tanquam pars essentialis & essentiæ determinativa.

Differentia alia est generica, qua unum genus discrepat ab alio, verbi gratia, sensitivum ab insensitivo; alia specifica, qua una species differt ab alia, verbi gratia, rationalis ab irrationali; alia individualis, qua unum individuum distinguitur ab alio, verbi gratia, Petreitas à Pauleitate.

III. *Species* definitur: unum aptum inesse multis & prædicari de multis, tanquam essentia completa. Sic animal rationale constituit speciem hominis. Species alia est infima, alia non infima.

Species infima est ea quæ sub se nullam habet speciem, sed sola individua: talis est ista species *Homo*.

Species non infima est ea quæ sub se, non solum individua, sed etiam alias species continet: talis est species ista *Pomum*, quæ sub se varias continet pomorum species. Vim generis sortiri potest species non infima, si cum inferiore comparetur.

IV. *Proprium* definitur: unum aptum inesse multis & prædicari de multis, tanquam aliquid cum essentia connexum. Sic proprium est omni & soli homini esse risibile;

soli homini, sed non omni, esse doctum; & sic de cæteris.

Sæpe tamen *Proprietatis* nomine intelligitur, quidquid alicui rei convenit, sive tanquam attributum essentiale, sive tanquam attributum accidentale: attributis genericis, differentialibus, specificis, ab illa denominatione non exceptis.

JUDICIUM ANALOGICUM.

348. OBS. Judicia quæ ferimus de rebus extra nos existentibus, possunt in iisdem rebus diversum habere objectum diversumque motivum.

I. Judicia quædam nostra possunt habere pro objecto, *proprietates rerum necessarias & essentiales*. Talibus judiciis motivum unicum est testimonium Idearum (69).

II. Judicia quædam nostra possunt habere pro objecto, *proprietates rerum accidentales & variabiles*. Talibus judiciis, motivum unicum est testimonium sensuum aut testimonium hominum (124 & 166).

III. Judicia quædam nostra possunt habere pro objecto, *proprietates rerum constantes & invariabiles*; quas semper & ubique rebus inesse docet observatio & experientia, licet ad ipsarum essentiam non pertineant. Talibus judiciis motivum sensibile est multiplex observatio & experientia, circa quasdam speciei portiones accuratissimè facta: unde, per analogiam, concluditur easdem proprietates esse omni speciei.

Verbi gratia, per judicium in rerum analogia & similitudine fundatum, rectè judico omnia corpora terrestria versùs Terræ centrum gravitare: quia corpora illa omnia terrestria, quæ humanis hactenus experientiis & observationibus fuere exposita, talem deprehensa sunt habere gravitationem.

In hoc judicio, quod *Judicium analogicum* nuncupatur, & in quo tota fundatur Physica, à parte concluditur ad Totum. Judicio huic analogico philosophicum motivum est, tum perfecta analogia rerum observatarum, cum

rebus ad quas concluditur; tum testimonium sensuum aut hominum, quo indubitabiliter innotescunt nobis proprietates partium in qualibet specie observatarum.

PRINCIPIUM INDIVIDUATIONIS.

349. OBS. Quidquid existit, illud existit unum & singulare: id autem per quod res quælibet est in se singularis & una, potiùs quàm multiplex, est ipsi *Principium individuationis.* Duplex distinguitur in rebus principium individuationis: aliud manifestativum; aliud formale, seu constitutivum.

I. *Principium individuationis manifestativum* est id quod nos in cognitionem rei singularis ita deducit, ut illam rem ab omni alia discernamus. Talia sunt diversa rerum accidentia, quæ duplici hoc carmine exprimuntur; & quæ vix ac ne vix quidem possunt unquam in duplici individuo reperiri:

Forma, figura, locus, tempus, cum nòmine, sanguis,
Patria: sunt septem quæ non habet unus & alter.

II. *Principium individuationis formale*, seu constitutivum, est id quod absolutè & intrinsecè determinat aliquam naturæ speciem, verbi gratia, naturam humanam, aut naturam angelicam, aut naturam leoninam, ut sit tale individuum, potiùs quàm aliud.

Circa quod dicendum est Naturam quamlibet existentem, *individuari per semetipsam*; nempe, per intrinseca suæ essentiæ constitutiva. Nihil enim requiritur præter intrinseca illa rei cujuslibet constitutiva, ut sit realis inter naturas distinctio; ut Petrus sit Petrus, & non Paulus; ut quercus A sit quercus A, & non quercus B; ut angelus M sit angelus M, & non angelus N; & sic de cæteris.

Amandanda est ergo iterum in regionem chimerarum vesana illa Scotistarum opinio, juxta quam existunt *communes in omni specie Naturæ*: quibus superveniunt *individuales quædam Formalitates*, quarum ope communis quælibet natura individuatur, seu in varia convertitur individua.

ARTICULUS QUARTUS.

ENS QUATENUS CAUSALE:
SEU DE CAUSALITATE ENTIUM.

350. DEF. *Causa* est res omnis quæ influit in existentiam alterius rei, qualiscumque sit illius rei influxus: res verò in quam exercetur & ad quam terminatur ille influxus, est *Effectus* illius causæ. Causa alia dicitur efficiens, alia instrumentalis, alia occasionalis, alia moralis, alia finalis, alia exemplaris.

I. *Causa efficiens*, quæ præcipuum inter causas locum obtinet, est illa quæ per vim sibi propiam operatur. Talis est Deus, respectu Mundi ab ipso olim creati & conditi, ab ipso permanenter moti & gubernati. Talis est Anima humana, respectu judiciorum, ratiociniorum, volitionum, quæ ab ipsa producuntur.

II. *Causa instrumentalis* est ipsummet instrumentum, quo utitur causa efficiens ad operandum. Sic Ensis est instrumentalis causa vulneris lethiferi, quo occiditur homo ense perforatus.

III. *Causa occasionalis* est ea, quæ per se non operatur effectum; sed, quæ est vera occasio qua posita producitur effectus, & sine qua posita effectus non produceretur (351).

Sic, in systemate recentium Philosophorum qui asserunt & demonstrant omnem motum à Deo solo efficienter produci: si globus A in globum B impingatur, *globus percutiens* non producit ex se & ex proprio penu motum in globo percusso; sed est mera occasio qua posita Deus per semetipsum producit in globo percusso motum, & sine qua posita motum in globo percusso non produceret Deus.

Causa occasionalis locum habet aut habere potest, tum in actione materiæ in materiam, tum in actione materiæ in spiritum, tum in actione spiritus in materiam. Corpus aliquod motum est causa ocasionalis motus in cor-

rebus ad quas concluditur; tum testimonium sensuum aut hominum, quo indubitabiliter innotescunt nobis proprietates partium in qualibet specie observatarum.

PRINCIPIUM INDIVIDUATIONIS.

349. OBS. Quidquid existit, illud existit unum & singulare: id autem per quod res quælibet est in se singularis & una, potiùs quàm multiplex, est ipsi *Principium individuationis.* Duplex distinguitur in rebus principium individuationis: aliud manifestativum; aliud formale, seu constitutivum.

I. *Principium individuationis manifestativum* est id quod nos in cognitionem rei singularis ita deducit, ut illam rem ab omni alia discernamus. Talia sunt diversa rerum accidentia, quæ duplici hoc carmine exprimuntur; & quæ vix ac ne vix quidem possunt unquam in duplici individuo reperiri:

Forma, figura, locus, tempus, cum nòmine, sanguis,
Patria: sunt septem quæ non habet unus & alter.

II. *Principium individuationis formale*, seu constitutivum, est id quod absolutè & intrinsecè determinat aliquam naturæ speciem, verbi gratia, naturam humanam, aut naturam angelicam, aut naturam leoninam, ut sit tale individuum, potiùs quàm aliud.

Circa quod dicendum est Naturam quamlibet existentem, *individuari per semetipsam*; nempe, per intrinseca suæ essentiæ constitutiva. Nihil enim requiritur præter intrinseca illa rei cujuslibet constitutiva, ut sit realis inter naturas distinctio; ut Petrus sit Petrus, & non Paulus; ut quercus A sit quercus A, & non quercus B; ut angelus M sit angelus M, & non angelus N; & sic de cæteris.

Amandanda est ergo iterum in regionem chimerarum vesana illa Scotistarum opinio, juxta quam existunt *communes in omni specie Naturæ*: quibus superveniunt *individuales quædam Formalitates*, quarum ope communis quælibet natura individuatur, seu in varia convertitur individua.

ARTICULUS QUARTUS.

ENS QUATENUS CAUSALE:
SEU DE CAUSALITATE ENTIUM.

350. DEF. *Causa* est res omnis quæ influit in existentiam alterius rei, qualiscumque sit illius rei influxus: res verò in quam exercetur & ad quam terminatur ille influxus, est *Effectus* illius causæ. Causa alia dicitur efficiens, alia instrumentalis, alia occasionalis, alia moralis, alia finalis, alia exemplaris.

I. *Causa efficiens*, quæ præcipuum inter causas locum obtinet, est illa quæ per vim sibi propiam operatur. Talis est Deus, respectu Mundi ab ipso olim creati & conditi, ab ipso permanenter moti & gubernati. Talis est Anima humana, respectu judiciorum, ratiociniorum, volitionum, quæ ab ipsa producuntur.

II. *Causa instrumentalis* est ipsummet instrumentum, quo utitur causa efficiens ad operandum. Sic Ensis est instrumentalis causa vulneris lethiferi, quo occiditur homo ense perforatus.

III. *Causa occasionalis* est ea, quæ per se non operatur effectum; sed, quæ est vera occasio qua posita producitur effectus, & sine qua posita effectus non produceretur (351).

Sic, in systemate recentium Philosophorum qui asserunt & demonstrant omnem motum à Deo solo efficienter produci: si globus A in globum B impingatur, *globus percutiens* non producit ex se & ex proprio penu motum in globo percusso; sed est mera occasio qua posita Deus per semetipsum producit in globo percusso motum, & sine qua posita motum in globo percusso non produceret Deus.

Causa occasionalis locum habet aut habere potest, tum in actione materiæ in materiam, tum in actione materiæ in spiritum, tum in actione spiritus in materiam. Corpus aliquod motum est causa ocasionalis motus in cor-

pore obvio producti. Motus naturalis nostrorum organorum materialium, est aut esse potest causa occasionalis variarum in anima nostra cognitionum & sensationum. Ideæ & sensationes & volitiones animæ nostræ, sunt aut esse possunt causa occasionalis variorum in corpore nostro motuum.

IV. *Causa moralis* est ea quæ suadendo, alliciendo, consilium dando, motiva suggerendo, impellit causam efficientem ad agendum. Sic prava exempla & prava colloquia, sunt causa moralis alieni peccati.

V. *Causa finalis* est ipse finis quem in aliqua re peragenda sibi proponit causa intelligens: movet illa causa, ille finis, per bonitatem sui cognitam.

In influxu causæ moralis, duplex est prioritas; alia finis, alia medii: finis est prior in intentione; medium est prius in executione. Verbi gratia, Scientia acquirenda est finis Philosophi: studium est medium ad scientiam acquirendam. Porrò, scientia acquirenda est prior in intentione; est enim idipsum quod intenditur: studium debet esse prius in executione; est enim medium omnino necessarium ad scientiam acquirendam.

VI. *Causa exemplaris* est imago operis producendi, in mente operantis delineata: quæ imago regit operantem, ut rectè operetur. Sic Artifex, qui novam aliquam machinam excogitavit, in ipsa exteriùs construenda, dirigitur imagine exemplari quam mente gerit; & cui assimilat opus quod molitur.

351. ADN. I. Causa omnis est libera aut necessaria, in actu primo aut in actu secundo.

I. *Causa libera* est ea quæ ex propria sua determinatione agit, cum cognitione finis.

Causa necessaria est ea quæ agit ex inevitabili & irresistibili aliquo impulsu; & quæ ad unum, aut ex natura sua, aut ab aliquo extrinseco, invincibiliter determinatur.

II. *Causa in actu primo*, est ea cui nihil deest quominus possit agere, quæ tamen non agit. Sic Deus est causa in actu primo alterius Solis, quem non creat: quia in Deo est hic & nunc vera & completa potentia creandi alterum solem.

Causa in acto secundo, est ea quæ agit, quæ suum producit effectum. Sic Deus, dum singulis instantibus Motum producit & conservat in Natura, est causa in actu secundo.

352. ADN. II. Potest Res aliqua rem aliam continere triplici modo; scilicet, vel formaliter, vel eminenter, vel virtualiter.

I. Res una rem aliam *continet formaliter*: quando in re continente, sub propria sua forma existit res contenta.

Sic in ovo fœcundato continetur formaliter germen animalis assimilati huic speciei, à qua partum est ovum. Sic in nube cœlum obrumbrante, continebantur formaliter aqueæ illæ guttulæ, quæ inde in densam delabuntur pluviam.

II. Res una rem aliam *continet eminenter*: quando res eminenter continens quasdam habet in semetipsa proprietates generis superioris & excellentioris, quæ possint id omne præstare & perfectiori præstare modo, quod prenstarent proprietates rei eminenter contentæ.

Sic Deus continet eminenter intelligentiam hominis, vim tauri aut leonis, virtutes omnium creaturarum. Sic dignitas regia continet eminenter dignitatem Principis aliasque inferiores dignitates.

III. Res una rem aliam *continet virtualiter*: quando res continens habet in semetipsa vim & potentiam producendi rem virtualiter contentam.

Sic Deus continet virtualiter alterum Solem. Sic Anima mea virtualiter continebat eas speculationes, ea judicia, ea ratiocinia, quæ nunc parturit.

353. OBJECTIO. Sola causa efficiens influit in effectum:

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN © DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ergo soli causæ efficienti convenit allata definitio, ipsumque causæ nomen.

RESP. Nego ant. Sola causa efficiens in effectum influit, producendo effectum: aliæ causæ influunt in effectum, faciendo ut producatur aut ut taliter producatur. Ergo in effectum non influit sola causa efficiens: quandoquidem & aliis causis suam realiter existentiam debet effectus.

GENERALIA CIRCA CAUSAS PRINCIPIA.

354. ASSERTIO I. *Causa quæ agit, evidenter existit: unde ab effectu visibili ad causam invisibilem rectè assurgitur.*

DEM. *Actio* est proprietas realis & physica, quæ evidenter non potest convenire nisi enti alicui existenti: ergo evidenter existit causa quæ agit.

Hinc, ex cogitationibus nostris, demonstratur inesse nobis Principium aliquod cogitandi capax: ex visibili Mundi hujus motu & ordine, demonstratur existere in rerum Natura, principium aliquod a quo producatur illè ordo & motus: ex effectu quocumque, demonstratur existere realem & physicam illius effectus causam; quamvis propia hujus causæ natura foret nobis aliunde incognita & incomprehensibilis. Q. E. D.

355. ASSERTIO. II. *Causæ atribui non debet effectus, qui vim causæ exsuperet: unde, quidquid est perfectionis in effectu, illud totum esse aut formaliter aut eminenter au virtualiter in causa necesse est.* (35*).

DEM. Cum *Perfectiones effectus*, influantur à causa quæ dat esse effectui: plus perfectionis non potest habere effectus, quam in ipsum influi potest à causa; nec plus perfectionis potest influere causa in effectum, quàm ipsa habet.

Hinc Materiæ non potest attribui *Intellectio*: si intellectio excedat vim & activitatem materiæ. Hinc, *motus & ordo Naturæ visibilis*, non potest atribui aut materiæ aut casui: si materiæ & casui nulla evidenter sit virtus, unde tales emanare possint effectus. Hinc, ex virtute *Causæ necessariæ*, quæ omnem suam activitatem semper & ubique exerit, æstimari potest quantitas effectus futuri: ex quantitate effectus, quantitas virtutis in causa existentis. Q. E. D.

256. ASSERTIO. III. *Natura humana potest à Deo elevari, tum ad finem supernaturalem appetendum, tum ad actus supernaturales producendos.*

DEM. Ad supernaturalem hanc Naturæ humanæ elevationem, requiritur & sufficit ut naturæ humanæ manifestet & proponat Deus aliquem finem, qui non sit illi naturaliter debitus; ut naturæ humanæ suppeditet Deus supernaturalia quædam auxilia, quibus naturales illius facultates extendantur, perficiantur, actibus ordinis superioris applicentur: atqui utrumque illud evidenter potest fieri.

I. Possibile est evidenter ut Naturæ humanæ, ad cognoscendum verum & amandum bonum natæ, manifestet Deus aliquam veri speciem illi naturaliter incognitam; manifestet & destinet Deus aliquam boni speciem illi naturaliter inaccessam & nullatenus debitam, verbi gratia, beatificam & perennem Dei ipsius in cœlis possessionem. Atqui per utrumque illud elevabitur Natura humana ad finem supernaturalem appetendum: ergo ad finem supernaturalem appetendum potest à Deo elevari Natura humana.

II. Possibile est evidenter ut Naturæ humanæ, variis facultatibus veri & boni appetitivis donatæ, suppeditet Deus supernaturalia quædam auxilia, supernaturales quasdam illustrationes & motiones, quibus adjuta & elevata feratur & erumpat in actus quos naturalibus suis relicta viribus non potuisset producere: quibus, inquam, adjuta & elevata, acquiescat quibusdam veritatibus, quæ ipsi naturaliter fuissent ignotæ & impervia; amet & appetat quædam bona, quorum nullam naturaliter cognitionem nullumque

proinde appetitum potuisset habere. Atqui varii illi actus erunt supernaturales; quandoquidem excedunt vires Naturæ humanæ sibi relictæ: ergo ad actus supernaturales potest à Deo elevari Natura humana. Q. E. D.

357. ADN. Sicut ope alicujus *telescopii*, naturaliter elevatur facultas oculi visiva, ad percipienda quædam objecta quæ ipsi forent alioqui invisibilia: sic ope *auxiliorum supernaturalium* elevantur facultates animæ nostræ, ad percipienda & appetenda quædam objecta ordinis supernaturalis.

I. Hinc intelliges non posse elevari potentiam naturalem, nisi ad eos actus quibuscum aliquam jam habet ex se proportionem. Elevatio enim illa potentiæ naturalis ad actus supernaturales, nihil aliud est nisi nova ipsius applicatio, nisi novum ipsius exercitium.

II. Hinc etiam intelliges quid sit esse secundùm naturam, supra naturam, contra naturam. *Secundùm naturam* est, id quod naturales potentiæ facultates non excedit: *supra naturam* est, quod naturales potentiæ facultates excedit: & exorbitat: *contra naturam* est, quod naturalibus potentiæ facultatibus essentialiter excluditur.

Verbi gratia, secùndum meam naturam est, ut cognoscam verum & amem bonum naturalibus meis facultatibus obvium. Supra meam naturam est, ut cognoscam verum & amen bonum naturalibus meis facultatibus impervium. Contra meam naturam est, ut aliquam substantiam ex nihilo extraham: quia talem à me facultatem essentialiter excludit mea Entis finiti qualitas.

III. Hinc denique intelliges similem aliquam ad actus supernaturales *elevabilitatem* inesse omni alteri potentiæ à Deo dependenti. Potest enim Deus vim cujuslibet potentiæ naturalis supernaturaliter augere, & applicare objectis ipsi naturaliter impervii.s

Illa rerum elevabilitas ad functiones quasdam ipsis supernaturales, est ipsarum *potentia obedientialis*: potentia passiva, respectu auxiliorum in ipsa recipiendorum; potentia activa, respectu actuum ab ipsa producendorum, si quos reverà per semetipsam producat actus.

ARTICULUS QUINTUS.

ENS QUATENUS RELATIVUM:
SEU DE VARIIS ENTIUM RELATIONIBUS.

358. DEF. *Relatio* est ordo seu respectus entis unius ad aliud: seu, est id per quod unum ens cognitum ducit necessariò in entis alterius cognitionem.

I. Hinc, ubi entis alicujus attributum aliquod aut qualitatem aliquam percipere non poteris, quin venias in cognitionem alterius entis: ibi esse scito *Relationem*.

Sic servum, ut servus est, nosse non potes quin cogites de domino: ergo *servitus*, seu qualitas servi, est relatio. Sic creaturam, ut creatura est, non potes intelligere, quin causam creantem intelligas: ergo *creatio passiva* est relatio.

II. In qualibet relatione, tria diligenter distinguenda sunt; scilicet, *Subjectum*, *Terminus*, *Fundamentum*.

Subjectum relationis, est res quæ refertur: terminus relationis, est res ad quod subjectum refertur: fundamentum relationis, est ratio propter quam subjectum refertur ad terminum.

Verbi gratia, in relatione patris ad filium; pater est subjectum: filius est terminus: paternitas est fundamentum, seu ratio fundans relationem, seu id quod facit ut pater referatur ad filium.

Similiter, in relatione filii ad patrem; filius est subjectum: pater est terminus: filiatio est fundamentum: seu est id quod facit ut filius referatur ad patrem.

359. DIVISIO. Triplex distinguitur Relatio; scilicet, essentialis, accidentalis, arbitraria.

I. *Relatio essentialis* est ea cujus fundamentum est aliquid subjecto essentiale, aliquid à subjecto indistinctum.

Talis est relatio creaturæ ad creatorem, effectus ad causam, cognitionis ad objectum, modificationis ad rem modificatam.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

II. *Relatio accidentalis* est ea cujus fundamentum est aliquid subjectum accidentale.

Sic Dominus refertur ad Servum suum, per auctoritatem & dominationem; quæ est aliquid accidentale personæ dominanti. Sic Servus refertur ad Dominum suum, per dependentiam & servitutem; quæ personæ servienti est aliquid accidentale. Sic Magister refertur ad Discipulum suum, per traditionem doctrinæ; quæ traditio est magistro accidentalis.

III. *Relatio arbitraria* est ea quæ in rebus æstimandis & inter se comparandis tota propè pendet ab uniuscujusque ideis & judiciis.

Sic in ingeniosa illa Guliveri Orbem peragrantis fabula, instar gigantis est Guliverus in insula pygmæorum; instar pygmei, in insula gigantum: unde vides omnem magnitudinem creatam esse relativam, & nihil in se magnum esse magnitudine absoluta. Qui dives est respectu unius, pauper est respectu alterius. Terra, respectu Lunæ magna, respectu Solis est exigua.

Relatio parvi ad magnum, magni ad majus, pauperis ad divitem, ampli ad exiguum, est relatio arbitraria: quia tota pendet ab intellectu res inter se comparante. Cognitio rei in se parvæ, non ducit per se in cognitio nem rei in se magnæ: sicut cognitio Patris, per se ducit in cognitionem filii; sicut cognitio effectus, per se ducit in cognitionem causæ.

GENERALIA CIRCA RELATIONES PRINCIPIA.

360. ASSERTIO I. *Dantur in rebus, independenter ab Intellectu, Relationes reales: quas in ipsis detegit, sed quas in ipsis non facit Intellectus.*

DEM. Detegit & observat Intellectus, in Filio, relationem ad partem suum; in servo, relationem ad dominum suum; in sponso, relationem ad sponsam suam; in creatura, relationem ad suum creatorem: ergo illæ relationes

sunt aliquid in se reale, aliquid penitus independens ab intellectu nostro, qui illas in rebus reperit, non ponit Q. E. D.

361. ASSERTIO II. *Relationis essentialis fundamentum non est aliquid realiter distinctum ab essentia Subjecti quod refertur.*

DEM. Idem de aliis relationibus essentialibus sit judicium, ac de tribus sequentibus.

I. Præcisè posita *Essentia divina*, sublatis per mentem omnibus aliis substantiis, sublatis per mentem omnibus substantiarum quibuscumque modificationibus; concipitur essentia divina referri ad omnia cognoscibilia quæ repræsentet, referri ad omnia possibilia quæ possit creare.

II. Præcisè posita *natura creaturæ*, sublatis per mentem aliis omnibus substantiis, sublatis per mentem omnibus substantiarum quibuscumque modificationibus, concipitur creatura habere dependentiam à Deo; & destructa creaturæ dependentia à Deo concipitur tota destrui creatura.

III. Præcisè posita *natura cognitionis alicujus*, sine ulla alia qualicumque entitate substantiali aut modali superaddita; concipitur cognitio referri ad objectum cognitum.

Ergo *relationis essentialis fundamentum* non est aliquid realiter distinctum à natura aut essentia subjecti; non est aliquid physicè superadditum subjecto, aliquid physicè determinans subjectum ut referatur ad terminum. Q. E. D.

362. ASSERTIO III. *Relationis accidentalis fundamentum est aliquid intrinsecè aut extrinsecè accidentale Subjecto quod refertur.*

DEM. Relatio accidentalis est ordo realis & accidentalis unius rei ad aliam. Sed ille ordo realis & accidentalis, nec potest consistere in essentia rei, alioquin esset essentialis; nec in nihilo, alioquin non esset realis, superest ergo ut consistat in aliquo rei accidente, intrinseco aut extrinseco. Q. E. D.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

363. ADN. Relatio accidentalis potest esse vel intrinseca, vel extrinseca, subjecto quod refertur: prout accidens illud in quo fundatur relatio, est subjecto intrinsecum, vel extrinsecum.

I. Relatio est *intrinseca subjecto* quod refertur: si fundetur in aliqua actione aut passione subjecti. Talis est relatio matris ad filium: fundatur hæc relatio in partu, qui est actio mulieris quæ mater est.

II. Relatio est *extrinseca subjecto* quod refertur: si fundetur in aliqua re accidentali, quæ non sit intrinseca modificatio subjecti. Talis est relatio domini ad servum: fundatur hæc relatio in auctoritate civili aut politica, quæ est aliquod accidens extrinsecum homini qui dicitur dominus.

ARTICULUS SEXTUS.

ENS QUATENUS UBICATUM: SEU DE SPATIO INFINITO.

364. DEF. *Spatium* est capacitas continendis corporibus idonea: quæ capacitas, si nullis impleatur corporibus, dicitur *Vacuum*.

I. Infinitum in rerum Natura spatium admisere Epicurus, Gassendus, Neuto: admittunt hodie omnes Physici.

In infinito hoc spatio suum habent locum corpora omnia existentia: ita tamen ut corpora omnia existentia, sive moveantur, sive quiescant, non occupent simul sumpta, nisi partem infinitè parvam infiniti illius spatii, quòd propè totum remanet vacuum.

II. Nullum spatium à materia distinctum admisit Carthesius; asseruitque perfectum existere *plenum* in rerum natura: ubi nec ullum existat, nec ullum possibile sit vacuum.

In regionem chimærarum, unde evocata fuerat, evanuit cartesiana illa opinio: ubi cum speculationibus metahpysicis & cum observationibus physicis conferri sustinuit.

III. Voluit Leibnitzius spatium nihil esse nisi *ordinem coexistentium*: ita ut spatium inter Terram & Syrium & Polarem interceptum, nihil sit reale, præter ideas sub quibus tria illa corpora concipimus.

Leibnitzianam hanc opinionem, reali omni fundamine destitutam, Sophista magis quam Pilosopho dignam, ubi in lucem prodiit, impugnavit & exsibilavit in Anglia, alibi dedignata est sana Philosophia.

PROPOSITIO PRIOR.

365. *Spatium, nec est materia ipsa extensa, nec est modificatio aliqua materiæ extensæ.*

DEM. I. Quod recipit, est prius illo quod recipitur: atqui spatium recipit materiam extensam, & materia extensa recipitur in spatio: ergo spatium prius est materia extensa.

Si autem spatium sit prius materia extensa; ergo *materia extensa* non est ipsum realiter spatium: nihil enim potest esse prius seipso.

II. Quod potest existere sine materia extensa, non est *modificatio materiæ extensæ*: atqui spatium potest existere sine materia extensa: ergo spatium non est modificatio materiæ extensæ. Evidens est major, in utroque accidentium modalium systemate (327): unde demonstratur minor.

Evidens est, nemine refragante, posse à Deo annihilari omnia corpora quæ intra hanc Scholam continentur; retentis ad eandem distantiam parietibus; & materia vicina in locum materiæ annihilatæ subire impedita: non minùs evidens est, tunc remansurum esse idem Scholæ huic spatium; destructis omnibus quæ ipsam occupabant, corporibus. Ergo spatium, non exigit essentialiter inhærere materiæ extensæ. Ergo spatium, nec est ipsa materia extensa; nec est aliquod accidens modale materiæ extensæ. Q. E. D.

*

363. ADN. Relatio accidentalis potest esse vel intrinseca, vel extrinseca, subjecto quod refertur: prout accidens illud in quo fundatur relatio, est subjecto intrinsecum, vel extrinsecum.

I. Relatio est *intrinseca subjecto* quod refertur: si fundetur in aliqua actione aut passione subjecti. Talis est relatio matris ad filium: fundatur hæc relatio in partu, qui est actio mulieris quæ mater est.

II. Relatio est *extrinseca subjecto* quod refertur: si fundetur in aliqua re accidentali, quæ non sit intrinseca modificatio subjecti. Talis est relatio domini ad servum: fundatur hæc relatio in auctoritate civili aut politica, quæ est aliquod accidens extrinsecum homini qui dicitur dominus.

ARTICULUS SEXTUS.

ENS QUATENUS UBICATUM: SEU DE SPATIO INFINITO.

364. DEF. *Spatium* est capacitas continendis corporibus idonea: quæ capacitas, si nullis impleatur corporibus, dicitur *Vacuum*.

I. Infinitum in rerum Natura spatium admisere Epicurus, Gassendus, Neuto: admittunt hodie omnes Physici.

In infinito hoc spatio suum habent locum corpora omnia existentia: ita tamen ut corpora omnia existentia, sive moveantur, sive quiescant, non occupent simul sumpta, nisi partem infinitè parvam infiniti illius spatii, quòd propè totum remanet vacuum.

II. Nullum spatium à materia distinctum admisit Carthesius; asseruitque perfectum existere *plenum* in rerum natura: ubi nec ullum existat, nec ullum possibile sit vacuum.

In regionem chimærarum, unde evocata fuerat, evanuit cartesiana illa opinio: ubi cum speculationibus metahpysicis & cum observationibus physicis conferri sustinuit.

III. Voluit Leibnitzius spatium nihil esse nisi *ordinem coexistentium*: ita ut spatium inter Terram & Syrium & Polarem interceptum, nihil sit reale, præter ideas sub quibus tria illa corpora concipimus.

Leibnitzianam hanc opinionem, reali omni fundamine destitutam, Sophista magis quam Pilosopho dignam, ubi in lucem prodiit, impugnavit & exsibilavit in Anglia, alibi dedignata est sana Philosophia.

PROPOSITIO PRIOR.

365. *Spatium, nec est materia ipsa extensa, nec est modificatio aliqua materiæ extensæ.*

DEM. I. Quod recipit, est prius illo quod recipitur: atqui spatium recipit materiam extensam, & materia extensa recipitur in spatio: ergo spatium prius est materia extensa.

Si autem spatium sit prius materia extensa; ergo *materia extensa* non est ipsum realiter spatium: nihil enim potest esse prius seipso.

II. Quod potest existere sine materia extensa, non est *modificatio materiæ extensæ*: atqui spatium potest existere sine materia extensa: ergo spatium non est modificatio materiæ extensæ. Evidens est major, in utroque accidentium modalium systemate (327): unde demonstratur minor.

Evidens est, nemine refragante, posse à Deo annihilari omnia corpora quæ intra hanc Scholam continentur; retentis ad eandem distantiam parietibus; & materia vicina in locum materiæ annihilatæ subire impedita: non minùs evidens est, tunc remansurum esse idem Scholæ huic spatium; destructis omnibus quæ ipsam occupabant, corporibus. Ergo spatium, non exigit essentialiter inhærere materiæ extensæ. Ergo spatium, nec est ipsa materia extensa; nec est aliquod accidens modale materiæ extensæ. Q. E. D.

*

PROPOSITIO POSTERIOR.

366. *Extra Mundum existentem, quem finitum supponimus; datur infinitum Spatium, omni corpore vacuum.*

DEM. Concipitur à nobis, & clarissimè concipitur, incomsummabilis extra Mundum hunc existentem capacitas, in qua novi in infinitum mundi creari & collocari possint; & in idea inconsummabilis illius capacitatis, inconsummabilis illius in triplicem sensum extensionis, essentialiter includitur *quòd existat, quòd sit illimitata, penetrabilis, æterna, immutabilis, indestructibilis.*

Ergo debent hæc omnia affirmari de *inconsummabili illa capacitate*, de inconsummabili illa in triplicem sensum extensione; quæ est id ipsum quod vocamus spatium infinitum omni corpore vacuum.

I. Patet ant. Evidens est enim unicuique per sensum intimum, se concipere extra Mundum hunc existentem, inexhaustam & inconsummabilem capacitatem: quæ in longum & in latum & in profundum sit infinitè extensa; quæ infinitam novorum mundorum multitudinem possit in se recipere; quam repugnet aliquando non extitisse; quam & unquam destrui aut immutari posse repugnet: quidquid in se & in sua natura sit inconsummabilis illa capacitas, infinita illa extensio, infinitum illud spatium.

II. Patet etiam consequens. Quid enim jam certum erit nobis: si abnegemus aut respuamus auctoritatem fundamentalis omnium scientiarum principii; quo docemur affirmandum esse de rebus, quidquid in idea rerum essentialiter includi intelligitur?

Porrò, inest nobis idea inconsummabilis illius capaciatis inconsummabilis illius in triplicem sensum extensionis; & in idea inconsummabilis hujus capaciratis & extensionis, videmus essentialiter includi, quòd existat, quòd sit illimitata, penetrabilis, æterna, immutabilis, indestructibilis. Ergo debent hæc omnia affirmari de inconsummabili illa capacitate & extensione, quæ est infinitum ipsummet spatium omni corpore vacuum. Q. E. D.

367. COROL. I. *Locus alicujus rei absolutus est pars illa infiniti & penetrabilis spatii, quam res occupat.*

EXPL. Duplex distinguendus est cujusque rei locus; alius absolutus, alius relativus.

I. *Locus alicujus rei absolutus* est illa portio spatii infiniti & immobilis, quam res occupat. Unde, si Terra foret immota; locus Urbis Parisinæ absolutus semper esset idem: si Terra circa Solem motu permanenti giret; locus ejusdem Urbis absolutus erit quolibet instanti varius.

II. *Locus alicujus rei relativus* est ille positionis ordo & respectus quem habet illa res, relativè ad notabilia Orbis loca.

Verbi gratia, locus Urbis parisinæ relativus consistit in illa vicinitatis aut distantiæ *relatione*, quam habet Urbs illa cum America, cum Africa, cum Londino, cum Constantinopoli, cum Pekino, & sic de aliis: sive semper sit idem, sive indesinenter varius sit locus ejus absolutus.

368. COROL. II. *Non repugnat Infinitum in extensione, in durattone, in numero.*

EXPL. I. Non repugnat *Infinitum in extensione.* Quod enim existit, illud non repugnat: atqui infinita extensio existit; ut patet ex præcedenti demonstratione. Ergo infinita extentio non repugnat: ergo non repugnat Infinitum in extensione.

II. Non repugnat *Infinitum in duratione.* Nam evidens est ens aliquod, aut materiam, aut Deum, ab æterno existere; & durationem habuisse infinitam. Ergo non repugnat infinita duratio: ergo non repugnat Infinitum in duratione.

III. Non repugnat *Infinitum in numero.* Nam, infinita spatii modò demonstrati extensione, concipiuntur infinitæ

exapedæ, infinitæ leucæ. Similiter, in infinita entis alicujus ab æterno existentis duratione, qua nihil est demonstratum magis, concipitur infinitus horarum, infinitus sæculorum numerus. Pariter, in inconsummabili hominum possibilium numero, concipitur infinitus individuorum numerus. Ergo non repugnat numerus infinitus: ergo non repugnat Infinitum in numero.

369. ADN. I. Infinitum à Philosophis aliud dicitur Cathegorematicum, aliud Syncathegorematicum.

I. *Infinitum Cathegorematicum* est infinitum in actu, seu, est infinitum quod habet actù veram & realem in sua specie infinitatem.

Talis est Deus, qui veram & realem habet in perfectione infinitatem. Tale est spatium ultra Mundi limites circumundique diffusum, quod veram & realem habet in extensione infinitatem. Talis est æternitas Dei antecedens, quæ veram & realem habet in duratione infinitatem.

II. *Infinitum Syncathegorematicum* est infinitum in Potentia: seu clariùs, est Finitum quod in infinitum ita crescit aut crescere potest, ut post quodcumque incrementum, remaneat actù finitum, & actù in infinitum augibile.

Talis est æterna Animæ humanæ duratio: quæ nunquam erit actù infinita, nunquam erit cathegorematicum in duratione Infinitum. Talis est inconsummabilis augibilitas Mundi existentis: qui, quantumcumque supponatur recepisse extensionis incrementum, nunquam erit actu infinitus in extensione, nunquam erit cathegorematicum in extensione Infinitum.

370. ADN. II. Vitiosam Infiniti definitionem dant illi Philosophi, qui Infinitum in genere definiunt: *id quo majus aut melius nihil potest excogitari; id cui nihil addi aut detrahi potest.*

I. Infinito simpliciter, Infinito in omni genere perfectionum, nempe Deo, convenit illa Infiniti definitio.

II. Infinito in duratione, in extensione, in numero, nullatenus convenit eadem Infiniti definitio.

Infinitum *in duratione*, est quidquid habet durationem inconsummabilem. Infinitum *in extensione*, est quidquid habet extensionem inconsummabilem. Infinitum *in numero*, est quidquid habet numerum unitatum inconsummabilem. Ecce tibi genuinam triplicis illius Infiniti definitionem.

371. ADN. III. Ut suum locum, sic suum habent tempus res pleræque, infiniti spatii & infinitæ durationis exiguis quibusdam quasi punctis circumscriptæ & absorptæ.

I. *Duratio rerum* est ipsarum existentia continuata: sive aliquid mutationis, sive nihil mutationis includat hæc existentiæ continuatio.

In ente ab æterno existente, duratio illa est *æternitas antecedens*, quæ constituit Infinitum cathegorematicum.

In ente in æternum extituro, qualis est anima humana, duratio illa erit *æternitas subsequens*, quæ constituit Infinitum syncathegorematicum.

In Ente aliquot duntaxat annis existente, qualis est homo aut brutum, duratio illa est merum tempus.

II. *Tempus* est rerum successiva & finita duratio; quæ duplici hinc & inde circunscripta termino, æstimari solet per successivas Solis revolutiones.

Existentiæ continuatio, diurnæ uni Solis circa Terram revolutioni correspondens, est duratio seu tempus *unius diei*: existentiæ continuatio, annuæ uni Solis circa Zodiacum revolutioni correspondens, est duratio seu tempus *unius anni*; & sic de reliquis.

OBJECTIONES SOLVENDÆ.

372. OBJ. I. Quod habet essentiales materiæ proprietates, illud est materia: atqui Spatium habet essentiales materiæ proprietates; est enim, sicut & materia, aliquid longum & latum & profundum: ergo Spatium est materia.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

RESP. Conc. maj., & nego min. Materia est naturaliter impenetrabilis: Spatium est naturaliter penetrabile. Materia constat partibus physicis & sensibilibus: Spatium non constat nisi partibus intelligibilibus & insensibilibus. Materia est aliquid creatum, aliquid mobile, aliquid mutabile: Spatium non est aliquid creatum, aliquid mobile, aliquid mutabile.

Nihil aliud esse videtur infinitum illud Spatium, quàm *ipsa Dei immensitas*, nova & nova in infinitum corpora in se recipiendi capax: quam Dei immensitatem, si explicitè non apprehendimus, dum concipimus Vacuum illud infinitum; ab ipsa præscindimus, ipsam non excludimus.

373. OBJ. II. Si existeret infinitum illud spatium; vel foret substantia, vel foret modificatio: atqui neutrum dici potest: ergo non existit infinitum illud spatium.

RESP. Concessa maj., nego min. Infinitum illud spatium est subtantia: est scilicet ens per seipsum subsistens; seu ens quod non indiget alio ente à se distincto, ut existat.

Illud autem ens infinitum & per se subsistens non est aliquid à Deo distinctum: sed est ipsamet Dei immensitas, illimitata, penetrabilis, æterna, immutabilis, indestructibilis.

374. INST. I. Deus non est extensus: ergo infinita illa extensio non reponenda est in immensitate Dei.

RESP. Dist. ant. Deus non est extensus per aliquam juxta-positionem partium inter se distinctarum, quæ variis materiæ extensæ partibus correspondeant, conc. ant.: Deus non est extensus per correspondentiam suæ totius substantiæ simplicissimæ, omnibus materiæ extensæ partibus existentibus & possibilibus, nego ant. & cons.

INST. II. In immensitate Dei, nulla sunt puncta quæ sint inter se distincta: ergo dum concipiuntur varia puncta inter se distincta in infinito spatio omni corpore vacuo, non concipitur immensitas Dei.

RESP. In immensitate Dei, nulla sunt puncta quæ sint inter se distincta ratione essentiæ divinæ, conc. ant.: quæ sint inter se distincta ratione materiæ in essentia divina creatæ aut creabilis, nego ant. & cons.

Supponamus unicam hactenus fuisse creatam atomum; & alteram nunc à Deo creari atomum, quæ à priore distet una exapeda: utraque hæc atomus erit necessariò collocata in essentia divina, in divina immensitate. Essentia divina, licet in se indivisa & indistincta, quatenus correspondet utrique huic atomo, concipitur instar duplicis puncti; non ratione sui, sed ratione duplicis atomi in ipsa receptæ.

Jam nunc, si mentis aciem ultra Mundi limites ad orientem & ad occidentem conjicias: infinitam utrinque concipies extensionem, quæ nihil aliud est quàm ipsa Dei immensitas, quàm ipsa Dei Essentia. Priorem extensionem à posteriore concipies distinctam, ratione materiæ in essentia illa creabilis, tum ad orientem, tum ad occidentem.

In illa Dei essentia, in illa Dei immensitate, punctum intelligibile A concipitur distinctum à puncto intelligibili B; non ratione essentiæ divinæ in se indistinctæ & indivisæ, sed ratione elementi A & elementi B, quæ sunt inter se distincta, & quæ possunt in utroque illo divinæ essentiæ puncto intelligibili collocari.

Hinc intelliges quid sit & in quo fundetur illa divisio aut illa divisibilitas *divinæ immensitatis*, in puncta distincta, numero infinita.

376. INST. III. Spatia illa extra Mundum infinita nihil aliud sunt nisi *spatia imaginaria*: scilicet, extra Mundum nostrum finitum, nulla est realis capacitas, nullum est

reale Vacuum, quamvis ibi & vacuum & capacitatem in infinitum imaginemur.

RESP. Nego ant.: nego scilicet spatia illa quæ extra Mundum concipimus, esse merum imaginationis phœnomenon. Ultra finitos Mundi nostri limites, non imaginamur, sed clare & evidenter concipimus *spatium infinitum*: nec quidquam fortassè est in ulla Scientia, quod clariùs & evidentiùs concipiamus, quàm illud spatium. Unde, qui spatia illa ultra Mundum existentia negant, videntur primum omnium Scientiarum principium, omnemque proinde Scientiam & certitudinem evertere. Quid enim jam certum remanebit; si tanquam vanum imaginationis delirium habeatur, quod essentialiter includi concipitur in idea rerum?

I. Aliud est imaginari, aliud concipere: *imaginari* est affingere rebus proprietates sensibiles, quæ non iusunt rebus: *concipere* est res repræsentare, sub ideis ipsarum manifestativis.

Imaginatur, qui Monti fictitio aureum colorem aut melleum saporem aut figuram humanam delirando affingit. *Concipit*, qui in idea Trianguli intuitivè videt existere æqualitatem, tres inter ipsius angulos & duos angulos rectos; qui in Mundi hujus aspectabilis motu aut harmonia, philosophando deprehendit necessitatem & existentiam primæ alicujus causæ invisibilis.

II. Spatia illa esse realia, non verò merè imaginaria, facilè demonstratur. Suppono me esse positum in extrema Mundi existentis superficie; ita ut ultra me, nulla sit materia: unde sic ratiocinor. In data hypothesi, palmas ultra Mundum extendere, vel potero, vel non potero.

Si primum: ergo: datur spatium reale, quod extensas ultra Mundum recipiat palmas.

Si secundum: assignetur obex, qui meas extendi palmas impediet. An *obex positivus*? Ergo extra Mundum erit aliqua res positiva & resistens: quod est contra suppositionem. An *obex negativus*? Sed obex negativus est negatio obicis: negatio autem obicis, non est obex.

377. ADN. Quàm multa in se evidentissimè realia rebus imaginariis annumerare tentarint nonnulli Philosophi, hic meminisse & indicasse non pigebit.

Voluit Berkleius Mundum hunc aspectabilem, Cœlum & Terram, nihil esse reale; esse merum mentis phœnomenon. Volunt Athæi Mundi hujus auctorem Deum, cujus gloriam enarrant Cœli, cujus actionem permanentem demonstrat Natura omnis, nihil esse reale; esse merum mentis phænomenon. Voluit Leibnitzius infinitum rerum spatium, infinitam rerum durationem, nihil esse reale; esse merum mentis phœnomenon. Voluere quidam non ita pridem Physici, cometas illos Mundo coævos, quorum existentia tam certa est quàm ipsa Planetarum nostrorum existentia, nihil esse reale; esse merum mentis phœnomenon. Volunt nonnulli etiamnum Physici, generalem corporum attractionem, cujus existentiam & leges plenissimè demonstrant phœnomena omnia cœlestia, nihil esse reale; esse merum mentis phœnomenon; & sic de cæteris.

Ingens sanè & mirandum est humanæ mentis phænomenon, quod talia seriò parturire aut adoptare potuerit phænomena. Miseras adolescentum mentes, quibus in Scholis philosophicis contigerit talibus imbui & infici mentis phænomenis!

378. OBJ. III. Repugnantia involvit infinitum illud spatium: ergo non est admittendum. Probo ant. In illo infinito spatio, essent infinitæ exapedæ, infinitæ leucæ, ac proinde Infinitum unum majus altero: quod evidenter repugnat.

RESP. Nego ant. Ad probat., nego id repugnare, quod repugnare asseritur. In infinito illo spatio, concipiuntur infinitæ exapedæ, infinitæ leucæ, plures exapedæ quàm leucæ, infinitum unum altero majus: nec illud repugnat, nisi apud eos qui falsas sibi de Infinito notiones cuderunt. (368).

I. Infinita diversi ordinis concipiunt & admittunt Ma-

*

thematici. *Lineam* concipiunt ut constantem punctis numero infinitis: *Superficiem*, ut constantem lineis numero infinitis; *Solidum*, ut constans superficiebus numero infinitis.

Ex tribus illis Infinitis, primum est infinitè minus secundo; secundum est infinitè majus primo & infinitè minus tertio.

II. Similem in modum, in infinito spatio, concipies lineam infinitis leucis simplicibus constantem; *superficiem*, infinitis constantem leucis quadratis; *capacitatem*, infinitis constantem leucis cubicis.

Evidens est in infinita superficie plura dari in infinitum puncta, quam in infinita linea. Uterque tamen ille punctorum numerus perinde est infinitus & inconsummabilis: ergo evidens est dari Infinita alia aliis majora.

III. Sic plerique Physici & Mathematici materiam admittunt in infinitum divisibilem & partibus numero infinitis constantem. Unde, juxta ipsos, media Terræ nostræ pars particulas materiæ continet numero infinitas: tota tamen Terra plures evidenter continet materiæ particulas, quam media ipsius pars.

Ergo iterum, dantur Infinita alia aliis majora, quorum quodlibet sit verè & realiter infinitum: quia minus Infinitum tam est inconsummabile, quàm Infinitum majus.

379. INST. I. Non concipitur numerus infinitus: ergo non debet admitti Infinitum in numero.

RES. Dist. ant. Non concipitur numerus infinitus; id est, non concipitur dari numeros, quorum alii sint actù infiniti, alii in infinitum augibiles, nego ant.: id est, non concipiuntur omnes unitates quibus constat numerus actù infinitus, quibus constabit numerus in infinitum augibilis, conc. ant., & nego cons. (366).

In numeris illis concipit mens inconsummabilitatem; & talis est in numeris illis inconsummabilitas. Unde, & habetur idea numeri infiniti; & talis idea est objecto suo conformis.

380. INST. II. Numerus infinitus non potest augeri aut minui: alioquin non esset infinitus. Sed nullus est numerus qui non possit augeri aut minui; nullus enim est numerus cui non possim addere aut detrahere decem unitates: ergo nullus est numerus infinitus.

RESP. Dist. maj. Numerus infinitus non potest augeri aut minui; ita ut per additionem fiat magis infinitus, aut per imminutionem fiat minus infinitus, conc. maj.: numerus infinitus non potest augeri aut minui: id est, numero infinito non potest addi aut derrahi numerus finitus, nego maj.; & sic distincta min., nego consequentiam.

Numerus est infinitus, si sit inconsummabilis: nam si non foret infinitus, tandem consummabilis foret. Porro, Numero infinito adde aut detrahe decem unitates: an magis post hanc additionem, an minùs post hanc substractionem, erit inconsummabilis?

Ab Orbe condito, quam multi creati sunt homines! An imminutus est hominum possibilium numerus? An minùs hodie remanet infinitus & inconsummabilis ille hominum possibilium numerus?

In infinita vacui extensione, centum aut mille leucas à te jam percussas suppone: an imminutus erit, an minùs remanebit infinitus, leucarum tibi percurrendarum numerus?

Unde, inconcussum stet axioma istud mathematicum: *si infinito finitum addas aut detrahas, non auges aut minuis infinitum.*

381. INST. III. Illud non est verè infinitum, quod ad mediam, ad quartam, ad millesimam sui partem potest reduci. Atqui tale est infinitum in extensione, in numero, in durazione: ergo tale infinitum non est verè infinitum.

Patet major. Nam quod imminuitur priore sui medietate, potest & posteriore sui medietate imminui; atque ita totum exhaurietur, ac proinde non erit infinitum & inconsummabile.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Patet etiam minor. Nam infinitum in duratione, in numero, in extensione, potest dividi per 2, per 4, per 1000. Atqui per talem divisionem reducitur illud infinitum, ad mediam, ad quartam, ad millesimam sui partem.

RESP. Conc. maj. & nego min. Nulla est medietas, nulla quarta aut millesima pars, in infinito: *ratio medietatis, quadrantis*. aliæque similes, non conveniunt nisi numeris finitis. Ad probat., concessa majore, dist. min. Atqui per realem divisionem, infinitum reducitur ad mediam, ad quartam, ad millesimam sui partem; in ea ratione, in qua est infinitum, nego min.: in ea ratione in qua est finitum, conc. min. & nego cons.

Infinitum subjacet regulis & operationibus divisionis mathematicæ, sicut & finitum. At in numeris infinitis, divisio non imminuit numerum infinitum; sed imminuit *valorem unitatum*, quibus constat numerus infinitus. Verbi gratia.

I. Si infinitum dividas per 2 aut per 4: quamlibet infiniti unitatem aut quantitatem duplò aut quadruplò minorem efficis. Si idem Infinitum dividas per aliud ejusdem ordinis Infinitum: quamlibet Infiniti divisi unitatem reddis infinitè minorem, aut valoris infinitè minoris.

Infinitum divisum per 2, non dicit mediam partem numeri illius infiniti, sed infinitum numerum unitatum aut quantitatum duplò minorum. *Ratio imminutionis*, non cadit in numerum ipsum infinitum, sed in valorem unitatum aut quantitatum quæ numerum illud infinitum componunt.

II. Similiter, si infinitum multiplices per 2 aut per 4: quamlibet Infiniti unitatem aut quantitatem facis duplò aut quadruplò majorem. Si idem Infinitum multiplices per aliud ejusdem ordinis Infinitum: quamlibet Infiniti multiplicati unitatem reddis infinitè majorem, aut valoris infinitè majoris. Non facis plures unitates in numero multiplicato: sed quamlibet numeri multiplicati unitatem efficis majorem, aut majoris valoris.

Divisio & multiplicatio non eodem modo se habent in numeris infinitis, quo se habent in numeris finitis. In istis, minuunt aut augent numerum unitatum, non mutato ipsarum valore: in illis, non mutato ipso numero, unitatum numerum componentium valorem minuunt aut augent.

382. ADN. Si quis fortè majorem & pleniorem desideret in hac materia lucem: meminerit ille non nisi subobscura & caliginosa luce irradiari datum esse humanæ menti; quoties audet illa in tenebrosam & inaccessam Infiniti voraginem sese immergere.

Infinito perfectè comprehendendo semper aliquatenus impar est, mens in cognoscendo essentialiter finita: vel dum ipsi penitus certa & plenissimè demonstrata est infiniti existentia.

FINIS TOMI PRIORIS.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ALPHABETICA RERUM TABULA,

Cujus ope, instar Dictionarii philosophici *erit totum istud Volumen; & in qua, non ad Paginas, sed ad Res ipsas referuntur Numeri rerum indices.*

A B.

ABSTRACTIO METAPHISICA, 19, 340, 344.

Abstractum & Concretum, 17 & 223.

Absurditas, 11.

Accidentia modalia, seu Modificationes rerum accidentales, 330, 328, 666, 668.

Accidentia absoluta, seu Sensibilitas Corporum, 664, 666, 671, 673.

Actus & potentia, 74 & 525.

AMOR PROPRIUS: ipsius influxus in humanas omnes Cupiditates, 643.

ANIMA HUMANA: substantia spiritualis, immortalis, libera, 494, 498, 511, 524. Ipsius Facultates, 534, 536, 538.

ANIMA BELLUINA: substantia immaterialis, & non spiritualis, 561, 562, 565, 567, 573, 575.

Antecedens & Consequens, in Entimemate, 21 & 258; in propositione conditionali, 247 & 284.

Apparitiones miraculosæ, 138.

ARTES & Scientiæ: ipsarum natura & objectum, 98 & 101.

Atheismus, 388, 402, 408. Quas inepte & absurde causas Religioni attribuat, 402, 429, 576, 587.

Atomi æternæ, 389, 390, 415.

Attributa & Proprietates Entium, 347. Attributum propositionum, 23, 210, 216. Attributa Dei absoluta & relativa, 440, 441.

Auctoritas, divina & humana, 161 & 163.

Automata 561, 569, 570.

Axiomata philosophica, 4 & 5.

Beatitudo, objectiva & forma-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

lis, 645.
Bonum & Malum, morale & physicum, 551 & 552. Distinctio Boni & Mali moralis, 404, 630, 638, 639, 640.
BRUTA, substantiæ sensu præditæ & intelligentia privatæ, 564, 565, 573.

C A.

CASUS Epicureus, 389, 390, 402.
CAUSÆ & Effectus, 350, 354. Causæ occasionales, causæ vere physicæ, 350, 354, 548, 549, 553, 556, 694.
CERTITUDO, 29 & 34. Quadruplex ipsius fons aut fundamentum, 28 & 188. Certitudo moralis, certitudini metaphysicæ aliquando non impar, 34, 162, 166, 167, 180.
Chimæricum, 59 & 93.
Circulus vitiosus, 303.
Coactio, 520, 521.
Compenetratio materiæ, 648, 658, 659.
Complementa Libertatis, 531, 532.
Complexæ Ideæ & Propositiones, 61 & 243.
Conclusio, seu Consequentia & Consequens, 257. Conclusiones assyllogisticæ, 295.
Concretum & abstractum, 17 & 223.
Concupiscentia, 522 & 528.
Comprehensio & extensio idearum, 196.
Conscientia, 630, 631, 632, 635, 639.
Conservatio Entium, 417.
Contingens & Necessarium, 24.
Conversio propositionum, 235. & 237.
CORPORA: ipsorum existentia, 119 & 124; qualitates sensibiles, 117 & 664; divisio, 325; materia essentialis & accidentalis 661; status naturalis, & supernaturalis 654 & 656.
Creatio Materiæ, 6 & 415.
Criterium evidentiæ, 80.
CULTUS & Lex, fundamentalia duo Religionis constitutiva, 577, 582. Necessitas Cultus interioris & exterioris, 581, 586, 589, 588, 590.

D E.

DECRETA DIVINA: prædeterminantia, 475 & 477; indifferentia, 478 & 487; necessitantia, 521 & 709.
Definitio, nominis & rei, 197 & 202.
DEISMUS, 388, 448, 603.

Diluvium generale, 425 453. Absurda Telliamedis diluvia, 395, 424.
Demonstratio: multiplex ejus species, 6 & 8. variæ demonstrationes existentiæ Dei, geometricis non impares demonstrationibus, 397, 398, 411, 430.
Descriptio rerum, 203.
Destinatio rerum, 449 & 509.
DIALECTICA, scientia Ratiocinii directiva, 27, 192.
DEUS, spiritus increatus & creator, 383.
Differentia & Distinctio rerum, 13 & 347.
Dilemma, 291, 292,
Disjunctivum: propositiones disjunctivæ & syllogismi disjunctivi, 244 & 286.
Distinctio rerum, 13, 332, 336, 349.
Distributivum & Collectivum, 79, 172, 433.
Divisio rerum, 204 & 209.
Dubium methodicum, 42 & 613.

E C.

ECCLESIA. congregata & dispersa, 524 & 622.
ENERGIA MATERIÆ, fictitium materialismi principium, 414, 429, 501, 549, 553, 691, 692, 693.
Ens, substantia & modificatio, 322.
Entimema, 21 & 258.
Æquivalentia Propositionum, 239.
Error, 40 & 41.
Essentia rerum, physica & metaphysica, 43 & 324; essentia Materiæ incognita, 652.
EVANGELIA, authentica & suppositia, 615.
Extensio, seu triplex Dimensio, proprietas á Materia inseparabilis, 653, 663. Extensio Vacui infiniti, diversa ab extensione Materiæ 372 & 375. Quid extensionis attribui aut denegari possit substantiis spiritualibus, 506.
Æternitas, antecedens & subsequens 368 & 371.
EUCHARISTIA, philosophicis de materia ideis non repugnans, 654 & 659.
Evidentia rerum, intrinseca & extrinseca, primaria & secundaria, 32 & 80.
Existentia rerum, 324.
Extrema & medius. Terminus, 21, 257, 263.

F A.

FACTA HISTORICA: ipsorum certitudo, 160, 163, 166, 180, 186, 616.

Fatalistæ, 465. 523.
Figuræ syllogisticæ, 272, & 274.
Finis & medium, 350.
Fluidum animale, 555, & 556.
Fides, divina & humana, 161.
Formale & Materiale, in objectis scientiarum & artium, 101 & 108: in actibus peccaminosis, 551, 552. Quid sit formaliter & eminenter & virtualiter contineri in rebus, 447, 552.
FUTURA LIBERA, absoluta & conditionalia, 475 & 489.
Genus, Differentia, Species, Individuum, 345 & 347.
Gratia supernaturalis, 519 & 531.
HOMO, Species unica, in plures divisa Stirpes accidentaliter diversas 403, 617. Americani populi, ab Asia aut ab Africa aut ab Europa oriundi, 617.
Homogeneitas Materiæ, 695.

I D.

IDEÆ, secundus Certitudinis fons, 28 & 69. Idearum natura & divisio, 58 & 60. Idearum origo, 66 & 539. Ideæ directæ & reflexæ, 60 & 338. Ideæ explicitæ & implicitæ 64 & 398.
Ideæ intermediæ, in indagatione Veritatis, 254 & 255.
Identitas rerum, 13 & 255.
Ignoratio Elenchi, 301.
Ignorantia, vincibilis & invincibilis, 400, 639.
Imaginatio, activa & passiva, 61, 539, 685, 686.
Immensitas Dei 372 446.
IMMORTALITAS Animæ humanæ, 508, 512.
Immutabilitas Dei, 183.
Impossibilitas rerum, 323, 469,
Individuum, 349.
Inductio, 294.
INERTIA MATERIÆ, 414, 421, 549, 501, 553, 692, 693.
INFINITUM, in perfectione, in duratione, in extensione, in numero, 368, 370, 379, 678.
Instinctus Brutorum, 568.
Intellectus & Voluntas, 193, 194, 534, 536.
Judicium actus & potentia Animæ humanæ, 11 & 541. Practicum Libertatis judicium, 528. Judicium analogicum, 348. Judicium intuitivum & discursivum, 254.

L E.

LEX & Cultus fundamentalia duo Religionis constitutiva. 577 & 580. Lex, in genere, divina & humana, 63, 585 & 630. Debitum Legibus divinis & humanis obsequium, 584 & 586. Leges pœnales, 642.
LEGES NATURÆ, generales & particulares, 45, 127, 693. Ipsarum interruptio est Miraculum, 46 & 183.
LEX NATURALIS, quatenus obligatoria, essentialiter importat & demonstrat existentiam Dei, 399, 400. 639, 641.
Libertas divina, 461, 462.
LIBERTAS HUMANA: ipsius natura, existentia, complementa, 488, 519 524, 531.

M A.

MALUM, morale & physicum, non opponitur existentiæ Dei unici, 454 & 455.
Manicheismus & Polyteismus, absurda systemata, 444.
Mare: fabulosa ejus imminutio, 424.
MATERIA, substantia ex se iners, cogitandi & sentiendi incapax, 414, 496, 497. Essentia ipsius incognita, 652, 662.
Media salutis, 458 & 618.
Medium demonstrationis, 8 & 318.
Memoria, 144, 536, 537, 542.
Metaphysica & Physica: ipsarum inter se relationes, 702.
Methodus, synthetica & analytica, 194 & 314.
MIRACULUM: ipsius natura & possibilitas, 46, 79, 127, 138, 139, 181, 182, 183, 184, 186, 612. Miracula per pias preces obtenta, 619.
Modificationes Substantiarum, seu Accidentia modalia, 330, 328, 666, 668, 670.
Modi syllogistici. 272, 273.
Moleculæ organicæ, juxta Lucretium & Telliamedem, 389 395, 425.
MUNDUS: recens ipsius origo, 416 & 427. Mundi phantastici & Mundi æterni chimera, 119 & 415.
MORALIS, seu Ethice, scientia Officiorum cuique adimplendorum, 576 & 625. Morale & Physicum, in actionibus peccaminosis, 551, 552.
Motiva, attrahentia & retrahentia, 526 & 527.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

MOTUS Naturæ visibilis, invictum Dei existentis argumentum, 388 & 414. Deus, unica causa efficiens Motus, 549, 553, 559, 560.
Mysteria, veritates revelatæ & certissimæ, 654 & 656.
NATURA: multiplex hujus termini sensus, 44. Ordo & Leges Naturæ, 45.
Necessitas, absoluta & hypothetica, intrinseca & extrinseca, 24 & 520.
Necessarium & Contingens, 24.
Negationes & Privationes, 59 & 93.

O B.

OBJECTUM & Subjectum, 14 & 15.
Odoratus, 113 & 115.
Oppositio Propositionum, 226 & 228.
Optimismus, 461, 463, 468.
Optio inter bona æqualia & inæqualia, 525 & 526.
Ordo rerum, moralis & physicus & metaphysicus, 397, 411, 430.
Organisatio Corporum, animatorum & inanimatorum, 411 & 418.
Paralogismus, 22, 80, 296.
Peccatum 470, 551. Formale & materiale Peccati, 550 & 551. Debita Peccato pœna, 623, 624, 626, 633. Peccatum originale, 455 & 618. Peccatum merè philosophicum, 641.
Pentateuchus, 613, 614, 618.
Persona & Suppositum, 225.
Persuasiones naturales, 190 & 401.
PHYSICA, 702.
Polytheismus, 405 & 444.
Possibilitas rerum, intrinseca & extrinseca, 323.
Potentia & Actus, 74 & 525. Potentia rerum obedientialis, 356, 357, 502.
Prædestinatio divina, 458.
Præjudicatæ Opiniones, 41.
Præmissæ, Major & Minor, 21 & 257.
PRÆSCIENTIA DIVINA, 473, 474, 482, 490.
Principia philosophica, 4 & 5. Primum Scientiarum Principium, 69 & 71. Principium individuationis 349.
Privationes & Negationes, 59 & 93.
Probabilitas & Verisimilitudo, 38 & 627. In suis motivis differunt Probabilitas & Certitudo, 171.
Progressus in infinitum, 80 & 324.
Prophetiæ, absolutæ & conditionales, 492, 606, 608.
PROPOSITIO, 20, 23, 210. Propositiones universales, particulares, singulares, indefinitæ, 212 & 214. Propositiones contradictoriæ & contrariæ, subcontrariæ & subalternæ, 227 & 233.
Proprietates rerum, 347 & 348.
PROVIDENTIA DIVINA, interior, & exterior 449, 450, 620, 622.
Pirrhonii, seu Sceptici, 56 & 609.
Qualitates sensibiles Corporum, 117 & 177. Qualitas sensibilis Materiæ, 664, 666, 669, 670. Qualitas & Quantitas propositionum, 215. Quantitas radicalis, 667 & 668.

R A.

RATIO, 12, 539, 545, 637. Insufficientia Rationis, in danda sibi Religione Deo digna, 598, 599, 601.
Reductio Syllogismorum, 277 & 280.
Relationes rerum, essentiales, accidentales, arbitrariæ, 358 & 359. Ex Relationibus Hominis ad Deum & Dei ad Hominem, resultat unius necessitas Religionis, 582, 590.
RELIGIO, sub duplici respectu spectata, 577. Religio naturalis & Religio revelata, 578 & 599. Religio naturalis revelata ab Adamo usque ab Christum, 599. Unius religionis revelatæ necessitas, 582 & 598. Christianæ Religionis divinitas, 606, 608.
Reproductio, 648, 658, 660.
REVELATIO DIVINA, 597, 608, 609, 621. Divinæ Revelationis necessitas & existentia, 598 & 608. Religionum divina Revelatione destitutarum errores, 598, 599, 603.
Sacramentum signum sensibile à Deo institutum, 110, 649, 663, 674.
Sceptici, seu Pyrronii, 50 & 609.
SCIENTIÆ & Artes: ipsarum natura & objectum, tum materiale, tum formale, tum attributionis, 98, 101, 105, 109. Scientia, sub duplici respectu spectata, 98.
SCIENTIÆ DIVINÆ, nullatenus conjecturales, 473 & 476. Indefectibiliter cognoscit Deus, Possibilia, Futura absoluta, Futura conditionalia; nec humanæ

Libertati opposita est ipsius præscientia, 482, 490.
Scriptura sacra, 597, 621.
Sedes Animæ, 500 506.
SENSATIONES, internæ & externæ, tertius humanæ certitudinis fons, 113 & 114. Sensationum testimonium, quibusdam conditionibus vestitum, parit infallibilem de objecto suo certitudinem, modo physicam, modo metaphysicam, 124 & 140. Sensationum causa & origo, 114, 130, 546.
SENSUS, organa corporea: ipsorum numerus & destinatio, 112 113, 142.
Sensus, perceptio ab interna Sensatione distinta & diversa, 20 & 124. Sensus & Cogitatio, modificationes Substantiæ essentialiter immaterialis, 496 & 497.
Sensus communis, seu sana Ratio, seu rectum Judicium, 12 & 541. Sensus divisus & sensus compositus, in speculationibus philosophicis, 229 & 487.
SENSUS INTIMUS, primus humanæ Certitudinis fons: 47, 54, 189.
Signum: signum naturale & signum institutionis, 110 & 111.
Sophisma, 22 & 295. Irreligiosa sophismata, an & quomodo solvenda, 607.
Sorytes, seu Gradatio, 293.
SPATIUM INFINITUM, ab immensitate Dei indistinctum: 364, 366, 374. Spatia imaginaria, 376 & 377. Differentia Materiæ & Spatii materiam recipientis aut continentis, 365 & 372.
Species impressæ & expressæ, absurda Sensationum causa, 115 & 116.
Species & individuum, 347, 349.
Species eucharisticæ, phænomenon ad generalem Materiæ Sensibilitatem relativum, 664, 666, 670, 673.
SPIRITUS: ipsius definitio & divisio, 325 & 495. Quid sit & quomodo habeatur idea Substantiæ spiritualis, 326 327, 575.
Spinosismus, 342, 391 393.
Substantia & Modificatio, 325. Quid sit & quomodo habeatur idea Substantiarum 326 & 327.
Subjectum & Objectum, 14 & 15. Subjectum propositionum, 23, 210, 212, 221.

SYLLOGISMUS, seu Ratiocinium, 20, 21, 25, 26, 254 & 256. *Syllogismus simplex*: ipsius Principia & Regulæ, 257, 760. Variarum ipsius regularum, ad unicam generalem Regulam reductio 270 271. Ipsius Figuræ & Modi, 272 & 275. Reductio simplicium omnium syllogismorum ad quatuor directos primæ figuræ Modos, 277, 280. *Syllogismus complicatus*, 256, 284. Syllogismus conditionalis, 284 & 286. Syllogismus disjunctivus, 287. Syllogismus conjunctivus, 289. Syllogismus dilemmaticus, 291. Sorites & Inductio, 293. *Syllogismi visioti*, 296 & 303.

T A.

TACTUS, organum corporeum, 113 & 154.
Tempus & Æternitas, 371.
Terminus, objectum Idearum: termini primæ & secundæ intentionis, 15 & 196. Terminus medius, 21, 255, 256.
TESTIMONIA HUMANA, quartus humanæ Certitudinis fons, 160, 163, 166, 171, 179, 180.
Timor, inepta & absurda Religionis causa, 429.
Totum & Pars, 16 & 204.
Traditio historica, 160 & 180.
Traditio dogmatica, 621.
Transsubstantiatio eucharistita, 619, 649, 654.
Trinitas Personarum & Unitas, 658, 659. Naturæ in Deo, 88, 262, 445.
Verisimilitudo & Probabilitas, 38.
Veritas rerum, objectiva & expressiva, 36. Veritas propositionum, 37 & 485. Propositiones æternæ veritatis, & veritatis contingentis, 37. Vis Veritatis cognitæ, 164, 165, 171.
Visus, organum corporeum, 113. Imago materialis, in functione Visus, 154.
VITA FUTURA, fundamentale omnium Nationum & omnium Religionum dogma, 512, 620.
Universale scientificum, ab idæis præcisivis resultans, 340, 342.
Unio Corporis & Animæ, 500, 501, 547.
VOLUNTAS HUMANA, potentia activa, 519, 525, 529, 538. Voluntarium & Liberum, 519 & 520 Volitiones, & Nolitiones, se-

*

fectus Voluntatis, 540.
Volitiones deliberatæ & ideliberatæ, 522, 529, 540, 554.

Eloquar ¿quidve ajam? Magister semper amate
Quas laudes referam, compulit ore loqui.
Te celebrant alii, quanto decet ore, tuasque
Ingenio laudes uberiore canunt.
Nominis ante venient oblivia nobis
Pectore quam pietas sit tua pulsa meo,
Et prius hanc animam vacuas redemus in auras,
Quam meriti fiat gratia vana tui.
Quis nec alumnus disciplinæ tibi aget honores?
Si semper bonus, semper et homo lenis.
O! referant grates quoniam non possumus ipsi
Dî tibi: qui referent si pia facta vident.

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS